BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez J. LAFFITTE, banquier, rue du Mont-Blanc, n° 11.

N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

H. NICOLLE, libraire, rue de Seine, n° 12, Faub. St.-Germain.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St.-Germ.

DEBURE frères, libraires, rue Serpente, n° 17.

P. DIDOT, l'aîné, Imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.

F. DIDOT, Imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

C. L. F. PANCKOUCKE, Imprim.-Libr., rue des Poitevins, n° 14.

Aug. RENOUARD, libraire, rue Saint-André-des-Arcs, n° 55.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

PUBLII VIRGILII MARONIS

QUÆ EXTANT

OMNIA OPERA.

EXCUDEBAT PETRUS DIDOT
NATU MAJOR, REGIS TYPOGRAPHUS

P. VIRGILIUS
MARO

QUALEM OMNI PARTE ILLUSTRATUM

TERTIO PUBLICAVIT

CHR. GOTTL. HEYNE

CUI SERVIUM PARITER ET CERDAM

ET VARIORUM NOTAS CUM SUIS SUBJUNXIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEXTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXI

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

Pag.

DE CARMINE EPICO

DISQUISITIO.

JOANNI JOSEPHO *DUSSAULT*,

INTER LITERATOS VIROS CLARISSIMO,

ET UNI E DOCTISSIMIS

BIBLIOTHECÆ SAN-GENOVEFANÆ

PRÆFECTIS,

S. P. D.

NICOLAUS ELIGIUS *LEMAIRE*.

TECUM, amantissime condiscipule, jamdudum me coævo fœdere devinxit grata cuilibet ætati memoria *actæ non alio Rege puertiæ;* (Hor. lib. I, od. 36) et semper animo suavissime recurrunt, tot innocentes scholarum lusus, tot labores diu communes, quorum præmia tuæ fronti imposita, adeo non invidiæ mini-

mam offensionem, ut vividos contra lætitiæ et admirationis sensus æmulo plaudenti elicerent,

Quum duros olim divina foveret alumnos
Barbara, fraternoque ambiret pectora nexu
Ille juventutis pater et dux optimus idem (1),
Nubila qui patrii fugeret dum tempora cæli,
Tempora sæva simul virtutibus atque camænis,
Fovit hyperboreis sacrum in regionibus ignem;
Qui patriæ et Regi tandem, quique omnibus omnis
Redditus, in docto Parisini vertice Pindi,
Rectoris fasces Phœbo plaudente recepit.

Etiamsi deessent hæc omnia, quæ talia sunt, ut etiam dissonas mentes conciliare possint, nobis tamen eadem sentiendi et judicandi norma, eadem recti aut pravi conscientia, pro vinculo amicitiæ interfuisset. Paribus enim imbuti doctrinis; pari literas amore easque bonas tantum et saniores prosecuti; veterum haud superstitiosi, sed religiosi cultores; recentiorum æstimatores non iniqui; neque horum opera, ob id unum quod recentia essent, elevantes; verum laudabile tantummodo id arbitrati, quod optimos omni tempore scriptores probaturos fuisse arbitraremur; circa eamdem metam simili curriculo assidue versati, in eadem judiciorum orbita sæpissime occurrebamus, *non indecoro pulvere sordidi.*

Sed quis tam feliciter, quam tu soles, libri cujuscumque rationem exsequi possit; deprehensum scriptoris consilium ad calculos vocare; varias inter se

(1) *M. l'Abbé* Nicolle, *dernier Préfet de la Communauté de Sainte-Barbe : forcé de quitter la France en* 1791, *il a passé en Russie tout le temps de la révolution : il est aujourd'hui* recteur *de l'Académie de Paris.*

operis partes, et ipsum absolutum opus cum proposito conferre; si quid affabre sit elaboratum, famæ prædicandum permittere; latentia autem fallaci sub cortice vitia, quæ lectores plerumque incuriosos aut imperitos, ipsum etiam scriptorem sibi, ut mos est, clementiorem fallunt, inclementer excutere; mox a singulis ad universa conscendere, et vicissim ab universis ad singula regredi; neque jam ex solis judicare legibus, sed de legibus ipsis aliquando ferre sententiam; principia fundamentaque artis investigare, scrutari, nudare; ac de variis circa res literarias opinionibus, quolibet patrono superbientibus, utrum in solido consistant, an male firmæ ruinam minentur, nunquam dubiis rationis ominari præsagiis! Itaque quum prodire vidimus in publicum tuos illos *Literarum Annales* (1), nemo scribentium non suspexit hoc famæ monumentum, et cum quadam formidine tot inter nomina, posterorum judicio designata, suum nomen quæsivit anxius.

Antiquos vero scriptores, quos tuus antecessor celeberrimus *La Harpe*, cujus censoriam collegisti hæreditatem, desultim forte pervolutos, leviter tantum et strictim notaverat, nunc, perspecta penitus causa, per te suo loco repositos, et vel ab injuria nostrorum temporum vindicatos, vel male occupata fama exutos, nemine refragante, agnovimus.

O utinam meus in illis edendis exsudatus labor, tibi censori submissus, non damnatus abeat! Utinam quoque non ingratus sordeat nostro alteri condisci-

(1) *Annales littéraires*, 4 *vol. in-8°. Paris*, 1818; *Maradan, rue des Marais Saint-Germain; et Le Normant, rue de Seine.*

pulo, iisdem literarum castris tecum jampridem militanti (1),

> Qui paribus gestans eadem vexilla lacertis,
> Contorquet certa fortia tela manu;
> Comis, et urbanus lepidis dat pondera verbis,
> Spargens mordaces, at sine felle, sales;
> Semper et exemplo firmans præcepta, severus
> Quæ docuit judex, auctor et ipse facit.
> Pro regum solio, pro relligione paterna,
> Usque indefessus prælia sancta gerit;
> Et conjuratos Christum delere gigantes
> Fulmineo eloquii dejicit igne tonans!

Utinam igitur vobis ambobus principia illa probentur, quibus velut aliqua constanti norma semper inniti soleo. Nec vero tibi admodum fuisse videntur ingrata, quandoquidem illum, qui tibi placere cupit Classicorum Auctorum Editor, aliquando latinæ poeticæ magistrum, sedens inter discipulos judex, audiisti, eumdemque non verbis tantum, sed scriptis impensius laudasti, quam ut, ex his laudibus detracta amicitiæ parte, nihil veræ sententiæ restaret. Istud quidem non tam pretii mei, quam erga salubria quæque literarum præcepta communis tecum studii indicium fuit; scilicet, quamvis amicum laudando, minus mihi quam sanis favebas opinionibus. Tibi tamen, si qua est mihi fama, plurimam ejus partem acceptam refero; quam tu, quotidianis chartis, per te tunc maxime vigentibus, commissam,

(1) *M. l'Abbé* DE FÉLETZ, *Élève et Maître de l'ancienne Communauté de Sainte-Barbe; connu, comme M.* DUSSAULT, *pour un des plus habiles écrivains du* JOURNAL DES DÉBATS; *Conservateur de la Bibliothèque Mazarine; Inspecteur de l'Académie de Paris.*

apud lectores ingenii tui lepore delinitos, et affusa doctrinæ copia præoccupatos commendare ultro ipse voluisti; neque unquam, ut spero, mihi marcescet corona illa,

Quæ manibus connexa tuis mea tempora circum
Fulget adhuc, quamvis atro fœdare veneno,
Dentis et obliquo quærat discerpere morsu
Vipereus livor: nam puro hanc baccare mixtam
Vivacique apio voluisti intexere prudens,
Ne linguæ infamis noceat grave virus amico.

Ad te igitur, amantissime condiscipule, quum circa Virgilium et varios illius interpretes meæ versarentur lucubrationes, meam hanc de Epico carmine sententiam, ordine et tanquam ex professo descriptam, mittere volui, tum ut aliquod grati animi testimonium offerrem atque pignus, tum etiam ut de *hac omni re* judicium tuum lucro apponerem: et quo magis pernoscas totam consilii mei rationem, fatebor illud quoque mihi cogitanti non injucundum succurrisse, quod nostros, quam multi sunt, communes a tenera juventute sodales, ubicumque terrarum sparsi nunc habitent, hoc munere tibi oblato, tanquam participes, lætaturos putaverim. Omnes enim in te uno intueri mihi videor, candidissimas animas, et quotidie dilectas magis atque diligendas, quarum nulla erit, quæ te, quasi nostrum Quintilianum, nomine cunctorum salutari, aut miretur, aut invideat. Quintilianum autem dixi; quod nisi multis abhinc annis tot et tam elegantia atque sana scribendo faceres perspicuum, mox tua sagacitate, diligentia atque curis in recensendo INSTITUTIONIS ORATORIÆ volumine, et

mecum jamjam in publicam lucem emittendo, hac ipsa luce clarius enitesceret.

En igitur ille de Poesi Epica qualiscumque labor; utique non totus meus. Multa enim illic invenies, tum tuis sermonibus tanquam præcepta memoriæ fideliter mandata, tum potentius in tuis Annalibus adjuta exemplo atque confirmata: quæ mea sunt, ea tu velis æstimare.

Quod non primus hoc sum ingressus curriculum, etsi multum inde laudi meæ detrahitur, non minimum tamen operis restat; idque, nisi superbiæ magis quam excusationi simile esset, facile verbis arguerem. Etenim neque omnia sunt ab istarum rerum magistris pronunciata; neque semper eorum opiniones inter se consentiunt; ex quibus optimam eo difficilius selegerim, quod pari auctoritatum momento incerta sæpe mens in contrarias partes dividitur. Gravem ergo tractandam suscepi materiam; amplam sane; atque si supra meas, non infra tuas vires positam. Si quidem hanc tibi præripui, severe, dummodo non aspere, me judices, precor; et quidquid in his peccatum, sive omissum animadverteris, pro tua fide moneas, atque amicitia, quam sæpissime in levandis laboribus, in aculeis dolorum hebetandis, atque etiam nuperrime in morsibus calumniarum sanandis suaviter expertus, ad extremum usque miserabilis hujus vitæ cardinem cum grati fidelisque animi memoria ubique prædicabo. Vale, o rerum dulcissime, atque iterum vale.

N. E. LEMAIRE.

Parisiis scribebam, Idibus Martiis, MDCCCXXI.

DE CARMINE EPICO.

In Epico præsertim Carmine, humani ingenii vis et felicitas exsultant, eo tum propius ad Divinitatem accedentis, quod supremi Numinis aliquatenus particeps, pæne ipsam creandi facultatem usurpat.

Comparatur Epopœa cum Tragœdia.

Ne Tragœdiam quidem, præstantissimum illud artis opus, pari loco ponendam arbitror; scilicet huic sunt arctius circumscripti limites; epica poesis libere aperto in campo spatiatur; quumque duplex rerum natura duas partes diversissimas, animorum affectus et corporum formas complectatur, illa quidem priori rerum parte tragœdia contenta est; utramque vero sibi epos adrogat. Adde, quod illic tabulam unam, hic omnigenæ picturæ miracula, tanquam in aliqua regali porticu suspensa et exposita contueris. Etiam et tragœdia, ut in lucem veniat, cæterarum artium eget adminiculo: namque prius sunt expoliendi mores, theatra ædificanda, cogendi spectatores; at epico carmini sufficit argumentum, vates, lector unus.

Epici carminis origo.

Tam præclari, tamque excellentis literarum generis optimum exemplar quum ederem, naturam et le-

ges, quantum in me esset, paucis explicandas mihi proposui: sed origo prius videtur investiganda diligenter. Nemini enim persuasum fuerit Iliadem et Odysseam, poematum quæ ad nos pervenerint antiquissima, omnium prima exstitisse. Vix contra fieri potuit, ut non multoties facto hujus rei periculo, ad tantum denique fastigium perveniretur; neque ista matura robustaque virilitas non prius per infantiæ vagitus et florem juventutis adoleverat: quum vero ante perpolitam artibus Græciam prodierit, sequitur ut ejus origo longe ab antecedentibus sæculis repetenda sit.

Nunc attentius exquirenti mihi quonam modo inter diffusas barbariæ tenebras sublime inventum, idemque maximi laboris plenum exstiterit, hæc probabilia succurrunt. Homines quovis tempore suaviter affecit rerum gestarum narratio. Igitur ubi errando per sylvas fessi, primum congregari cœpti sunt, si quid cum admiratione, aut terrore, aut delectatione offendissent, id verbis memoratum, et, ut recenter impressa quæque animos tangunt acerrime, multa ex parte supra veritatem amplificatum, summa cum voluptate audiebant: quumque memoria scripturæ nondum cognitæ locum suppleret, ea quæ narrata fuerant, memoriæ defixa hærebant, et per ora hominum a primis ætatibus usque ad remotissimas tradebantur in æternum duratura.

Multis post annis sponte evenit, ut quidam cæteris facundiores, et rudi quidem, sed magno ingenio præditi, operæ pretium fore cogitaverint et gratum civibus munus, si tot factorum quæ vulgi sermonibus teri animadverterant, unum haud temere excerptum,

quanta arte aut cura possent, longa et ornata narratione circumducerent.

Viros feliciter natos non latuerat quanto studio vulgus audiret de prœliis; quippe quæ nulla tunc fere essent nisi fatalia et internecina, atque semper alteri civitati excidium servitutemque, alteri plurimum incrementi et roboris afferrent. Quare quum hominum oculi maxime hujusmodi spectaculis detinerentur, nec possent animi ad ullam commemorationem magis intenti stare et erecti, quæsita est e militaribus potissimum factis primo carmini materies.

Isto quidem remotissimo a nobis intervallo, homines rerum magis imaginibus, quam sententiis ex ingenio accitis inhiantes, strictum sermonem et inversum recto solutoque præferebant: inde sacrorum ritus decreta legum, populorum instituta et præclare quælibet facta; denique quidquid mentibus alte et quasi medullis voluerant imprimendum, illud exaratum commendabant versibus. Itaque numeris sonoro, figuris jucundo versuum modulamine narratio illa accuratior inflexa est.

Deprehenderant quoque primi auctores insitam vulgo credulitatem, cui naturalium rerum, in utramcumque partem acciderent, æque ignaro, natura non sine præsenti Deorum auxilio benefica, non sine Deorum ira terribilis videbatur. Bella præsertim superstitionem alebant credentium magnos duces ex Diis ortos, et magna facinora duci regique cælestibus auspiciis.

His opinionibus quasi fecundata poetarum mens, præcipuis quidem in novo carmine personis divinum genus assignare; iis vero quæ a se præcipua narra-

bantur cælestem tribuere causam haud dubitavit, quo facto certius venerationem vulgi prætenta quadam religionis specie ac majestate sibi vindicaret: et erant, ut plurimum, illi vates sacerdotibus aggregati, sacrorum ipsi participes. Itaque quum divini et humani juris interpretes haberentur, virtutisque quoddam magisterium exercerent, ultro conatus suos ad instituendam morum disciplinam etiam in hac re contulerunt. Sic sententiarum sapientia et exemplorum præstantissimorum decore, *utile miscentes dulci punctum omne tulerunt:* sic accessit ad voluptatis delicias rationis et prudentiæ fructus.

Fieri ergo potuit, ut ex opaca priorum ætatum caligine emersa poesis epica tunc primam facem accenderit. Nam quid mirum, si heroum laudibus, vitæ præceptis, versuum jucunditate, Deorum interventu mixtum et temperatum opus, eo tempore coalescere cœperit, quo maxima fuisse accepimus heroum facta; integerrimam vitæ probitatem, plurimum poeseos honorem, summum superstitionis dominatum? Immo si recentior ejus origo et ad ætates illas pertineret, quibus immutari jam omnia et a prisca simplicitate deflecti cœperant, illo grandi vetustatis charactere careret forsitan, nec tam sinceris coloribus conspicua fulgeret, dum contra ex illo nativæ antiquitatis fonte egressa, non minus illum originis suæ honorem retulit, quam scaturientes ex sulphurei montis visceribus aquæ, inde acceptum colorem vimque cognatam retinent.

Prima quidem experimenta, et, ut ita dicam, epicæ musæ tyrocinia, digna oblivione sua jacent; rudia et impolita, ut opinor, sine instituto, sine or-

dine, forsan nec proposito argumento, nec observatis personarum moribus, nec divisa operis serie, nec præparatis et usque ad finem, id est, nodi solutionem, apte suspensis auditorum studiis. Quamobrem opus fuit præstanti aliquo minimeque vulgari ingenio, quod primam inchoati laboris formam ad unguem absolveret: cujus ope, cæteris vero quæ antea diximus principiis adjuta et quasi suffulta, tandem ipsa surrexit epopœa.

Plusquam humana fuit illa mens, quæ jam diu parturientibus sæculis aliquid magnum, velut perita quædam obstetrix, adfuit, alte scilicet investigatis hominum affectibus, perspecto et feliciter deprehenso quid humana societas desideraret, directisque in hunc finem conatibus, ut eorum qui arte humana incubante et quasi fovente ad lucem excludi possunt, præstantissimus fetus nasceretur. Quantus ille vigor ingenii illud opus amplecti, et comprehendere, et explicare potuit! quonam flammeo spiritu vita motusque sunt operi superaddita! haud hercle aliter, si Ovidio et mythographis creditur, olim deforme et indigestum chaos summi ordinatoris manu indigebat, quum adhuc maria et campi, montes sylvæque, ignei siderum orbes, omnia congesta et *in uno gurgite confusa torpebant, non bene junctarum discordia semina rerum.* Quæ tamen separanda tantum fuerunt, et sua cuique forma, motus, color tribuendus; locus denique, in quo starent aut moverentur, in perpetuum designandus; *hanc Deus, et melior litem natura diremit.* Quod qui cælesti cogitatione et omnipotenti manu perfecit ingens, quamvis parata materia, opus, ille jure immortalis, meritoque Deus habendus est,

tanquam *opifex rerum et mundi melioris origo.* Similiter, qui carminis epici germen involutum deprehendit, fotumque ingenio, tandem exclusit, perfector pro inventore est habendus. Talis fuit Homerus, qui tabularum ante se informatarum qualiacumque lineamenta colligens, Iliadem extulit, hoc impetu altius fastigium consecutus, quam quo postea quisquam pervenerit.

De Iliade.

Quos animo sensus concepisse crediderim eos qui primi carmina Iliados audiverunt? Quanta defixos admiratione stetisse dicam, quibus clarissimi belli facta, et celeberrima hoc tempore nomina recognoscentibus, mens in medio certaminum horrore sine periculo versabatur; mixtæ et floreis junctæ vinculis occurrebant, utile docens historia, jucundumque ludens fabula: simul enitescebat infinita varietate distincta rerum multitudo; animorum motus acerrimi; bellatorum virtus generosissima; Deorum ut maximus numerus, ita potestas efficacissima; ad hæc descriptionum splendor eximius, sententiarum mira sublimitas; quibus superfusi tam divitis eloquentiæ colores, adjuncta tam inenarrabilis numerorum suavitas, ut qui varios operis libros quasi totidem cantus audiret, ille novis perpetuo motibus agitaretur, novis usque stimulis ad auscultandum excitaretur, denique velut quodam filo suspensus ac diu libratus inter diversissimos et maxime contrarios affectus, simul animo, ingenio, memoria, auribus delinitis atque captis, pari semper, nec eadem tamen unquam voluptate demulceretur!

Illud sane tot variis ingenii prodigiis conflatum epos, pro singulari miraculo habitum fuit. Hic etiam qui tam magnifico ritu Deos heroasque celebravit, visus est ipse Deo proximus; quumque ille, nondum expolita Graiorum vita, sub perennantibus sylvarum umbraculis, illimes ad fontes aquarum caneret, forsan, ut de Orpheo vocali ferebatur, sylvas saxaque et fluvios his concentibus intentos, pari secum delectatione duci crediderunt. Graiorum igitur religio nobis Homerum peperit; cujus servandis operibus pro scriptura traditio profuit. Erit profecto, erit omnium sæculorum gratulatione dignus, quisquis tantorum carminum æquus æstimator, excepit ac diligenter collegit, quod nunquam perituræ posterorum admirationi transmitteret.

Sed quibusdam suspecta sunt hæc Homeri carmina, vel ideo quod sic ad nos pervenerint; tanquam non unius artificis manu contexta, sed ex multis variorum operum fragmentis coactá et quasi consuta sub nomine uno prodierint. Responsum in promptu est, cuilibet non nova veris præponenti, non singularia præ approbatis diligenti. Nam sane cadat hujusmodi suspicio in Ossiani Bardorum celeberrimi carmina, quæcumque demum illa sunt, divisa inter se, breviora productiorave, et ut orationis eodem colore multum, ita minime argumentorum natura inter se convenientia. Iliadem vero propius si inspexeris, præstat illa non solum impetu atque decore, sed etiam manifesto quodam ordine, ac serie concatenata; sequuntur quæ narrat; cohærent quæ describit; sibi constant, quoscumque aut agentes exhibet, aut inducit loquentes. Rapitur protenus, ut ita dicam, ag-

men rerum; et recto cursu *semper ad eventum festinat*: aut si quibus inter eundum diverticulis episodiorum immorari placuerit, attende paululum; certo, quamvis latenti, ductu mox in viam suam regreditur: ipse denique operis finis quam egregie præparatus, quandiu mira suspensus arte, et, dicamne gradibus, an leniter inflexo et nunquam interrupto clivo paulatim admotus, perfecto demum et jam integro carmini exspectatam imponit coronidem! Sane unius voluntate compositum est opus, cui si plures incubuissent, necessarium vitium, discordia partium inhæreret; coagmentata passim dehisceret narratio, et male sartis descriptionibus sæpe vacuum quiddam interluceret. Cujus morbi prorsus expers Ilias, egregie institutum servatumque rerum ordinem ubique quum exhibeat, quid restat quominus, ut oppido una est, uni quoque auctori tribuenda esse videatur?

De Odyssea.

De Odyssea fortasse minus liquet: commendabile et hoc carmen, sed ab altero maxime diversum, nec tam potentis ingenii nota signatum, quum tamen idem sit in utroque tenor eloquii, et pariter de utroque consentiant omnes antiquitatis auctores; nec satis sit fundamenti ad disputandum, ubi de facto agitur quod unanimis testium consensus probat; sequitur ut Homero sint asserendi ambo sui cognomines fetus; eoque plus admirandus vates, qui duo tam præclara, quamvis inæqualis altitudinis, monumenta unus erexerit. De illis autem qui Homerum ipsum exstitisse negant, non magis laborandum existimo, quam de cæcis, qui negarent Solem.

Epici carminis leges.

Nonnullis jam ætatibus Iliados et Odysseæ laus inveteraverat, quum eruditis metus subortus est, ne micantes ex illo igne fulgores dispersione evanescerent, neve satis certo indicio cæteros ad imitationem optimorum exemplarium adducerent. Itaque latentem sub istis poematibus artem indagaverunt; et unde egressa, quibus incederent itineribus, quam ad metam animos illa raperent, ex se et aliis quæsiverunt. Inde carminis epici leges: nec mirum, si non epos ipsum præcesserunt; quod in cæteris quoque rebus animadverti potest, homines ingenio prius quam judicio usos esse, nec quid quantumve mente efficere valerent, prius sibi conscivisse, quam magnæ alicujus audaciæ spectaculo admoniti fuissent.

Homerus vatum Epicorum dux et exemplar.

Scio multis videri leges ex Homero desumptas, ad ejusque opera accommodatas, nihil juris in cæteros vates obtinere. Videmus tamen homines novis plerumque rebus inhiantes, præterea moribus, ingenio, lingua dispares, nihil tot sæculis ab homerica epici carminis figura deflexisse. Omnes qui hanc artem tentavere, Homerum imitando suorum suffragia captaverunt: neque solum Apollonius Rhodius, Papin. Statius, C. Silius Italicus, et tot alii deterioris notæ, quorum imbecillis viribus adminiculum fuit expetendum; sed de clarissimis loquor. Adest Virgilius, Homeri non imitator solum, sed quasi *continuator*. Adest Torquatus Tassus, juventutis ardore, ingenii flamma, gloriæ cupiditate accensus, non tamen indig-

num ratus facem suam Homeri foco admotam accendere. Noster quoque Voltarius ita comparatus a natura, ut in re tragica cæterisque quas attigit rebus, quantùm posset, nova moliretur; et ille Britannus Milto, qui tum patriæ ingenio, tum etiam politicarum partium studio, potuit videri libertatis non modice amans, magno uterque præditi ingenio, Homerum secuti sunt; et ita secuti, ut scribendo semper ad ejus opera, non animum modo, sed oculos intendisse viderentur. Nunquam crediderim, tot variis in locis diversisque temporibus ortos poetas, sponte ejusdem vestigia ducis observasse, nisi priscum epos adeo naturæ et vero conveniens, et ad secretos humanæ mentis sensus apte conflatum sit, ut attentius cogitanti cuique satis constet, nihil ultra esse quærendum.

Si quis tamen optima quæ ad hoc genus pertinent carmina, mutuo alia ab aliis exscripta esse credat, multum a sententia mea distet: forma ea dico esse similia, non vultu, non habitu, non incessu; siquidem in alio potissimum obstupescis rerum simul conspectarum amplitudinem, personarum insigniter expressos mores, sublimem cogitationis impetum: alium magis commendat sapiens in inveniendo judicium, calamus in delineando sui certus, purissimus in pingendo colorum nitor: cum hoc libentissime versaris inter armorum tumultum, affectuumque virilium vehementissimos conflictus: in illo suavissime demiraris luxuriantes tenerarum descriptionum delicias, quibus mollissima pars animi titillatur. Ita sua cuique virtus et peculiaris indoles.

Etiam temporum locorumque diversitate proprie signantur. Ilias, ut illis temporibus adhuc rudis Græ-

cia, primævam naturæ simplicitatem, forsitan et de prisca asperitate nonnihil retinet. Æneis tunc in lucem edita, quum maxime vigebant artes florebatque luxus, Augusto regnante et favente, ipsa cogitandi et scribendi ratione explicatam declarat perpolitæ jam ætatis et locupletis aulæ magnificentiam. Carmen de Hierosolyma liberata prius institutum quam veteres equestris disciplinæ leges prorsus obsolevissent, sæculi sui, quod in arma, religiones et amores proclive fuit, poetica illa luce effulget. Miltonis opus posterius vix aliquot annis belli civilis incendio, grave, austerum, tetrice religiosum sonat. Gallica Henrias inter recentis philosophiæ cunas exorta, sententiarum acutarum sapore, ac frequenti antithetorum libramine natales suos prodit. Sic denique inter se similia illa sunt, ut facillime dignosci queant. Haud aliter ædificia quæ uno aut altero abhinc sæculo primariis Europæ urbibus accesserunt, eosdem prope ad numeros rationesque exacta, non tamen eadem partium compositione gaudent; sed hoc quidem tholi magnificentia, illud vero elegantia columnarum, tertium mole sua superbit; ut quanta formarum convenientia, tanta sit aspectuum dissimilitudo.

De Æneide.

Æneide præsertim se jactant musæ Latinæ, de qua jam pridem, antequam a me millesimo typis ederetur, apud doctos dijudicatum erat: quare temeritatis intolerandæ duxerim, si quis post viginti sæculorum suffragia litem integrare et ad calculos reducere tentarit. Ego, non ut de Æneide sententiam quisquam ferat, sed quo magis admirationi suæ indulgeant,

qui Æneidem legunt, partim ex Aristotele, partim ex recentioribus desumpta elementa quædam ac principia epicæ artis, paucis, ut promisi, evolvam. Statim ab his orationem adorsus essem, nisi putassem, ea, quam prætuli, via, nempe ab ipsius artis originibus initium ducendo, melius servari non temporum modo, sed rerum ordinem. Ac de præcipuis quidem regulis sat erit dicere: cætera qui desideraverit, inveniet nimis multos rerum minutarum magistros.

De argumentis Epico carmini convenientibus.

Falso aliquis existimet omnia esse in epico carmine invenienda. Contra, si exemplis fides, ducantur oportet ex rerum historicarum fide, vel ex fabulosis mythologiæ monumentis, et argumentum et heros primarius; ac certe inter maxima tantum et præclarissima sive facta, sive nomina, utrumque deligendum est. Procul igitur absint plebeii casus, qui, quamvis aliqua ex parte aut exitu singulares, ideoque attentione quadam digni sint, versantur tamen in vulgari hominum vita, nec ultra quotidianarum rerum orbitam promoventur. Absint quoque viri de multis assumpti, qui, etiamsi virtutibus, aut vitiis, sive alterutris fortunæ casibus egregii, communi tamen motu feruntur, et sive ingenio, sive fatis, nullatenus humanæ conditionis modum excedunt. Horum nihil epico carmini convenit, nato quippe animis, quam vehementissime fieri potest, commovendis. Longe præstabunt illa fortunæ inclinamenta, quæ summam rerum et populorum labefactant mutantve, solia regum subvertunt vel excitant, gentem aliquam ita affligunt, ut simul cæteras omnes percellat motus idem atque terror;

placet denique epicæ musæ quidquid historias vastis successibus obstrepentes implet, et de totius mundi conditione stabilienda decernit.

De Epicis heroibus.

Hæc musa paucos adoptat, quos mortale genus suspicit, nascendo potenti præditos indole, et in sublimi vitæ theatro positos, magnis opibus, magnis fatis, majoribusque virtutibus subnixos, quos, ut astra quædam portentosa longis intervallis ad immutandam populorum sortem procedere putes; quantos denique non sine labore multo atque nixu natura parturire videatur. Hi demum heroes nostri erunt; quippe non minus animos concutiunt quam detinent vastissimum curriculum ingressos, illudque giganteo gradu emetientes, quisquis mente sequi voluerit, is omnibus artis viribus uti, omni cogitationis impetu ferri, omnes debebit Pieridum alas explicare.

Addam ex antiquissimis annalibus argumentum esse petendum, quo vetustius, eo præstantius: nam actores illo sæculorum antiquo vestitu involuti, et tot miraculorum senio commendati, prodeunt ampliores: in illis quoque plus audet inventio. Recentes quippe fabulæ priscarum fabularum auctoritate nobis approbantur; et mendacia quando mendaciis inseruntur, mira fertilitate exuberant. Denique poesis ipsa eo melius, quo liberius movetur; extendit se vatis ingenium ad temporum mensuram quam amplectitur. Manat quædam majestas ex illo antiquitatis fonte, quæ per totum opus diffunditur, et ipsam dicendi pompam altius extollit.

An Epicus vates omnia ignota et indicta primus proferre possit?

Sed quibusdam tantum libertatis non sufficit : illi etiam ad frenorum umbram recalcitrantes, multum se poetis prodesse credunt, si prorsus ab eorum cervicibus historiæ jugum depellant, ut ne præcipuum quidem factum, aut ipsa heroum nomina ex veritatis penu depromantur.

Et hoc, ut quidlibet audendi veniam, poetis concedimus, quum se Boiardi auctoritate tueri possint, cujus carmen ab Ariosto lepide recusum, historicam veritatem parum desiderat, quamvis absentem. Sed quod in faceto genere proficit, pariter seriis convenire non ita constat, ut jam nefas sit dubitare, utrum epici carminis dignitas possit cum integra libertate conciliari. Nam primum in hujusmodi carmine, in quo nihil non esset inventum, ludere scriptor videretur et jocari, quemadmodum fieri solet in amatoriis quos nostræ mulieres tractant libellis, et quos vocamus gallice *Romans*, quorum in ordinem recidere non esset ex carminis epici nobilitate, præterquam quod diversa literarum genera confundi sine magno politarum mentium fastidio non possunt.

Deinde vereor, ut ipsa inventio satis feliciter in magnis argumentis veritatem supplere possit: nam facta quo minus vera sunt, eo magis vero similia videri oportet. Itaque aut cautius circumspectante vatis ingenio, et actores intra vulgarem modulum consistent, et facta nimis exilia languebunt; aut si epicæ, quantum fas est, audaciæ indulserit, obscuris in rebus nimia temeritas offendet, utque immoderata

quæque solent, animos obstupefaciet magis, quam capiet: nam positis extra ordinem rebus personisve, nisi propter ipsarum nobilitatem, vix assuescimus; præparatos autem animos esse oportet, antequam vehementi aliquo motu jucunde commoveantur. Multa in historiis invenies rara, singularia pæne ad prodigium; quæ etiam quum credimus, vix credibilia esse confitemur; ficta vero si essent, ne in fabulas quidem admitteremus. Atqui ea veritatis fide consecrata, non modo sine periculo, sed cum fructu adhibentur. Nam quod in iis naturam excedit, cæteris, quæ affinguntur miraculis, fidem facit: imponit animis rerum celebritas, fascinat oculos nominum fulgor; versamur inter præstigias jam quasi familiares, et tantum quid in iis terribile, quid dulce, quid facetum sit intelligentes, nec de probabilitate diutius argutantes, ultro cum poeta desipimus, ultro vagamur.

De Tragœdiarum argumentis.

Tragœdias quas præferimus? Illas nempe, quæ vel historiæ, vel mythologiæ, quam primarum ætatum historiam scimus esse, fundamento insistunt. In his enim nobilium virorum redivivas contemplamur imagines: juvat in intimos tantorum animorum recessus descendere; ipsos loquentes audire; agentes videre; quanto, Di boni! loquentes ore, quanta fortitudine agentes! præsertim quum adsit præsens usque memoria, incumbatque animis non solum spectaculi terror, sed illa quoque magis formidanda cogitatio, *vera esse* quæ spectamus.

Quod adeo gallicis Tragœdiarum scriptoribus compertum fuit, ut si quando fictis argumentis uterentur,

temporum tamen, locorum plerumque, et nominum illustrium auctoritate fabulas suas commendarent. Unde merito collegerim, epicam musam tragicæ cognatam discedere quidem posse ab historiæ vestigiis, sed non omnino secedere. Neque video, quid Homerus, Virgilius, Tassus, felicissima illa ingenia, præstantius argumentis suis excogitassent. Qui vero eorum vestigia volent legere, quid melius quam aut liberatam Græciam, aut Alexandri triumphos, aut Americam inventam, aut aliquid simile decerptum ex historiis, ingenii cura excolent? An superbos juvabit omnia ex se depromere, majora, credo, spectacula in lucem daturos, quam debellatas ad Arbela totius Orientis vires; aut surgentem ex oceano, in conspectu navis inauditum facinus ausæ, desperatam prope insulam, alterius mundi vestibulum? Miltiadis vero, Alexandri, aut Columbi ingentibus animis, quas præstantiores substituent animorum naturas?

Atqui poesim historia comite, non domina uti velim: paululum istud obsequii, magna cæterum licentia compensabit: acceptam materiam quibus volet partibus extendet; ornamenta penes ipsam erunt; naturas delineabit novas; præclaras occasiones componet; affectus exprimet vividissimos, descriptiones larga manu affundet; denique in ipso eloquendi genere, felicibus verborum juncturis et figurarum audacia, quantum possit ostendet. Summi, quos imitandos proposuerim, auctores, lectoribus rerum memoria plenis scribere se quum intelligerent, effecerunt ne optimæ materiæ artificis manus deesset, hominumque exspectationem, quam noverant esse maximam, adeo non sunt frustrati, ut jam ex ipso-

rum scriptis, rerum quas narravere notitia plus hercule, quam ex historiæ annalibus petatur.

De UNITATE *Epici carminis.*

Sed ea est tum epici carminis, tum etiam humani ingenii natura, ut frustra tot effundantur opes, nisi ad *unam* rem spectent illustrandam. Inde solemnis illa lex *unitatis*, quam multi parum intellexere: nam alii interpretati sunt eo pertinere hujus carminis rationem, ut ex totius operis summa tanquam affabulatio una duceretur: quibus infra responsum paramus. Aliis placuit hominis unius vitam legitimos *unitatis* fines non excedere, quasi vero non multo amplius sit totius vitæ spatium, quam quod uno aspectu amplecti et comprehendere possimus.

Ego *unitatem* aliam nullam intelligo, præter unius facti tenorem, quod ab ipso carminis initio propositum fuerit. Plura si ostenderentur facta, vinculo non satis forti cohærentia, nullus operis tenor superesset: fatisceret carmen, multoque magis lectoris animus, quem et voluntate et studio carentem, vagi tantum et confusi affectus in decursu perstringerent.

Quemadmodum si qua pictura plures personas, aliud alias agentes, nec se invicem spectantes exhiberet, singulæ quidem nos fortasse invitarent, sed statim ab una vocaremur ad alteram, deinde aliam; nec fas uni præ cæteris immorari, nec daretur universas simul conspicere: quare sollicitos oculos, et aliquid quod abesse sentirent frustra quærentes, brevi succedens fastidium averteret: quum vero una res, una descripta fuerit actio, qua protinus animi percellantur, quamvis multæ adsint personæ, omnibus modis,

vultu, veste, habitu, diversissimæ, tamen quum et ipsæ ad id quod agitur intentæ sint pertineantque, necessario illuc vertitur, nec jam in multas partes distrahitur spectantium animus: sic epicum carmen, observata *unitatis* lege, adeo non, quod aliquis timeat, elanguescit torpescitve, ut contra quo minus divisas, eo majores exserat vires; eo velocius, quo magis recta pergat via; eo denique fortius et efficacius nos rapiat, quo magis certo ad unum impetu finem decurrat. Solis enim radii, qui dispersi pallent et hebescunt, in unum collecti non lucem modo afferunt, sed flammam: sic multis dispertitas rivulis aquas terra ebibit, quæ si modo in unum alveum compulsæ ac congregatæ fuerint, tunc intra ripas per arva lato flumine volventur.

Nec *unitas* varietati repugnat, sed ambæ simul conjunctæ plus ad voluptatem conferunt. Unum quasi princeps factum postulatur; multa minoris ordinis et ponderis non excluduntur, modo ad illud primarium spectent, invicemque et cum illo cohæreant; modo videantur, non ut in catena annuli, sed ut in corpore membra, quæ quamvis varia sint separatimque numerentur, sua tamen connexione ita comparata sunt, ut cuncta, non singula integrum faciant.

Ego, salva corporis unitate, maximam partium varietatem inesse jubeo. Ingerant hæ terrorem; illæ admirationem pariant; aliæ lacrymas eliciant; simplices, austeræ, magnificæ, dulces misceantur; longiores quædam lectorem morentur; plures prætercant cito, seque et nos præcipites impellant.

Episodia, illos carminis adventitios ornatus, idem peperit novitatis amor; sic quidem ad summam per-

tinentes, ut ab illa dividi queant; unde manifeste ab operis partibus ipsum quale est constituentibus permultum differunt: qualia sunt in Æneide, Nisi et Euryali facinus, multaque ibi sapientis poetæ manu consita: haud immerito diverticula quædam illa dixeris, quæ publicæ viæ fastidium amœnis stationibus levant. Sed in illis summa arte opus est. Primum episodia discrepare ab iis rebus quæ præcesserunt, quæve secuturæ sunt, oportet, idque eadem mutationis causa, quæ conditio illis suprema est. Insuper ipsa per se delectent animos, tum materia ad nostros affectus accommodata, tum etiam iis quæ affingentur ornamentis: nam nihil decet esse venustius quam quod venustatis causa supervacuum affertur. Tertia lex, ut et rara sint, et brevia; nam si vel crebriora occurrant, vel diutius detineant, periculum est, ne plus in via repetenda laboris quam in declinanda voluptatis fuerit, neve quod exornant nimium tegant, ac non tam pulchritudinis causa sint, quam oblivionis. Quartum, ejusdem periculi causa, exposcitur, ut episodia totum ad operis argumentum, vinculis, quæ facile deprehendi queant, alligentur, neque prorsus videantur abs re aliena: nam si nimium latuerit illud quo tenetur filum, tanquam Ariadneum, vix ac ne vix quidem tot inter ambages et tam sinuosos tramites poetam sequi sustineas, ipsum erranti similem et in cæco curriculo vagos miscenti gradus. Si vero consilium ducentis appareat, eumque viæ certum intelligas, fidenter tanquam Theseus aliquis ingredieris, nec te multiplices labyrinthi flexus et jam extricabilis error deterrebunt. Notissimum Caci Episodium; quamvis ab operis instituto diversum, non tamen

alienum est, quoniam Æneæ futura olim suorum regna perlustranti, nihil potest esse alienum, quod locorum postea tam illustrium nobilitatem inchoavit.

Carminis epici simulacrum sit ingens arbor. Aspice, qui ex ipso trunco dissiliunt, sive patentes undequaque, ramos, sive surgentes ad cælum, omnes nodosæ stirpi tenaciter fixos : eæ sunt actionis epicæ, quas diximus, partes. Episodia non ita differre videntur a surculis paulo supra arboris pedes crescentibus, et in ipsius umbra luxuriantibus; qui semel adulti præ se ferunt novarum quidem plantarum speciem, sed unius succo enutriti, illa nituntur, illius profundis sub humo radicibus adhærent.

Hæc sunt, quæ varietatem epici carminis efficiunt. Verum non satis est dulcia esse poemata, nisi eadem sint utilia, neque delectent solum, sed etiam doceant. Quod præstabit epicum carmen, si mores interea recte instituat, dum accurate describit. Et quidem vidimus inter ipsa mundi cunabula, poesim, legum interpretem, officiorum præconium suscepisse, eamdemque sacris præfuisse, et solemnibus deorum pompis sua miscuisse modulamina. Ita quum ex intimis penetralibus similis propheticæ voci exiret, non sine magna religione ab audientibus excepta, purum quiddam et cæleste resonabat. Posteaquam a pontificibus legumque latoribus descendit ad privatos, ne vel origine sua, vel iis, quas gesserat, partibus, indigna videretur, docendi consuetudinem retinuit, affinisque diis remansit, eo quod homines et beatiores efficeret atque meliores.

Sic Ilias reges populorumque duces a discordiis deterret. Odyssea fortitudinem cum prudentia jun-

gendam præcipit, quibus feliciter conspirantibus, homo superior omnibus vitæ periculis evadat. In cæteris item documenta ad vitam utilissima facile quivis potest reperire. Hoc igitur sibi proponat poeta; non tamen recta petat, ne quem scopulum intentus ipse oculis semper collimabit, eum præ fastidio aversentur lectores, aut dum pædagogium nimis profitebitur, discipulos ludo expellat. Doctrina quæ in philosophorum libris nuda petitur, hic nisi involuta non placet; et inveniatur potius oportet, quam incurrat; quemadmodum e sylvis pratisque fragrantibus odorem naribus jucundissimum oculi frustra quærunt, quemadmodum etiam sanguis integer sub cute intelligitur, neque per venas cernitur. Dulcior illa disciplina, sed efficacior quoque: nam lectores, regibus similes, ubi *male palpere, undique tuti recalcitrant.* At qui molles aditus sapientibus consiliis prætentaverit, ille utique persuadebit, quum, antequam rationem oppugnet, pectus jam occupaverit, et quasi per cuniculos progressus, mediam arcem teneat. Ergo præcepta absistant, nisi jucundissimis vestita formis, imaginibusque felicissimis adornata. Utile quodlibet germen e flore provenit : ac si Torquati Tassi lepida comparatione uti liceat, cujus nitor plurimo usu nondum detritus evanuit ;

« Sic maternus amor puero quem noxia læsit
« Temperies, calicis succos celantis amaros
« Pocula porrexit dulci rorantia melle :
« Deceptus tunc arte pia, puer inscius haurit,
« Infusamque bibit recreato pectore vitam. »

De MIRACULIS *in Epopœa.*

Nunc demum ipso cursu rerum devenimus ad conditionem epico carmini non minus necessariam; nempe ut sit miraculis plenum; ut intersint numina; moveantur plusquam humanæ vires; denique omnis modi prodigia terrorem aut stuporem afferant. Tale ingressos iter veteres poetas, cæteri secuti sunt, non tam exemplis parentes, quam suadente carminis natura; quod quidem sic maxime a cæteris distinguitur, et plurimum inde commodi trahit. Nam illud hominum cum diis commercium, et actionem ipsam amplificat, et scenam dilatat; et multas aggerit novas opes, crescente ornamentorum copia, convenientibus ad poetæ usum superis inferisque numinibus; jam fabula et veritate ad fulcienda morum præcepta mutuo se adjuvantibus; mille denique ex hoc fonte affluentibus bonis, quibus omnibus ingenium delectetur; suavissime moveatur animus; mens altius efferatur; narrationi denique major jucunditas accedat et majestas splendidior.

Miraculis indigemus, homines mendaciorum avidissimi: qui jam a teneris unguiculis Sagarum Magorumque monstris inhiamus; deinde milesias fabellas, in quibus omnia sunt commenta, sectamur; quovis denique ætatis provecti, ad spectacula currimus, quorum materiam veri quidem heroes et vera facta præbuerunt, cætera penes inventorem sunt. Quidni etiam audaciora in epico carmine laudemus, quod plusquam tragœdia, ostentatione gaudet? hic profecto coram juvabit intueri Deum ipsum naturæ imperantem, suasque pro arbitrio moventem leges;

parte alia, mortales ejus aut ope subnixos, aut ira depressos, perinde ac si in aliquem novum longeque supra nos positum orbem, et carminis actores, et ipse auctor, et nos lectores transferamur.

Non defuerunt tamen, qui, Marmontello præsertim duce, bellum epico carmini indicerent, nisi totam prodigiorum supellectilem abjiceret, seque intra veritatis fines, omisso hoc portentoso apparatu, contineret. Nos quoque, ne carminis dignitas aut vis imminui videretur, legem sanximus, ut ex historia quam maxime cognitos heroas acciperet. Sed neque illi suis partibus satis digne fungi, nec laudibus suis respondere satis digne possunt, nisi sacrosancti procedant, stipantibus diis auxiliumque præbentibus, aut minaciter et cum ira obsistentibus, ut de hominum illorum fatis curam gerant olympus, terra, inferi, et quidquid denique est, vel esse intelligitur. Sic illi quodammodo gigantes existent; sic epico carmini statuetur ordo suus in literarum regno primus; sic illud jam vere regium, et ante alia genera collocatum, exspectatam præstabit delectationem, pro qua debitam admirationem imperabit.

Sin minus; historia tantum rhythmo donata exhibebitur, quod (non timeo interrogare) cui bono? nam historiæ si nihil addas præter rhythmum, naturam ejus adulteres funditus, et formam parum exornes. Insistatur quantum libet in Lucani exemplo, et Pharsaliam pro se stare Marmontellus noster exclamet. Pharsalia, inquam, licet minime sim Lucani obtrectator, longe ab epici carminis virtutibus distat; quod scilicet nulla interveniente deorum cura, nullo circumfuso miraculorum splendore, facta ni-

mis angustantur, heroes manent nostri nimium similes, nec satis sui, et multo minus illic conspiciendi prostant, quam in historiarum monumentis, ubi vera saltem et nuda tantorum animorum facies apparet atque consistit.

Necessario igitur miracula sunt adhibenda, quæ tantummodo sic eligantur, ut temporis illius et gentis, de quibus agitur, religioni, aut si ita res ferat, superstitioni, modo jucundæ ac decoræ, caute sint et sapienter accommodata.

Illis qui decreto caverunt, ne poeta nisi ex suæ gentis annalibus argumentum duceret, obsequii minus deberi fateor. Est sane inter poetæ laudes numerandum, si pius civis patriam celebraverit; et sic, mulcendo superbas suorum aures, attentiores meretur. Non tamen ille Miltonus intra Britanniæ litora constitit, quem nemo ab epicis facile poterit segregare. Quanquam id quoque objicitur, illum si non suæ gentis, at quod multo satius est, totius orbis terrarum tractasse fata, et dum generis humani incunabulis majestatem addit, se nulla non de gente bene meritum, universis terris cecinisse.

Epopœa vult conscribi versibus.

Disputationi relinquendus est iste locus: magis constat Epos versibus esse conscribendum. Hoc enim quis ambigat, nisi qui versibus condendis impar ipse sit? Marmontellus tamen, haud ignobilis versuum auctor, contra sentit; isque metricam compositionem procul ab epicis narrationibus absistere, pedestrique orationi pegaseum equitatum cedere æquum censet.

« Rectus, inquit, sermo, liberior faciliorque, liben-

« tius flectitur ad exprimendam rerum varietatem, « eoque propius accedit ad veterum poematum in- « enarrabilem, quam versus nostri desiderant, suavi- « loquentiam. »

Nihil vanius; nam frustra gallicam Telemachiadem præ te feras: mirandum magis quam imitabile illud opus, multo, ut mihi quidem videtur, efficacius animos raperet, si, ut est veterum ingenio plenum, ita poeticis ad eorum instar deliciis floreret. Est sane recto sermoni sua laus, maximeque in iis scientiarum operibus, quibus satis est, si res pellucide ac simpliciter exponantur. Epicum vero carmen omni magnificentia gaudens, universas ad se trahit opes. Quidni genus quoque dicendi illud usurpet, quod numerorum jucunditate, varietate cæsurarum, invertendi licentia, verbis nunc apte suspensis, nunc deproperatis, aut ex industria gravatis, denique in nostrati idiomate, versuum similiter cadentium pæne musico strepitu, speciosius, immo verius exprimit imagines, et aurium favore certos ad intimum pectus ingressus habet?

Conclusio.

Hæ sunt, quas mihi proposueram explicandas epici carminis leges: ut materia sit grandis, ex historiis desumpta; ut actio una sit simulque varia, diversis, dulcibus, optime alligatis raro interstincta episodiis; ut moribus instituendis utilis sit; ut miraculorum frequentia stuporem, versuum compositione voluptatem, afferat: quas leges qui diligenter observarit, nisi cælestis ingenii flamma sit præditus, nondum erit epicus poeta: verumtamen omnium qui ad hanc

6. c

immortalem gloriam contenderunt, pauci qui pervenere, ab ea quam descripsimus orbita vix secesserant. Qui multorum ruinam vitare, paucorum victoriam adipisci voluerit, is, si eadem presserit vestigia, caute prudenterque fecerit. Temeritatis etiam felicis dubiam laudem salutaris consilii fructibus num anteponat? num alios recuset imitari, dum cæteris imitandus ipse proponatur? Amentes pudeat sapientibus esse similes.

Nec ignoro quorumdam indolem multum a consuetis viis abhorrentem, aspera et ardua libenter sequi, ne si quando culmen tetigerint, alicujus adjuti vestigiis, illum laudis suæ participem habeant. Quorum ego conatus adeo non despicio, ut minime vulgaribus ingeniis fatear aptum hoc esse vitium; sed vitium tamen. Singulari quippe superbia mentis obcæcati, dubia pro certis et pro solidis vana quærunt. Igitur ex inauspicato partu præstantis quidem, sed non consilio fecundatæ cogitationis, nova quædam monstra carminum prodeunt, tanquam abortivi fetus, in quibus formosæ matris lineamenta quædam quum reperias, majus inde suboritur fastidium, quid sint et quales futuri fuerint, comparanti.

Quidquid autem est abnorme, cito exstinguitur. Vos ergo quibus cordi sunt posteritatis laudes, et palmæ semper crescentis honos, vos futuræ pignus immortalitatis ex præteritis ætatibus quærite: versentur vobis ante oculos Homerus Virgiliusque stipati tot sæculorum, tot gentium veneratione. Nondum ex illorum temporibus quidquam mutati, et nunc senioris quam ut facile mutetur, generis humani suffragia, utrique parta, vos paribus modis et simili ambitu captate:

Sequimini clarissimorum ingeniorum præfulgentia in summis Parnassi verticibus duo sidera; non ignes vagos et perfidum micantes, quibus decepti non sine labore tandem eo perveniatis, unde præcipiti lapsu impulsos voluntariæ ruinæ turpe maneat opprobrium. *Classici* denique sitis; classicos auctores diligite, amate, complectimini. Nobis aliquid profectum erit, si pro nostra virili parte navata opera effecerimus, ut cognita pluribus, a cæteris rectius æstimata, præsertim sibi reddita et ab alienis vindicata erroribus veterum scriptorum miracula, ingruentis in bonas antiquasque literas barbariæ impetum, etsi per se satis valent, paulo tamen firmioribus propugnaculis retundant.

N. E. LEMAIRE.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER PRIMUS.

(Vide Argumentum generale, vol. II, p. 57.)

ANALYSIS.

VIRGILIUS præmittit carmina, quæ de re sylvestri atque agresti adolescens scripserit; mox proponit argumentum divinæ Æneidos: ea continet Æneam, Æneæ arma, cursus, labores, Deorum in eum sævitiam; ejus in perferendo constantiam, qua Trojæ penates intulit in Latium: a quo viro originem habuere Latini, Albani, Romani; 1—7. Post propositionem invocat Calliopen, quæ præest heroicis vatibus. Præmissa propositione et invocatione, est jam in aditu narrationis, ubi describitur Carthaginis antiquitas, origo, situs, divitiæ, studia militaria, supraque omnia favor Junonis, et favoris hujus argumenta: deinde adhibet causas, quibus Juno irata in Trojanos: prima ducitur ex futura Romanorum, altera ex præterita Trojanorum potentia; quatuor ex propria Junonis ipsius persona; 8—33. Navigant Trojani ex Sicilia in Italiam, secundo vento: Juno dolorum retinentissima, seipsam ad novas iras concitat exemplo Palladis, quæ inferius numen, ulta est acriter hostem suum; 34—49. Irata Juno tendit ad regiam Æoli, quæ ex occasione describitur; simulque hujus dei potestas in ventos; ventorumque ipsorum impetus, quos Juppiter compressit compulsos in carcerem, ac dato rege, cui parerent; 50—64. Petit Juno ab Æolo, ut Trojanis navigantibus in Italiam tempestatem immittat: quod ut faciat, allicit matrimonio Deiopeiæ, nympharum suarum pulcherrimæ, et spe magna honestissimæ prolis suscipiendæ. Promptus est Æolus ad parendum Junoni; operam suam pollicetur; narratque beneficia quæ ab ea acceperit; 65—80. Æolus portam aperit ventis tribus; ruunt illi agminatim, et momento temporis omnia commiscent: clamant nautæ ad subitum malum; rudentes stridunt; adveniunt tenebræ; cœli intonant; micant fulgura; mors præsens omnes perterret; 81—91. Æneas ad subitum malum expavescit; ingemit, sublatisque ad cælum manibus, illos bea-

tos putat, qui cum gloria ceciderunt ad Trojam sub diro hoste; 92—101. Affligitur ab Aquilone navis Æneæ; tres ab Noto, tres ab Euro; adjungitur naufragium Lycioram; complent exitium aliæ quatuor naves: omnia variis casibus discriminantur; 102—123. Sentit Neptunus in imis sedibus atrocem tempestatem; graviter commovetur; caput effert; rem esse videt, ut senserat: intelligit statim Junonis dolos; ventos ad se advocat, atque increpat verbo tantum, illosque ad Æolum exterminat eum mandatis plenis contumeliarum; 124—141. Placat Neptunus maria sua et marinorum numinum opera: res tota comparatione exornatur; 142—156. Trojani in proximam Africæ oram concedunt, quo tempestas compulit: ibi naturalis describitur portus: descriptionis pars duplex; prior loci munimen ad naves, posterior delicias continet. Intrat portum Æneas cum septem navibus, quas illi tempestas fecit reliquas; 157—173. Achates ex silice ignem excitat; reliqui cibos parant; Æneas interim conscendit scopulum, si videat pelago errantes, aut viros, aut naves; 174—183. Videt navem nullam; tantum in litore cervos tres, quos reliquum agmen sequebatur; interficit septem pro navium numero; inde ad portum, ad socios redit; 184—197. Firmat animos Trojanorum; tum maximis laboribus, quos jam perpessi sunt, unde fit, ut præsentia mala mirum in modum extenuentur; tum spe futuræ felicitatis, ut in posterum accendantur ad omnem calamitatem perferendam; 198—207. Post orationem Æneæ, milites jam alacriores, accingunt se parandis ad escam cibis, quibus deinde reficiuntur, viresque recuperant. Post epulas studiose amoes inclamant socios, qui fuerant tempestate abrepti: Æneæ inprimis pietas spectatur, auditur gemitus; 208—222. Inducitur Juppiter omnia ex cælo contuens, mare, terras, litora, populos, et inprimis Africam; 223—226. Jovem de humanis rebus cogitantem Venus cum lacrymis invadit; benevolentiam illius colligit; querelas proponit, urgetque argumento ducto a promissis ipsius Jovis, qui Rumanos imperatores rerum omnium potituros prædixerat, quod fieri nequit exclusis Trojanis ab Italia, ex quibus illi originem essent ducturi; 227—241. Argumento Antenoris, qui Troja ad Italiam pervenit, magnis laboribus superatis, conatur Venus Jovis animum pervincere, ut Æneas, qui pius est, et ipsius Jovis nepos, Italia non excludatur, iracundia Junonis; 242—253. Juppiter placidum se Veneri præbet, illam osculatus; deinde sequentis orationis exordium constituit; quo fata immota fore, Lavini urbem construendam, Æneæ apotheosin promittit; 254—260. Dividit Juppiter sermonem suum in partes quinque: prima continet Æneæ in Italia victoriam; leges quas daturus victis; urbem quam structurus; tempus regni illius. Secunda Ascanii imperium; urbem Albam, quam ædificaturus est; tempus quo regnum mansurum in ea urbe: tertia Romuli et Remi natales; Romæ auspicia et prima fundamenta, et inde Romanum imperium; Junonis reconciliationem; Romanorum dominatus in Græcos. Quarta Julii Cæsaris natales, imperium, famam, apotheosin; 261—290. Quinta felicitatem pacemque Augusti; Jani portas clausas, furoris intus abditi vinctique, ac

frementis pulcherrimam descriptionem. Huic toti narrationi plurimum laudis accedit, quum fiat ore Jovis, quod procul dubio vidit vigilantissimus poeta, qui Cæsarum laudes summo numinum recensendas attribuit; 291—296. Juppiter ut re confirmet, quæ ore dixerat, citissime Mercurium mittit, ut Trojanis aditus pateat in Africam et Carthaginem: descendit ille volatu celerrimo; jussa explet; furorem Afri deponunt; Dido tranquillo est animo; 297—304. Redit poeta ad narrationem Æneæ, qui primo diluculo constituit explorare, quæ essent ea loca, ad quæ appulerit, ut suis referrat: classem interim sub rupe occultat, interque arbores densissimas; ipse cum Achate amicissimo proficiscitur; 305—313. Offert se Venus nato in media sylva, vultum et habitum gerens virginis Spartanæ venatu gaudentis: illum prior ipsa rogat, quæsita ad loquendum occasione; 314—324. Visa Veneris pulchritudine, in ejus laudes nescius erumpit: petit, ut doceat ubi gentium sit; ubi terrarum; nam eo tempestate appulsus, ignarus est omnium: et ut rogata impetret, hostiam promittit, aliquid suspicans de divinitate; 325—334. Respuit Venus honorem divinitatis, et Æneæ suspicionem avertit, habitum conferens in morem patriæ: accingit se deinde ad narrationem de rebus Carthaginis; et breviter complectitur, quæ multis deinde; 335—342. Confert poeta in hos versus longissimam historiam; Sichæi opes; Elisæ amorem erga illum, nuptiasque; Pygmalionis avaritiam, furorem, scelus, simulationem; rursus Sichæi imaginem ad Didonem in nocturna quiete, scelus thesaurosque aperientis, et suadentis fugam: Didonis demum profectionem, et initia Carthaginis: considera, ut poeta sibi respondeat; nam ut res Romanas Jovi narrandas commisit, ita res Carthaginis alteri numini; 343—368. Tria rogat Trojanos Venus, qui sint? unde venerint? quo iter teneant? cui filius profectum se Troja respondet; se esse Æneam notum satis fama; Italiam quærere. Obiter docet fortunam pristinam; deinde miseriam ad quam compulsus est; 369—386. Erigit Venus natum lætissimo nuntio classis recuperandæ, quam ille amissam putabat; confirmat nuntium felicissimo augurio; monstrat viam ad Carthaginem; 387—401. His dictis, Venus abiit, multis indicans divinitatem suam; illam natus incusat; tendit deinde Carthaginem septus nebula, una cum Achate; Venus Paphum abiit ubi illi sacra fiunt, thure et floribus; 402—417. Post discessum Veneris, illi pergunt Carthaginem, atque ex colle, qui contra urbem erat, vident celeberrimæ urbis ædificium, quod poeta pulcherrime et late describit. Deinde labor Carthaginiensium illustratur, comparatione apum operi suo perquam sedulo incumbentium. Tertio Æneas Pœnorum laude prædicata, illis se admiscet, non visus; 418—440. Videt Æneas jam propius, quod omen Pœni habuerint ad urbem condendam. Aggreditur deinde poeta fictionem, qua nulla aptior ad stuporem Æneæ, salutemque sperandam; 441—452. Videt enim Æneas Trojana bella in templo Didonis affabre depicta; admiscentur varii et stupendi affectus; 453—465. Sequitur discriminatim Trojani belli descriptio; signatur fuga mutua jam Græcorum, jam Trojanorum; Rhesi, et Troili cædes

cum magnis affectibus; 466—478. Eunt Trojanæ fœminæ cum donis ad Palladem, quæ non ideo lenitur: Hector raptatur, venditur ab hoste patri supplici: agnoscit se in pictura Æneas, Memnonem et Penthesileam; 479—493. In ipsa spectandi aviditate et medio Æneæ stupore, Dido ad templum venit; comparatur egregie cum Diana; 494—504. Sedet Dido in solio; dat jura; laborem suis distribuit: videt subito Æneas Teucros, quos in tempestate vel undis periisse, vel longe alio avectos crediderat: quæ res illum vehementer Achatemque perculit; spectant quem exitum habitura sit res; 505—521. Colligit Ilioneus benevolentiam; Afrorum vim deprecatur; avertit a se rapinarum suspicionem; docet, quo cursum Trojani tenéant; 522—534. Aperit tempestatem, qua vexati sunt Trojani; queritur de immanitate incolarum; 535—543. Narrat jam, quem regem habuerint, quas urbes socias; petit tempus reficiendis navibus, quibus vel in Italiam contendant, si Æneas vivit; vel, eo mortuo, in Siciliam ad Acestem referantur; 544—560. Orationi Ilionei respondet Dido; diluit objecta; omnia humanitatis officia in Trojanos omnes, in unum præsertim Æneam benignissime pollicetur; 561—578. Redit poeta ad Æneam et Achatem, qui omnia exceperant nube abditi, ex qua exire gestiebant, quum omnia tuta esse cernerent ex animo Didonis; classem receptam; recuperatos socios, ut prædixerat Venus: hæc Achatis ore efferuntur. Nubes tandem scinditur; apparet Æneas pulchritudine splendidus ultra mortalem; hæc comparationibus illustratur; 579—593. Sequitur oratio Æneæ ad Didonem, in qua ille, quis sit, certis signis declarat: reginæ gratias agit; bene memorem se fore pollicetur, Deosque orat, ut tantum beneficium persolvant; erumpit in laudes Didonis; socios complectitur; 594—612. Ad insolens spectaculum Dido obstupescit: narrat unde Æneas ipse, et res Trojanæ sibi jam olim notæ fuerint; omnes perhumaniter invitat; 613—630. Ducit Æneam ad regiam; Diis honorem indicit; mittit munera Trojanis, qui remanserant in portu. In parte autem regiæ interiore, omnia ad epulas splendidissime apparantur, ubi tapetia magnifica; argentum aurumque præcipuæ cœlaturæ; 631—642. Vult Æneas, vere pater, Ascanium filium tantæ lætitiæ participem facere, et Achatem ad naves mittit cum triplici mandato; ut perferat ad filium dona accepta a Didone; ut ipsum e portu ad urbem perducat; ut filius idem e navibus dona afferat, quibus liberalitati reginæ satisfiat; 643—656. Venus interim, quo omnia firma sint et munita adversus insidias Junonis, et Pœnorum dolos, cogitat pro Ascanio Cupidinem supponere, cujus, prius quam causam aggrediatur, benevolentiam captat; 657—666. Revocat Venus Cupidini in memoriam odium Junonis adversum Æneam; docet quem locum hujus res habeant nunc apud Didonem, quæ ne illius sævitia immutentur, oportet ut ipse Ascanii formam, noctem unam, capiat; reginamque per convivium inter amplexus atque oscula in amorem Æneæ incendat: Ascanius interim alicubi lateat altissimo somno correptus; 667—688. Paret Cupido Veneri: hæc Ascanium dulci et alto somno correptum in Idalii nemoris loco constituit mira amænitate

consito : pro hoc Amor ad reginam cum Achate et donis contendit : illa in medio lecto ad epulas accumbit ; 689—698. Describuntur magnifici convivii apparatus ; ministri utriusque sexus ; sacra quæ inter epulas ; admiratio ad visum Cupidinem sub forma Ascanii : mores obiter multi, et varii attinguntur, qui pertinent ad convivia ; 699—711. Describuntur dona Æneæ ; vultus et verba Dei simulata ; animi Didonis occulto igne ardescentes ad visum Cupidinem ; 712—722. Amovetur mensa prima ; intercedit spatium inter hanc, et secundam : tum sacra fiunt ; fit mentio lucernarum, quæ pars præcipua apparatus convivii ; 723—727. Implet Dido pateram, ut libet, quod ex more fiebat, ablata mensa prima ; hanc libationem præcedunt preces ad Jovem, Junonem, Bacchum ; 728—735. Libat Dido ; dat poculum Bitiæ ; ille haurit ; sequitur musica, et cantus ex more, et docte omnia ; 736—747. Explicatur æstus Didonis, et amoris flammæ, quas jam conceperat : tum amoris hujus argumentum ; videlicet aviditas audiendi, sciendique ab Ænea res Trojanas ; quæ res occasionem præbet sequentibus duobus libris, secundo et tertio ; 748—756.

EXPLICATIO.

N. B. Servo in Æneide eumdem tenorem, quem tenui in Eclogis, et Georgicis : una enim et eadem opera poetam et explico, et expendo. Notæ deinde suum habebunt locum. Ergo ait, se *quondam* juvenem modulatum fuisse *carmen* Bucolicum, idque *avena gracili*, ut decebat scribentem res pastoritias : deinde egressum se e sylvis, in quibus sunt pastores, fecisse, uti arva, quæ habent vicinitatem quamdam cum sylvis, coacta præceptis rusticis ut *parerent colono* quantumvis *avido* atque avaro : quod *opus* necessario *agricolis gratum*. Dicit *modulatus* verbo pastoritio, et rustico ; cui mox opponit verbum *cano*. Una sane Calliope Musarum Regina canit ; cæteræ modulantur : cum hoc verbo proprie avenam conjungit, quæ pastoritia item est, et huic dat commode gracilitatem. Sed

NOTÆ.

A. *Ille ego, qui quondam.* Etsi homines, cætera non indocti, callide disputant, et argumentis ingeniose excogitatis pervicisse existimant, quattuor hosce versus *Æneidi* quasi anteambulones, a Virgilio neque factos, neque majestate hujus operis dignos ; tamen observabo, quam humili sermonis forma exorsus, cum ipsa rerum, quas tractabit, natura, altius atque altius dicendo adsurgat : ut possis existimare, ipsum Poetam hac triplici orationis figura innuisse, Georgica Bucolicis, et Æneida Georgicis tantum præstare, quan-

quam optime illud *sylvis vicina!* exprimit affinitas vocum affinitatem sylvarum et pastorum cum agris et agricolis: deinde quid conferas cum verbo *coegi?* etenim tellus veluti invita leges accipit, teritur, domatur, sauciatur, patitur vomeres et rastros: inde statim *arva parerent;* nam agricola *imperat arvis.* Sed quare *gratum opus agricolis?* hoc, me tacente, scis ipse: nemini suus proventus gratior est, quam agricolæ; non militi, non mercatori: nam lucro suo impense delectatur: deinde simplicitas, qua lucrum quæritur, gaudium cumulat.

tum secundus versus distat a primo, quartus a secundo. *Taubm.*

B. *Vicina coegi.* Pleræque, quas vidi, editiones post *coegi*, distinctionem habent; sed Henr. Stephanus nullam hic interpunctionis notam desiderari in Scholiis Virgilianis monet; conjungenda quippe esse *arva vicina.* Quod agriculturam tractaverit post Bucolica, asseritur iis verbis; *egressus silvis:* in silvis enim pascebantur pecora, ut ex Turn. I, 5, id notum est satis. *Emm.*

C. *Quamvis avido.* Pro *quantumvis.* — *Avido.* Aristoteles Politic. VI, 4; loquens de agricolis, μᾶλλον ὀρέγονται τοῦ κέρδους ἢ τῆς τιμῆς: *lucrum potius quam honorem appetunt.* — *Parerent.* Ita Plinius, II, 63, terram vocat *ancillam*, et *famulam.*

EXPLICATIO.

1. Post sylvas et pastores; post agros et agricolas, adest Æneidos initium; *at nunc horrentia Martis Arma virumque cano.* Cum hac tuba quam conferas? totum opus Æneidos continetur his duobus verbis, *arma virumque* æqua librorum portione: de viro enim id est, de Ænea, agit sex prioribus; de armis, sex posterioribus: nihil dici συντομωτέρως potuit: ergo, *cano arma*, et hæc *horrentia*, et hæc *Martis;* et cum illis una *virum* bello acrem, fortem, Mavortium. Quid non, his concipis? quid non spectas? nam quum *virum* audis, virtute, bello, armis præstantem intellige: quæ vox, non dubium quin hic ponatur antonomasticôs: sequitur, *Trojæ qui primus ab oris*, etc. Tota hæc oratio ita Æneam signat, ut nemini præterea conveniat: nam tametsi unum aut alterum Antenori conveniat, aut aliis: sed non omnia simul: quis alius fuit præter Æneam,

NOTÆ.

1. *Arma virumque.* Multi varie disserunt, cur ab armis Virgilius cœperit; omnes tamen in hoc assentire manifestum est: quum enim constet aliunde eum sumpsisse principium, intelligamus tamen per *arma* bellum significasse, et est tropus Metonymia: nam arma quibus in bello utimur, pro bello posuit: sic toga, qua in pace utimur, pro pace ponitur: ut Cicero: « Cedant arma togæ », id est, bellum paci. — *Arma virumque.* Figura usitata est, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus. Nam prius de erroribus Æneæ dixit: post de bello. Hac autem figura etiam in prosa utimur. *Serv.* — *Virum.* Non dicit quem: sed circumstantiis ostendit Æneam: et bene addit post *arma*, *virum*, quia *arma* possunt et aliarum artium instrumenta dici, ut *Cerealiaque arma. Cano* Polysemus sermo est: tria enim significat: aliquando laudo; ut, *Regemque canebant:* aliquando divino; ut, *Ipsa canas oro:* aliquando canto; ut in hoc loco: nam proprie canto significat, quia cantanda sunt carmina. *Serv.* — *Trojæ. Troja* regio est Asiæ; Ilium civitas est *Trojæ*. Plerumque tamen usurpant Poetæ, et pro civitate, vel regionem vel provinciam ponunt. Juvenalis: « Et flammis Asiam ferroque cadentem. » Probus ait *Trojam*, *Graios*, *et Ajax*, non debere per unam i scribi. *Serv.* — *Ab oris.* Species pro genere; nam *oras* terras generaliter debemus accipere: sane præpositionem mutavit, nam ex *oris* melius potuit dicere. *Serv.*

2. *Italiam.* Ars quidem hoc exigit, ut nominibus provinciarum præpositionem addamus, civitatum nunquam: tamen plerumque hoc perverso ordine lectum est; nam ecce hoc loco detraxit provinciæ præpositionem; dicens *Ita-*

qui *ab oris Trojæ*, qui *in Italiam*, et signate ad *Lavina litora*, qui *profugus fato*, qui *jactatus terris, et alto*, qui *vi superum*, et inprimis *Junonis*, venerit? neminem dabis.

5. Dixerat, *Cano arma, cano virum:* de viro jam audisti, fuisse illum profugum, jactatum, etc. restabant arma; ideo, *Multa quoque et bello passus:* intelligit Latina arma, quibus implicatus cum Turno Æneas: in quibus quid non passus? Passus vero ista est, *dum conderet urbem*, scilicet Lavinium;

liam venit, pro *ad Italiam*. Serv. — *Fato profugus. Fatum* ad utrumque pertinet, et quod fugit, et quod ad Italiam venit: et bene addidit *Fato*, ne videatur aut causa criminis patriam deseruisse, aut novi imperii cupiditate. *Serv.*

3. *Litora.* Laurolavinium constat VIII millibus a mari remotum: nec nos debet fallere, quia dixit *Lavina litora*. Litus enim dicitur terra quoque mari vicina: sicut ipse Virgilius in quarto, *Cui litus arandum*, quum per naturam litus arari non possit. Ergo sciendum litus et terram dici posse. *Serv.* — *Multum ille et terris jactatus et alto.* — Alia cum propositione divisio est: scribit enim quæ mari, quæ terra sit passus; et hæc libris sex prioribus continentur. — *Et terris jactatus.* Fatigatus est enim apud Thraciam monstro illo, quo de tumulo Polydori sanguis emanavit: apud Cretam pestilentia: apud Strophadas insulas Harpyis: tempestate vero et in primo, et in tertio. Jactamur autem in maris fluctibus, fatigamur in terris: et bene duorum elementorum mala uno sermone conclusit. *Serv.*

4. *Vi superum*. Violentia deorum; secundum Homerum, qui dicit a Junone rogatos esse deos in odium Trojanorum. Latenter defendit hac ratione Trojanos, quod non suo merito eos insequebantur numina, sed Junonis impulsu. Multi *Vi superum*, posse accipi dicunt Irim, Æolum, Juturnam, Junonem, sed melius judicant, vi quam superi habent. *Serv.* — *Vi superum*. Vis est quum fit aliquid contra leges, id est, contra fatum. Ut autem ostendat nihil tale de superis meruisse Æneam; addit: *Sævæ memorem Junonis ob iram*. Ergo non propter culpam Æneæ fecerunt superi, sed ut obsequerentur Junoni, tanquam omnium reginæ. Purgatur igitur Æneas, et deformatur Juno adversaria. *Donat.* Vide Excursum I°, tom. II, nost. Edit. pag. 167.

5. *Multa quoque et bello passus.* Hoc ad posteriores sex pertinet libros, in quibus agitur de bello contra Turnum. — *Dum conderet urbem;* Lavinium; in quam Deos et sacra intulit; quæ primum Albæ, dein Romæ parens fuit. Servius male tres significationes attulit, Trojæ, Lavinii et Romæ. Hæc Troja, quam fecit statim post adventum in Italiam Æneas, lib. VII, 159, castrorum potius quam *urbis* speciem præbuit; neque hujus ulla mentio postea facta est. Non melius de Roma, neque de Alba; nam hic indicatur urbs illa, quam inter bella condidit, et ex qua orti sunt *Albani patres* et *Romæ* Quirites.

dum *inferret Latio Deos*, id est, patrios et Trojanos: *unde*, id est, a quo Ænea ductum *genus Latinum*: orti sunt *patres*, id est, Reges, *Albani*: tandem constituta sunt *Romæ mœnia*.

8. Sequitur invocatio, quam separat a propositione; atque Æneæ constantiam attingit, et iras Junonis. Sed cur Musam invocat? quia nescit ipse causas, cur irata Jūno ita pertinax in Æneam fuerit: quis enim credat tanto dolore Deorum Reginam percitam, *ut impulerit adire tot labores, tot casus volvere virum pietate insignem?* cur ergo in tanta innocentia tam infanda patitur? cui favebunt superi, si pietati non favent? inde nata admiratio illa conjuncta cum exclamatione, *tantæne animis cœlestibus iræ!* quam qui satis capit, vatem ipsum censebit esse summum.

12. Præmissa propositione et invocatione, est jam in aditu atque in vestibulo narrationis. *Carthago*, inquit, *urbs fuit antiqua*: en tecta et ingeniosa adulatio: si *fuit*, non jam est, ut

6. *Inferretque Deos.* Penates, vel suam genituram. — *Latio.* Hoc est *in Latium*: et est figura usitata apud Virgilium. *Serv.* — *Unde.* Disputat Servius, quo referri debeat τὸ *Unde*: an ad Latium, an ad Æneam, qui *Latinos populos*, ut inquit Justinus, *condidit*. Sed Nascimb. ad utrumque ait referri posse: quum in Latio conditi sint, et nuncupati *Latini*, qui prius *Aborigines* dicti.

7. *Albanique patres.* Albam ab Ascanio conditam constat: sed a quo incertum, utrum a Creusæ an Laviniæ filio; de qua re Livius dubitat. — *Altæ mœnia Romæ.* Aut propter gloriam; aut propter ædificia ingentia; aut quia in montibus collocata est. *Serv.*

8. *Musa, mihi causas memora.* Sane in tres partes Poetæ dividunt carmen suum, proponunt, invocant, narrant. Plerumque tamen duas res faciunt, et ipsam propositionem miscent invocationi, quod in utroque opere Homerus fecit; namque hoc melius est. — *Quo numine.* Ideo trahitur in ambiguitatem, et requirit in quo Junonis numen læsit Æneas, quia in ipsum certa non erant odia, sed in gentem, propter caussas, paulo post dicendas. Alii *numen* voluntatem accipiunt. *Serv.* Vide supra, tom. II, pag. 170, Excursum I †; et notas pag. 61.

11. *Tantæne animis cœlestibus iræ.* Hic jam non de qualitate iracundiæ quærit, sed de quantitate; nimia etenim ira est, quæ pietatis non habet considerationem: et hoc quidem secundum Stoicos dicit; sed miratur cur *tantum*: nam Epicurei dicunt deos humana penitus non curare. *Serv.*

12. *Urbs.* Urbs dicitur ab orbe: quod antiquæ civitates in orbem fiebant: vel ab urbo, parte aratri, quo muri designabantur: *Antiqua* autem, et *Fuit*, bene dixit: namque et ante LXX annos urbis Romæ condita erat: et eam deleverat Scipio Æmilianus. *Serv.*

quæ eversa Romanis viribus. *Tenuere* illam *coloni Tyrii*, qui una cum Didone profecti sunt e Tyro in ea loca Africæ: porro verbo isto *teneo* sæpe scriptores explicant illos, qui novas sedes occupant. Sed ubi sita Carthago? *contra Italiam*, id est, e regione Italiæ: ubi signatius? *Longe contra ostia Tyberina;* scilicet, sita est in Africa contra eam partem Italiæ, qua Tyberis in mare influit. Quæ vero est ista urbs, inclyta opibus, armorum studio, Junonis numine? Extremum dilatat: nam *unam* Carthaginem *Juno fertur coluisse magis terris omnibus:* quin illam prætulit Samo, ubi hæc Dea nata, nutrita, impense culta: amoris hujus et pretii signa sunt, arma et currus hujus Deæ, quæ posita in Carthagine; sed præcipue favor, quo illam prosequitur: nam, si per fata liceat, eo destinat studia sua Juno; eo tendit, ut Carthago imperet omnibus gentibus, non Roma; idque conatur ex quo constituta primum Carthago est; nam hoc est, *jam tum.* Notat prudenter Jul. Scaliger datam a poeta eminentissimo normam laudandæ urbis ab antiquitate, conditoribus, situ, opibus, studiis, favore numinum, demum a cælestibus monumentis.

19. Sequuntur sex argumenta quæ animum Junonis inflammabant. Primum sumitur a futura Romanorum potentia, qui ducturi essent originem a Trojanis; qua potentia oppressuri essent Carthaginem, atque eversuri urbem illam totius Africæ arcem: nam Parcæ jam destinaverant, ut Romanus popu-

13. *Italiam contra.* Constat tria latera habere Italiam, superi maris, inferi, et Alpium: unde tollens caussam erroris adjecit: *Contra Tiberina ostia*, quæ in infero mari sunt; aut certe ideo *Italiam contra*, quasi de æmula dictum accipiamus, ut non tantum situ, quantum et animis contra. *Serv.*

14 *Studiisque asperrima belli.* Caussam ostendit mirabilem, dicens hos et bellicosos et divites, quum otiosa sit semper opulentia. Jure ergo hanc diligit Juno, et vult orbis regna sortiri. Quæ res odia ejus in Trojanos exagitat, et bene *studiis* non *studio*, quia tertio rebellavit contra populum Romanum. *Serv.*

16. *Posthabita.* Non contempta: sed in secundis habita. — *Samo; Hic.* Hujusmodi *Complosionis* sive *hiatus* exempla notantur aliquot triginta in Virgilio, summo judicio facta. Vide et Scalig. IV, 48. *Taubm.*

19. *Progeniem.* Vel Romanos; vel ut quidam volunt Scipionem, qui Carthaginem diruit. *Serv.*

21. *Hinc populum late regem.* Scilicet Romanos: laudat autem eorum imperium, dicendo *populum.* — *Late regem*, pro late regnaturum.

22. *Volvere Parcas.* A filo traxit volvere, aut a libro; una enim loquitur, altera scribit, tertia fila deducit: et dictæ sunt *κατὰ ἀντί-*

lus ortus a Trojanis latissime imperaret, bello esset superbus ac maximus, atque id in perniciem Libyæ; en primus stimulus; sequitur alter.

23. Metuebat Juno superiora; deinde stimulabatur, postquam occurrebant præteritæ Trojanorum opes, quibus contra Græcos pugnaverant; in quo bello illa principem operam pro Græcis navaverat : nam hic *prima* princeps est : quum ait *metuens*, vide laudem tacitam : metuit quippe Dea homines; Juno Romanos.

25. Restant reliqua quatuor argumenta, ducta ex propria Junonis ipsius persona, quibus omnino indicatur Æneas culpa omni vacare. Sunt illa *judicium Paridis*, quo Venus in pulchritudine Junoni et Palladi prælata est: inde seges irarum in utraque Dea, quas tamen efficacius retinuit Juno. Deinde *injuria spretæ formæ*, est hæc secunda dolorum causa : sed quæ tertia causa? *Et genus invisum.* Dictum hoc propter Dardanum, a quo Trojani, filium Jovis ex Electra pellice, unde consequitur Trojanos omnes invisos esse Junoni : habent enim novercæ in summo odio filios natos ex pellice. Extrema causa, *et rapti Ganymedis honores.* Trita est fabula. Sed cur Juno pungebatur? quia in honore ministrandi Jovi prælatus est Ganymedes Hebæ, quæ erat Junonis filia; neque utcumque prælatus; imo amota illa, ille substitutus.

29. Ex præcedentibus argumentis concludit, quo odio adversum Trojanos Juno flagraret. Constituit etiam notas hujus odii pares tantæ indignationi, videlicet a fortuna, quam passi; nam jactabantur, arcebantur, errabant : a loco ubi passi, nam jactabantur toto æquore, arcebantur a Latio, errabant

φραση; quod minime parcant, sicut lucus a non lucendo, bellum a nulla re bella. Nomina Parcarum, Clotho, Lachesis, Atropos. *Serv.*

23. *Id metuens.* Archaismos sane : de futuro enim Timor est; Odium, de præteritis : metuebat ergo Carthagini; Odium autem habebat propter causas sequentes : et est de utroque exemplum, infra 361 : « Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni, aut metus acer erat. » *Serv.*

24. *Prima.* Atqui Hercules prior contra Trojanos pugnavit : unde modo *Prima* princeps accipienda est, vel inter primos, vel olim.

26. *Alta mente.* Secreta, recondita. — *Repostum.* Syncopa est : unam enim de medio syllabam tulit. Sed quum omnes sermones aut integri sint, aut pathos habeant : hi, qui pathos habent, ita ut lecti sunt, debent poni, quod etiam Maro facit; nam *Repostus* et *porgite* de Ennio transtulit; integris autem et ipsis utimur, et eorum exemplo aliis. *Serv.*

circum omnia maria: demum a tempore quo passi; nam calamitates istæ duraverunt per annos multos. Maluit ita dicere, quam signare annorum numerum, ad incrementum orationis. Notet lector superiorem orationem pendere usque ad verbum *arcebat*, et sic conjungat: Juno id metuens, et accensa acceptarum injuriarum dolore, arcebat Trojanos longe a Latio.

33. Post tot odia Junonis, post tot errores Trojanorum, sequitur aureum epiphonema ad Romanæ gentis gloriam. Quæ futura sunt magna, necesse est ut per magnas difficultates ad incrementum perveniant. Quantam putas Romam fore, ante cujus ortum subeunda fuit irarum machina, toleranda laborum series, cædium tragœdia quædam peragenda? Armatur quippe Juno, ne nascatur; et tamen nascitur invita Dea: quanta ergo illa futura est! ergo *tantæ erat molis condere Romanam gentem*, quia illa futura erat magna.

34. Post propositionem, invocationem, narrationis aditum, jam vere est in ipsa narratione. In aditu narrationis causas recensuit irarum Junonis, quas ut Musa referret, in invocatione petiverat; quibus absolutis jam narrat. Ducit narrationis initium a septimo anno, postquam, diruta Troja, Æneas navigabat, quo scilicet tempore e Sicilia in Italiam transmittebat. Jam ad rem: *vix vela dabant* Trojani, et quidem *læti*, ut qui jam ferme in manibus habebant Italiam; et *vix*, quia erant pæne in ipso portu; nam in conspectu Siciliæ: tuta erant omnia, et tranquilla; neque enim, nisi tranquillo mari, illi solvissent: quum subito Juno illos speculata adest cum minis: omnia conturbat, ut quæ injuriarum retinentissima, servabat enim *æternum vulnus*, et hoc *sub pectore*, nam illud altissime penetraverat. Non potuerunt latere iræ: itaque

30. *Relliquias.* Ut stet versus, geminavit *l*: nam in prosa *reliquias* dicimus. *S.*—Tamen in nostro textu non geminavimus, vett. C.C. secuti.

32. *Acti fatis.* Si fatis, nulla Junonis invidia est, si odio Junonis, quomodo *acti fatis?* Sed hoc ipsum Junonis odium fatale est; laborat enim Virgilius, nil Trojanorum meritis, sed omnia fatis ascribere. Est et alter sensus: nam *fatum* voluntatem legimus: ut, *fatis Junonis iniquæ*, id est, voluntate: ut hic intelligamus, agebantur fatis Junonis, id est, voluntate. *Serv.*

33. *Molis.* Difficultatis. — *Tantæ molis.* Non fiunt sine magno labore magna. Laudatur autem Æneas, qui nullo labore, nulla diuturnitate erroris, desistebat ab incepto. *Donat.* — *Romanam condere gentem.* Latenter ostendit hinc odium Junonis Æneam pertulisse, quod Romanæ gentis auctor existebat. *S.*

erumpit, *Mene incepto*, etc. Sed prius expende illud *hæc secum;* quasi dicat, sine conscio, qui dolorem leniat; volebat quippe iras alere.

37. Non æquum, non fas me victam ab Ænea desistere ab incepto. Considera orationis iratæ initium : est sine proœmio, nihil proponit, sed supponit, tum quia irata, tum quia secum. Mox tamen ut auditori satisfaciat, explicat causam, quum subdit *Nec posse*, etc. Oratio vero interrupta est, et idcirco apta indignationi. Versus iste, *Nec posse Italia Teucrorum avertere Regem*, mirus est, ut in quo magni affectus, et totidem argumenta, quot verba. Vult Juno probare, victam se esse, quo majores iras colligat : sed quomodo probat? Non possum *avertere*, non dicit perdere, interficere, submergere, aut verbum aliud atrox, sed tantum, non posse *avertere;* en primus stimulus irarum : alter, *Italia*, si Trojanum hominem voluissem Troja avertere, difficile erat : atqui Trojanum Italia : quid infirmius? Tertio, *Regem Teucrorum*, quippe eorum qui victi sunt. Regem quum vocat, ironice credo, quod ab animo Junonis non alienum. Est vero Juno artificiosa pro se : pudorem, quem ex præcedenti versu contraxerat, tegit fatorum involucro et necessitate, quum ait, *Quippe vetor fatis:* sic Servius, et alii. Robortellus tamen ironice capit totum hunc locum : quasi dicat : potero avertere, nec me vetabunt fata.

39. Exemplum adducit per comparationem rei gestæ a minore Numine, minore in re, minore merito, majorum tamen irarum (ait Scal.) et majoribus instrumentis. Ergo *potuit Pallas exurere classem Argivum*, ego nequeo Trojanum *avertere?* Illa Argivos ponto submersit, ego tamdiu cum uno homine conflicto? Opportune cogitans de naufragio Æneæ Ajacis naufragium in argumentum adducit. Pergit : exegit illa atrox supplicium tantum *ob noxam unius*, verius *ob furias;* (erat

37. *Mene. Ne*, non vacat : significat autem *ergo*, et est conjunctio rationalis. — *Incepto desistere*. Tolerabilius enim non inchoare, quam incepta deserere. *Serv.*

39. *Quippe vetor fatis*. Revera, inquit, fata me prohibent : ergo Juno ignorat vim fatorum : sed hoc non possumus dicere, quia superius lectum est : « Si qua fata sinant. » Et, « Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat. » Est et alter latens sensus, ut speret se reginam contra exulum fata posse aliquid, si Minerva numen inferius valuit contra fata victorum. — *Exurere*. *Exuri* dicitur, de quo nihil superest, ut, « quid memorem exustas Erycino in litore classes? » *Serv.*

quippe Ajax amore insanus, ac propterea minus debuisset Pallas pungi :) ego læsa a multis, videlicet a Paride in judicio, ab Antigone in contentione pulchritudinis, ab Electra in pellicatu, ab Ganymede in expulsa Hebe, nihil contra illos proficio.

42. Quid præterea? *Ipsa*, vide emphasim, Pallas *jaculata est fulmen* : est enim dulcis vindicta quæsita manu propria : unde et hoc quoque dolet Juno, alterius viribus, Æoli, esse sibi utendum. Affingit enim Palladi, quæ, juxta alios, vel Juppiter, vel Neptunus ferit, tantum ad vim argumenti. Quid vero jaculata est? *fulmen Jovis*, et hoc *e nubibus* : advocat Juno omnia adjumenta ad iras suas concitandas, quasi dicat : omnia serviunt Palladi, fulmen Jovis, nubes meæ : sunt quippe nubes in potestate Junonis : et eadem opera attingit poeta physicam naturam fulminum, quæ expressa micant e nubium collisione. Procedit : Pallas illo fulmine, *Disjecitque rates*, *evertitque æquora ventis*. Notat Scaliger, grandius dici *evertit*, quam subvertit, quasi mare extra alveum suum verterit; et Corradus, signatius dici *æquora*, quam mare, et pelagus, ut indicet æqua prius fuisse, tranquilla, et lenia maria; quæ deinde agitata, turbata, eversa ventis. Posuit malum in communi. Quid tandem de Ajace? *Illum exspirantem flammas* et *transfixo pectore*, quæ res debuisset Deam ad lenitatem adducere, tamen *corripuit turbine* et *infixit acuto scopulo*. Quæ hæc carnificina?

42. *Ipsa*. Bene *ipsa* ; nam Jupiter illi præbuit tela sibi cyclopum manibus fabricata, ut *ipsa* uteretur his armis contra Græcos : tamen erat Palladi peculiare fulmen ; sed non contenta suo, alienum Jovis jaculata est; quod atrocius. Vide supra vol. II, pag. 67, notas Heynii ; et p. 172, Excursum I**.

43. *Disjecitque*. Quidam volunt fulminum genera quatuor esse. Unum quod dicitur disjiciens, idemque fragosum; alterum transfigens ; tertium corripiens ; quartum infigens : quas omnes species more suo in unius fulguris descriptione attigit, dicens primum, *Disjecitque rates* : secundum, *Illum expirantem* : tertium, *Turbine corripuit* : quartum, *Scopuloque infixit acuto*. Serv. — *Evertitque æquora ventis*. Alieno usa est imperio : nam Jovis fulmen arripuit, et Neptuni imperium : habuit enim potestatem in ventos, qui alieno subjecti sunt imperio. *Donat.*

44. *Illum expirantem*. Illa propter unum, plurimos perdidit : ego a plurimis offensa, unum ab Italia arcere non possum : et quod auget dolorem, ostendit Minervam, minorem deam, Jovis fulmine uti potuisse ; et in pœna delicti defendit auctorem. Si ergo ille injuste gravissimum pertulit supplicium, multo magis ejus socii : defendit autem culpam in amorem rejiciens, et utitur veniali statu ; Factum

46. Divina hæc ad argumentum, quod intendit Juno. Posuit Palladem exurentem, submergentem, disjicientem, evertentem, corripientem, infigentem : cum his tam magnis atque atrocibus nullum adhibuit epithetum, et posset : nam illa Jovis filia, et præses bellorum. De se autem quum loquitur, diversam tenet loquendi rationem, multa attribuens, ut majorem indicet contemptum, quum nihil proficiat, et sic excitet se in iras majores. Ergo *Ast ego*, mira emphasis, et opposita illi, *ipsa* Pallas : ego quæ sum *Divum Regina*, quæ *soror Jovis*, quæ *conjux Jovis;* ego, inquam, *bella tot annos gero cum una gente*, quum Pallas illico supplicium sumpserit? Pergit; *et quisquam præterea adoret numen Junonis?* Quasi dicat : nemo erit qui deinceps adoret numen meum, quum videat me tot annos bella frustra gerentem : nam hic *præterea* est, postea, posthac, deinceps, explicatoribus Servio, Manutio, aliis. Quintilianus lib. 9 ait particulam *et* puni hic cum indignatione. Demum *quisquam supplex imponat honorem aris* meis? id est, nemo imponet. Postrema ista signantissima sunt ad iras acerbandas : nam quid magis Deos potest pungere, quam sibi detrahi divinos honores? imminui cultum? religionem labefactari?

50. Exspirans flammas Juno, et frequenter agitans corde sæpiusque iterans easdem doloris causas, arripit excitandæ tempestatis consilium; et hoc subitum, ut decebat iratam : nam, quæ alia ratio avertendæ Italiæ, quæ jam prope in manibus? Ergo irata venit ad Strongylem tertiam insulam Æoliarum, quæ insula patria est nimborum, ut in qua gignantur tempestates, et ex qua erumpant : ideo vero patria nimborum, quia loca illa fœcunda sunt ventis, qui latent in abditis earum insularum.

enim, quod manifestum est, non purgatur, nisi dicatur, non erat suæ mentis, nec sui consilii Ajax, sed furore amoris trahebatur : nam quicquid fit per Pathus, non ascribitur homini. *Donat.*

50. *Talia flammato.* Quod superius intermiserat, nunc reddit : nam dixerat superius : *Hæc secum;* et modo, *secum volutans.* Serv. — *Flammato.* Superius dicit accensa : sed plus est flammato pectore, ut ostendat quantum accreverit ira, ex comparatione Minervæ.

51. *Nimborum.* Nimbi enim ventos significant : plerumque nubes vel pluvias : ergo prout locus fuerit, intelligamus. Proprie tamen *nimbi* dicuntur repentinæ et præcipites pluviæ; nam pluvias vocamus lentas et juges. Et figurate *Patriam, loca,* unum enim varietas ipsa significat. *S.* — Ruæus regionem *tempestatum* interpretatus est.

52. Describit ex occasione regiam Æoli, et ejusdem in ventos potestatem: dat illi pro regia antrum vastum, ubi ille *premit imperio, frænat vinclis et carcere ventos luctantes, tempestates sonoras.* Ita vero verba disponit poeta, ut posterior versus opponatur priori; ut, postquam audiveris *ventos*, et hos *luctantes; tempestates*, et has *sonoras*, audias deinde *imperium, vincla, carceres, premo*, et *fræno.* Quid vero venti, ut fugiant imperium, carceres, vincula? *indignantes fremunt circum claustra*, et obices portarum, ut erumpant, si detur exitus: itaque ita indignantur, ita intus fremunt, ut id faciant *cum magno montis murmure.* Quid vero tunc Æolus? *sedet*, non ut otiosus; nam *sedet in celsa arce*, ut inde speculetur, quid venti cogitent, quid meditentur: quumque teneat sceptrum in manu, mollit illorum animos, iras temperat, *Ni* hoc Æolus *faciat; quippe* ut venti sunt *rapidi, ferant secum, verrantque per auras maria, terras, cælum profundum.* Opus Marone altero ad expendenda omnia.

60. Accessit potestas Jovis omnipotentis; nam summa opus potentia ad comprimendam procacitatem ventorum. Ergo Juppiter vere *pater*, agnosce paternum animum, et providentem de rebus mortalium contra impetus ventorum, *metuens* hoc, et cavens, *abdidit* illos in *atris speluncis;* intellige magnas

52. *Æoliam venit.* De insulis Æoliis, et imperio Æoli, vide si placet Dionysium in descript. orbis: etiam Diodor. V, 3; et Strabon. lib VI; et Gyraldum Syntagm. V; et Excursum I, de hac insula, vol. II, nost. Edit. p. 174; et notas ibid. p. 69.

53. *Luctantes.* Elaborantes egredi; vel inter se sævientes. — *Sonoras.* Nescio quæ major dignitas in hac voce, quam si diceret *sonantes:* nam *sonorum* est quidquid sine intermissione sonum servat; *sonans* vero quod ad tempus auditur.

55. *Illi indignantes.* Hic aperte ostendit, quid sit luctantes. — *Magno cum murmure.* Non circum montis claustra, sed cum magno montis murmure fremebant: et est major sensus; sic fremebant, ut etiam antra possent sonare. Sic dixit Pacuvius *Murmur maris*, quia ventos murmur sequitur. *S.*

56. *Celsa sedet.* Sedet Æolus in solio, quod est in celsa arce. *Celsum* est solium, quia hic habitus conciliat majestatem: et inferiora melius ex alto observantur, ut hic venti. *Sedere* autem non est otiari, sed *curare* et *considerare*, teste Servio.

57. *Mollitque animos.* Id est, Ventos, ἀπὸ τῶν ἀνέμων: ideo dixit, ut per transitum ostenderet, et vitia naturæ nulla ratione mutari, sed mitigari aliquatenus posse. *S.*

61. *Hoc metuens.* Providens, cavens, aut timens. Ergo Juppiter timet, non sibi, sed elementis; ne turbentur eruptione ventorum: ut si bellorum tempore dicas, virum

et vastas. Neque vero contentus speluncis *imposuit* illis *molem et montes altos*, id est, molem montium, *deditque Regem* Æolum, *qui jussus* a Jove *sciret* et *premere habenas*, quum lubeat, *et dare* item *laxas;* idque *certo* quodam *fœdere*, et pacto, quo Æolus subditus est Jovi. Ad hunc igitur Juno accessit vocibus supplicabunda.

65. Orationis hujus petitio hæc est : concita, Æole, tempestatem; obrue Trojanas naves; aut saltem diversas age, ac disjice. Est vero duplex ratio; prior, cur ipsa petat; posterior, cur ipse debeat facere. Ipsa petit; nam gens inimica sibi navigat æquor Tyrrhenum; portat Ilium, et victos penates in Italiam. Ipse debet facere, nam potest, ut qui a Jove præpositus sit mulcendis tollendisque fluctibus: sed quia hæc ratio tyrannica est, *fac, nam potes;* ideo Juno omnia transponit, non conjungens hæc, *Æole, incute vim ventis*, etc. Sed pri-

fortem timere, non sibi, sed liberis suis. *Serv.* — *Timorem et metum* nequeo negare ab auctoribus sæpe confundi, tamen sæpe ita discriminantur, ut *timor*, teste Tullio Tusc. IV, sit de malo jam appropinquaute : sed *metus* de periculo remotiore. Inde est, ut *metuo* sæpe capiatur, pro provideo ; nam tum locus est providentiæ, quum remotiores a malo sumus, quod de verbo *timeo* dici nequit.

63. *Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.* Permansit in translatione : ut, « vinclis et carcere frenat » : *jussus* autem ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc, et major est omnibus diis : si ad ejus voluntatem possint elementa confundi, ut ipse Æolus, « Mihi jussa capescere fas est. » Simul ventorum ostenditur vis, quibus parum fuit superponi montem, nisi et regem acciperent, qui ipse quoque alieno pareret imperio. *Serv.*

65. *Æole.* Rhetoricum est in omni petitione hoc observare; ut possit præstare qui petitur; ut sit petitio justa, nec plus aut minus quam debeat, petat; ut sit possibilitas; ut res justa sit, quæ petitur: ut habeat modum petitio; ut sequatur remuneratio. Et sciendum, secundum hunc ordinem omnes petitiones formare Virgilium, ut in hoc loco possibilitas est : « Et mulcere dedit fluctus, et tollere vento. » Justa petitio est: « Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor : » omne enim quod contra inimicos petimus, justum est. Modus est petitionis : « Incute vim ventis, et disjice corpora ponto. » Remuneratio : « Sunt mihi bis septem præstanti, etc. » Ordo ipse est: Æole, incute vim ventis : et est figura parenthesis. Inter parenthesim et eclipsim hoc interest; quod parenthesis est, quotiens, remota de medio sententia, integer perdurat sermo. Plenum namque est: « Æole, incute vim ventis. » Eclipsis autem est, quotiens, remotis interpositis, deest aliquid, ἀπὸ τοῦ ἐλλείπειν; ut est : « Quos ego? »

mum ait, Æolum præsidem esse ventorum; deinde explicat inimicitias suas cum Trojanis, ut jam causa legitimæ vindictæ appareat; qua proposita, sequitur petitio non ita tyrannica hæc; *obrue, nam potes mihi in dolore justo connivere.* Si quid autem adhuc ille hæsitet, sequentes versus de præmio et nuptiis Deiopeiæ omnino rem pervincunt. Ita enim hic omnia communit Juno, ut Æolus necessario debeat concedere, nisi, aut impudens sit, aut commodi sui oblitus, aut utrumque: impudens erga Reginam maximam, quæ petit, et pro se, et contra hostes, et voce supplici: oblitus commodi, si nuptias rejiciat sibi utilissimas; nam, se non posse facere, nequit dicere: habet enim potestatem ipse ad mulcendos, aut tollendos ventos; hancque firmatam a Jove. Ergo ait Juno: quum possis; quum meus dolor sit justus, ut qui contra meos inimicos; quum tibi hoc sit utile propter tuas nuptias, *obrue*, aut, *disjice*. Hæc pro tota oratione. Expendenda nunc aliqua: ait in tertio versu, *gens inimica mihi;* et supprimit, Trojana; sed satis indicat, quam velit intelligi ex voce Ilii; qua suppressione indicat notas esse has inimicitias; ea enim supprimimus, quæ nota. Ideo autem *gens*, non Æneas; ne Æolus diceret, qui noceam filio Veneris, nepoti Jovis, viro pio? et *inimica*, quia justum esse probatur odisse hostes. Quum ait *mihi*, emphasis est, non vulgaris. *Mihi*, quæ Juno sum, quæ Divum Regina, quæ Jovis uxor, quæ Jovis soror, quæ Saturni filia: mihi vero adversatur gens profuga, Trojana, victa. Ait *Tyrrhenum æquor*, id est, non tibi cunctandum, Æole; nam in Tyrrheno jam sunt, atque adeo Italiæ proximi. Vel, in tuo sunt regno; vide quæ audacia: nam, Æolum Regem fuisse Tyrrhenorum constat. Progredior: ait in quarto versu, *Ilium portans*, id est, res Ilienses; sed signi-

deest enim, affligam. — Sane Antiqui quotiens a minoribus beneficium petebant, a nomine incipiebant; et erat honoratius, si nomen ipsius ante præferrent. *S.*

67. *Gens.* Sermo hic, et nationem significat, et familiam; sed nunc ad utrumque potest referri: nam aut ad familiam Æneæ, aut ad Trojanam gentem refertur. *Serv.* — *Navigat æquor.* Figura Græca est: apud Demosthenem: πλέειν τὴν θάλατταν. Nos autem dicimus, *per æquor navigat;* quum Latinitas exigat, ut addatur præpositio *per.* Et non vacat, quod *Tyrrhenum* addidit; videtur enim dicere jam eis Italiam esse vicinam.

68. *Ilium in Italiam portans.* Id est, res Ilienses: et invidiose dicit *Ilium*, quasi ipsam cernat civitatem, quum Trojanos aspexerit. Et bene *Ilium*, hoc est, urbem quam fata stare noluerint. *Serv.*

ficantius multo Ilium: addit *victosque Penates*, adimens timorem, dans audaciam; nam etiamsi Deos lædat, victos tamen, ac perinde nullius potestatis, neque aspiratùros ad vindictam: ait in quinto, *Incute vim ventis*, ubi et summa est petitionis et modus. Ita vero petit, ut imperet, quia Juno: illud *submersas obrue puppes* est, submerge et obrue. Pergit in sexto, *aut age diversas:* magna quippe oratorio more proposuerat, ut minora nunc consequatur. Itaque si non vis obruere, saltem *age diversas*, id est, in diversum: quum addit, *aut disjice corpora ponto*, intelligit vel hominum corpora, vel navium. Quæ in septimo versu, et sequentibus proponit de nuptiis, vide quam sint efficacia. E quatuordecim Nymphis, quæ omnes sunt *præstanti corpore*, promittit illi *pulcherrimam*, et hanc *stabili connubio*, et *propriam*, idque cum augurio: auguratur enim fore, ut *annos omnes* permaneat in tam dulci connubio, ac demum pulchros liberos promittit. Non videbor longior fuisse studioso Maronis.

76. Respondet Æolus summa cum brevitate, tum ut Junoni sollicitæ se responsione metum adimat; tum ut hac in respondendo brevitate intelligat Juno, se nullas velle moras trahere? ac demum, quia scit Trojanos esse jam pæne in Italia, ac propterea necessariam esse diligentiam. Quid vero ille? *tuus*,

71. *Sunt mihi bis septem*, etc. Hæne quatuordecim Nymphæ filiæ sunt Junonis? Non puto: sed tantum Nymphæ, quæ hanc Deam comitarentur, essentque in ejus potestate: sane Diis omnibus veterum Nymphæ quædam erant attributæ ad ministerium. Vide supra, vol. II, p. 175, Excursum II, de Nymphis Junonis comitibus.

73. *Connubio jungam stabili*, etc. Deest *eam*, et connubium est jus legitimi matrimonii. Et bene *Connubio jungam* dicit, ut hanc ab aliis segregaret, quæ a regibus sine lege habentur: solent enim reges inter plures uni præcipuum dare nomen uxoris. Multa in unum contulit versum, quæ Juno promittit: dicendo *Connubio*, ostendit legitimum: dicendo *Stabili*, longam promittit concordiam, id est, quæ divortio careat: dicendo *Propriam*, adulterii removet suspicionem. — *Jungam*. Apte: loquitur enim Juno, quæ ipsa *pronuba* est, et cui vincla jugalia curæ, ut habetur Æneid. IV.

76. *Æolus hæc contra*. Non contra voluntatem Junonis, sed contra verba: non enim ad præmia respondet; ne videatur moveri libidine, ut Paris. Reddit benevolam, quum dicit discernendo officia: Tuum est jubere; meum complere jussa. *Donat.* — *Regina*. Inferioris personæ reverentia est; majorem meritis appellare, non nomine. Contra, majoris est minorem nomine tantum vocare: qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur.

o *Regina*, *quid optes Explorare labor, mihi jussa capessere fas est*; id est, quid optare explorando, etiam cum magno labore, potes, id totum tibi opere complebo. Satis fuit te optare, ut ego exsequar, imperare non fuit necesse. Ut vero credat Juno ficta hæc non esse, recenset beneficia, quæ ab ea acceperit, quibus indicat se aliter non posse facere, quando beneficii lege teneatur. Beneficia hæc tria sunt: tu mihi regnum hoc concilias, sceptrum, Jovem: tu das, ut accumbam Divorum epulis: demum tu facis, ut Rex sim, non tam nomine, quam re ipsa; nam per te potens sum nimborum tempestatumque.

81. Aggreditur poeta tempestatem suam nunquam satis laudatam. Clara omnia sunt; perpendenda tantum aliqua, et levi calamo; nam si omnia examinanda, quis tandem finis? In illo *Hæc ubi*, agnosce dactyli celeritatem, ad explicandam eam, qua opus in re præsenti. Ideo postea *dicta* sine verbo sunt, ne mora fiat. Quum audis *montem impulsum in latus*, augurare atrocissimam fore tempestatem; (hoc jam expendit Quintil. lib. 8) non enim quæcunque porta ventis datur, sed totus mons in latus dimovetur. Erumpunt vero *venti*, non ventus, iique *agminatim*: ut autem exeant vocalibus istis *ruunt*, porta aperitur: *Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant*; vide quoties repetatur canina littera, quæ apta ad pingendos strepitus, fremitus.

84. Quid jam venti post exitum? Primum *incubuere mari*. Est hic *incumbere*, totis viribus inniti, ac mari inhærescere, ita ut vis quædam significetur, et gravitas molestissima. Exierant tres venti, (adhuc enim in carceribus Aquilo) videlicet Eurus, Notus, Africus. Hi eruunt *mare totum ab imis sedibus*, ab imo fundo; evertuntque illud, et conturbant, *volvuntque ad litora vastos fluctus*, μεγάλα κύματα.

81. *Hæc ubi dicta.* Et ab Junone et ab Æolo. — Judicium summorum virorum est, neminem Poetarum conferri posse cum Virgilio in hac tempestatis descriptione. Nam Homerus, Odyss. V, illam tantum inchoavit, non perfecit, ubi multa sunt indigna Homeri ingenio. Lucanus l. V, furit, et multa interdum ridicula. Ovidius Trist. I, et Met. XI, nugatur in re satis luctuosa. Papinius Theb. V; et Flaccus Arg. I, sui semper sunt similes. Seneca in Agamem. multis redundat. Apollonios plebeius est multorum judicio. *Cerda.*

85. *Una Eurusque Notusque et Africus.* Bene hos modo tres ventos inferiores tantum nominavit, qui a sedibus mare jure commovent; Zephyrum et Aquilonem tacuit: Zephyrum qui ad Italiam ducit, Aquilonem qui desuper flat. *Serv.* Vide Excursum III, vol. II,

87. Habes tempestatis causas; et quæ antecedunt jam effecta, et quæ sequuntur; videlicet *hominum clamor*, *rudentum stridor*. Tempestatis horror apparet in istis syllabis *cla*, *stri*, *ru;* dein littera *r* quinquies repetitur, quæ formata ad horrorem. Sequitur id, quod in omni tempestate teterrima accidat necesse est; nimirum tenebræ, caligo aeris, obscuritas cæli, ac demum nox. Fiunt hæc omnia momento temporis, ideo *subito*. In verbo *eripiunt* agnosco quiddam ultra vulgarem aleam Poetarum. Quid illud? *cælumque diemque*, vulgaris quispiam diceret *lucem:* jam cum emphasi *Teucrorum ex oculis;* nam quamvis Lycii Æneam sequebantur, Trojanorum signate causa tempestas excitatur. Quid illud *nox?* et *incubat?* Fuit enim hic necessaria noctis mentio ad fulgura, quæ deinde sequuntur; nam hæc in nocte horribilius et clarius micant. Quis jam ille horror? *Intonuere poli*, *et crebris micat ignibus æther*. Ait *crebris*, quia in tempestatibus crebrius micant fulgura, quam tonitrua audiuntur. In tanta rerum formidine, quid expectandum, nisi mors? hanc et *præsentem intentant omnia*. Quæ sunt hic *omnia?* venti, fluctus, cælum, tenebræ, tonitrua, fulgura. Vide quot et quanti hostes!

92. Expavescit Æneas ad subitum malum: pavoris hujus duplex est nota; videlicet solutio membrorum, et gemitus. In persona Æneæ servatur decorum; nam hic timet, tum post alios, præcessit enim *Præsentemque viris intentant omnia mortem;* tum post emissos ventos, mare erutum, tenebras densissimas, tonitrua, fulgura: alii, suos duces timentes inducunt in ipso aditu tempestatis, præter decorum. Tendit vero manus ad cælum, nihil precaturus, sed quia sequitur, o *terque quaterque beati!* quasi ipsa manus sublatione ad sidera, indicet illos esse beatos, qui occubuerunt, quum in sideribus jam sint.

94. Sequitur oratio affectibus magnis plena. Incipit ab exclamatione, felices indicans illos, qui ceciderunt in bello

nost. Edit. pag. 175, de pluribus ventis una spirantibus.

87. *Insequitur clamorque virum.* Sequitur, quia præcesserat ventorum sonus, quem et ipsum clamorem possumus dicere. — *Stridorque rudentum.* Proprie enim in funibus stridor est. *Serv.*

88. *Teucrorum ex oculis.* Bene *Teucrorum*, quibus tempestas immissa erat. Nunquam totum cælum tegitur nubibus, sed illa pars, contra quam flaverint venti. — *Nox incubat.* *Nox* dicta, quia oculis noceat. *S.* — *Incubat.* Melius quam Homericum ὀρώρει νύξ: *ruit nox.* C.

Trojano; tum quod ceciderint ante ora suorum parentum; tum quod in conspectu Trojæ: nam quid felicius morienti, quam habere testem suæ virtutis, quo carent, qui misere in mari pereunt?

96. Apostrophe ad Diomedem, qui filius Tydei; optat vero cecidisse sub illo hoste, cum quo ad Trojam pugnaverat. Est vero in istis tacita Æneæ laus, tum quia cum fortissimo Græcorum pugnaverit, neque victus fuerit: tum quia ita pugnaverit, ut voluerit occumbere, sed non potuerit: nam quantum in se fuit, ipse voluit mori. Versus ille, *tuaque animam hanc effundere dextra*, totus fere exprimitur cum hiatu oris; ut declaret ipsum actum animæ volentis exire; fugit enim vates consulto illas litteras, quæ compressis labiis efferuntur. Exaggerat ad finem calamitatem suam ab Hectore, Sarpedone, Trojanis reliquis: quibus contigit tanta felicitas, ut ad Trojam caderent sub hoste nobili, Hector ab Achille interfectus, Sarpedon a Patroclo. Assumitur Simoentis mentio cum emphasi: quasi dicat: si moriendum aquis erat, quanto melius oportuerat cadere Trojanum hominem apud Trojam, et in Trojæ flumine, ubi alii fortissimi ceciderunt.

102. Describitur naufragium ejus navis, qua Æneas vehebatur. In hanc navem, ut principem aliarum, educit Aquilonem ventorum principem. Ergo *procella stridens Aquilone ferit velum:* en prima ejus navis calamitas. Sed cur hæc procella *adversa?* Nam Aquilo contra Notum spirabat, ut classis deferretur ad Africam contrariam Septemtrioni. Sequitur, *fluctusque ad sidera tollit.* Hoc hyperbolice, ad indicandam magnitudinem tempestatis. Quid præterea? *franguntur remi;* en secunda calamitas. Tertia, *avertit se prora*, inclinatque, ac perinde *dat latus undis,* quo istæ irrumpant in navim. Irrupere vero ita multæ aquæ, ut posses appellare *præruptum aquarum montem:* innuit quippe magnarum undarum globum. Vidisti inclinatam fuisse proram vi procellæ, et adhuc inclinatiorem fuisse pondere et globo aquarum, quæ per eam partem irrupere; inde necesse est, ut quantum depressa esset

101. *Fortia corpora*. Id est, virorum fortium, nulla enim est in mortuis fortitudo. *Serv.*

102. *Talia jactanti*. Inaniter loquenti ut alibi: « Atque irrita jurgia jactat. » et: « Voces dum jactat inanes. » Jactare proprie dicit querelas sine fructu, quod Æneæ accidit: nam loquentem illum sævior adhuc procella invasit. — *Aquilone*. Ab Aquilone: ecce hic reddit ventum quem transierat, et a generali tempestate ad speciem transit. *Serv.*

prora, tantum elata esset puppis. Ergo *hi*, id est, qui erant in puppi, *pendent in summo fluctu: his*, id est, qui erant in prora, *dehiscens unda aperit terram inter fluctus*. Itaque hiante unda, et apparente terra, vident in imo arenam æstuantem, ac ferventem.

108. Hæsit hactenus in nave Æneæ, quam solam ex decoro Aquilo laceravit. Nequeo satis laudare poetæ vigilantiam: nam erat decens, ut ruina navis Æneæ jungeretur una cum ruina aliarum navium. Illa sola et seorsim affligitur a vento omnium validissimo: aliæ ternæ dissipantur, et a ventis minus validis; tres sibi assumit Notus; tres Eurus: ille tres suas abripit, *ac torquet in saxa latentia*: hic flans *ab alto* mari, *urget*, tres suas *in brevia et syrtes*, id est, in brevia syrtium, vel in syrtes brevissimas: ac perinde *illidit vadis*, *cingit aggere arenarum*. Quærit quippe poeta varietatem suo carmini ex varietate calamitatum; ideo tres naves Notus in saxa adigit, tres Eurus in arenam impellit. Porro parenthesin, quæ intercedit, sic explico: Itali vocant aras, saxa illa, quæ sunt in fluctibus mediis: sunt vero hæc saxa, dorsa quædam immania in mari summo. Bene autem interpretes advertunt adhibitam confusam verborum collocationem, tum ad navium confusionem; tum ad ingentem difficultatem rerum indicandam.

113. Sequitur naufragium Lyciorum, et Orontis illorum ducis. Fuit in hac re vigilantissimus Maro, fluctibus Lycios absumens, ut soli Trojani imperium erigant in Italia. Ergo describitur maximus quidam fluctus, qui propter magnitudinem suam dici *pontus* meruit. Hic itaque *ingens fluctus*, inspectante Ænea, *ferit a vertice in puppim* navim illam, *quæ Lycios*

106. *Hi summo in fluctu pendent*. Virgilius hic describit Æneæ navem uno in loco hærentem, tantum ad latus inversam, et ideo sublatam a puppi, depressam a prora, utique pendentem, qualem ferme descripsit Lucanus lib. IX, 337; « Pars sedet una ratis; pars altera pendet in undis. » *Cerda*.

109. *Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras*. Aras fuisse novem propitias admonet Turnebus inter Sardiniam et Africam celebres icto ibi inter Afros et Romanos fœdere. Jos. Scaliger ait *aras* vocari omnes crepidines et eminentias in mari, vel in fluviis: de hac sententia et de istis *aris*, vide Excursum IV, tom. II, p. 176.

113. *Lycios*. Signate: et militum et ducis nomen ponit, itemque magistrum, et navim submersam scribit. Lycii autem, interfecto Sarpedone, adhæserunt Æneæ, ductore Oronte: unde Æneid. II: « comitum turbam adfluxisse novorum Invenio. » Navis magister erat Leucaspis, ut Æn. VI: « Leu-

vehebat atque Orontem: illud *a vertice* nihil est aliud, quam desuper. Discriminat autem Lyciorum cladem a duplici circumstantia, videlicet a successu gubernatoris, quem hic vocat magistrum, et Leucaspim intelligit; et a successu navis. Hæc itaque navis, ingruente aquarum cumulo per puppim, necessario depressa est, qua erat puppis; ac perinde factum est, ut magister, cujus locus est puppis, pendente et inclinata nave, ipse quoque penderet, essetque inclinatus: ideo facile excussus est, et facile in caput præcipitatus. Quid de navi? *Illam fluctus ter ibidem circumagens torquet, voratque æquore vortex rapidus:* quum ait, *ter*, intellige sæpe navem circumactam ac tortam, ex qua circumactione et tortione secuta est clades, videlicet devoratio. Expende hic varietatem calamitatum: accidit quippe navi Lyciorum, contra quam navi Æneæ: hæc depressa est a prora, elata a puppi: navis Lyciorum depressa est a puppi, elata a prora.

118. Sequitur discriminatio variorum casuum. *Apparent* (en verbum gestuosum, ait Scaliger) *rari nantes*, et hi in *vasto gurgite.* Mira oppositio ex paucitate natantium, et vastitate maris. Cur etiam *rari?* quia pauci natando salutem consequuti sunt; nam plures demersi. Apparent *arma virum*, id est, armamenta, et instrumenta nautica: thoraces quippe, et galeæ deprimerentur præ pondere. Corradus occurrens objectioni hastas intelligit. Apparent *tabulæ* navium; apparet *Troia gaza.* Excitatur hic ingens commiseratio a magnitudine jacturæ rerum pretiosissimarum, videlicet vestium, tapetium, supellectilium: horum dignitas expressa est voce Persica. Complent miserandam tragœdiam naves quatuor amissæ, videlicet navis Ilionei, Achatis, Abantis, Alethis: nam hæ omnes victæ tempestate, accepere ingentem aquarum copiam, ac si depressæ sunt. Illud *rimis fatiscunt*, est, dissolvuntur, aperiuntur, aquam admittunt per rimas, fatim affatimque hiscunt solutis compagibus.

caspim, et Lyciæ ductorem classis Orontem. » *Taubm.*

117. *Æquore vortex.* Mirum est quam sæpe invenias *vortex*, et *vertex* indifferenter scribi in antiquis codicibus, quod idem esse vult Arusianus Messus; Capro tamen non temere *Vorticem* per o vocalem quartam in prima syllaba, a *Vertice* per e vocalem secundam distinguente. Præterea Sos. Carisius *vertex* a vertendo, *vortex* a vorando dicta putat. Vult autem Plinius Verticem immanem vim impetus habere: ut, « Ingens a vertice Pontus » : Vorticem vero cir-

124. Sensit Neptunus in imis gurgitibus atrocem tempestatem; graviter commovetur; caput effert; ita esse videt, ut senserat; cognoscit auctorem mali. Explico hæc quinque: sentit tempestatem emissam ex magno murmure et turbatione, qua permistum est mare: et quia vidit *stagna* (sunt hæc partes profundissimæ aquarum) *refusa*, id est, eruta et evulsa ex *imis undis*, atque ipso e fundo: est enim hoc, quod dixerat, mare erutum, *ex imis sedibus*. Progredior: commovetur graviter, ut superius numen in inferius? sensit quippe statim audaciam Æoli, qui ipsammet regiam Neptuni turbasset; hæc enim in imo mari esse fingitur. Effert caput placidissime, futuram indicans tranquillitatem. Video in Neptuno expressum munus Regum, qui esse debent iracundi in malos, mansueti in bonos: sic Neptunus commovetur in ventos, placidus est Trojanis. Est hoc difficile: vix enim reperias, qui se ex iracundia statim traducat ad lenitatem, quod tamen Neptunus fecit: vide enim, quam conjuncta hæc sint: *Graviter commotus, et alto Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.* Vix commovetur, quum statim placidus. Sequitur quartum. Ita esse videt, ut senserat: *videt* enim *Æneæ classem disjectam toto æquore; videt Troas oppressos fluctibus, et ruina cæli*. Cælum enim ruerat in Trojanos tonitribus, fulguribus, imbribus. Illud *toto æquore*, mira est amplificatio? quantum enim æquor erat, tantum patebant cladis reliquiæ. Observa etiam sententiam hanc, *et disjecta classe toto æquore*, respondere illi, *aut age diversas, et disjice corpora ponto*: ista vero, *fluctibus oppressos Troas*, illi, *submersasque obrue puppes*. Restat ultimum. Cognoscit auctorem mali, videlicet Junonem sororem, cujus doli et ira jam diu nota fratri Neptuno.

cumactionem undæ esse: ut, « Rapidus vorat æquore vortex. » *Pier.* — *Vorat æquore vortex.* Lucretius, I, *avidum mare.*

125. *Emissam hiemem*. Hic apertius tempestatem declarat ex Græco: nam et illi χειμῶνα tempestatem dicunt, et bene veteres nostri *hiemem anni* dicebant, ne tempestas posset intelligi. *Serv.* Vide Excursum V, de Neptuno graviter commoto, supra vol. II, p. 178.

126. *Stagna. Stagnum* dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris significat, ab eo, quod non nisi nimia tempestate turbantur.

130. *Nec latuere doli fratrem Junonis, et iræ.* Aut doli Junonis: aut fratrem Junonis: gemina ergo distinctio est, quod et ipsa Saturni est filia. *Serv.* — *Fratrem.* Neptunum. Tres erant Saturni ex Ope filii. Hinc epigramma: « Juppiter astra; fretum Neptunus; Tartara Pluto; Regna paterna tenent: tres tria; quisque suum. » *Taubm.*

131. Vocat igitur Eurum et Zephyrum, ut illorum Dominus: nam tametsi venti sub potestate sint Æoli, quum sunt in carcere; inde emissi in mare, jam pertinent ad imperium Neptuni. Incipit nullo exordio, ut iracundiam indicet, qua flagrat: objicit illis confidentiam generis, quo elati audent, inconsulto se, miscere cælum et terram, tempestatum moles attollere. Vocula *jam* efferenda cum emphasi, et nutu capitis. In voce *venti* convicium agnoscit Servius, credo, hac sententia: qui vos estis, qui sine meo numine audetis miscere omnia? nimirum *venti*. Observa diligenter, in tribus primis versibus latere quamdam oppositionem contrariorum: nam genus infame, fiducia, audacia pugnant in cælum, in terram, in numen Neptuni: probe absolvit, *tantas audetis tollere moles?* nam præcessit, *vastos volvunt ad litora fluctus*, et, *fluctusque ad sidera tollit.*

135. Est hæc celebratissima aposiopesis, et ab omnibus nunquam satis laudata. Integram facies sententiam, si dixeris: quos ego constringam vinculis, rapiam, ulciscar: sed omnia tamen inferiora sunt tanto furori; inde opportune inducta figura: si pœnam nominaret, frigesceret oratio; jam quum supprimit, incertos nos relinquit. Non solum sibi Neptunus temperat in æstu iracundiæ, propter decorem regium; sed habet rationem temporis; nisi enim supplicium differat, non poterit Trojanis opportune subvenire: unde particula *sed*, est reprimentis se, et rationis judicio furorem remittentis, ac tantum cogitantis de sedando mari. Traduci hæc ad Principem possunt, quem lentum in suo dolore debere esse, Tacitus scribit lib. 3, Annal. Ergo, ait Neptunus; placandum nunc mihi est mare, vos postmodo *luetis mihi*

131. *Eurum ad se Zephyrumque vocat.* Per hos, omnes intelligendi sunt: isti enim sunt cardinales. Cur tamen *Zephyrus*, qui ad Italiam ducit, quem Poeta supra tacuit, nunc vocatur? Quia Zephyrum hic pro Africo sumi docet Turneb. adv. XVIII, 32.

132. *Generis fiducia vestri.* Ascræus unus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, cum Aurora concubuit: unde nati sunt venti secundum Hesiodum: et hoc loco *fiduciam* pro confidentia posuit; quum *fiducia* in bonis rebus, *confidentia* in malis sit. *Serv.* — *Tantane vos generis*, etc. Abruptum exordium iratis convenit, in quibus ingens residet πάθος; talia collegit Macrob. IV, 2. Cic. Catil. c. I: « Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? »

135. *Quos ego.* Deficit hoc loco sermo: et congrue; nam qui irascitur perturbatæ mentis est. — *Sed motos præstat componere fluctus.*

commissa in Trojanos *pœna non simili*, id est, non ea, qua Trojanos affecistis, sed majore et sæviore, ait Servius: vel, *non itidem castigabimini verbis*, ait H. Stephanus; hoc præfero. Sequitur, *Maturate fugam;* id est, properanter et festinanter discedite.

138. Est hæc altera pars orationis Neptuni, continens querelas in Æolum, qui ausus fuerat infestare alieni regni fines. Comparat vero imperium suum cum potestate Æoli; illud extollit, hanc deprimit: extollit, quum ait, *datum* sibi *imperium pelagi*, *tridentem sævum*, idque *sorte:* deprimit Æolum, dans illi *regnum*, non imperium, ut sibi; et regnum hoc inter *saxa immania*, potius in *carcere:* quo quid abjectius? Inculcans contemptum, ter repetit particulam irrisionis, videlicet, non *illi* imperium pelagi; tenet *ille* immania saxa; jactet se in *illa* aula: quibus omnibus opponit semel pronomen *mihi;* quod habet hic peculiarem emphasin.

142. Brevissime Neptunus, habita temporis ratione, orationem absolvit; nam decem tantum versibus ea inclusit, quæ nemo alius multis. Increpavit enim ventos: inde expulit; pœnam distulit; misit mandata ad Æolum: hæc omnia cum magnis affectibus, cum gloria sui, cum contemptu Æoli, cum ventorum convicio. His peractis, placat citissime tumorem maris; fugat nubes; solem reducit; Æolus quippe æquor turbaverat; nubes induxerat; diem abstulerat.

144. Hærebant in scopulis tres illæ naves, quas in saxa torserat tyrannus Notus: hærebant in syrtibus tres aliæ, quas Eurus cinxerat arenarum cumulis. Noti cladem Cymothoe et Triton, his enim rem commisit Neptunus, sanant: *ipse*, hoc emphatice, suo tridente *levat vastas syrtes, easque aperit;* atque ita reddit, restituitque æquor ad temperiem. Sed quid *levat?* Aliqui explicant, levat naves, et syrtes aperit: non placent: potius *levat*, id est, laxat syrtes, quod valet; reddit syrtes leves ac navigabiles, atque sic illas aperit: quo facto, ipse jam labitur curru suo per æquatas undas.

Prudenter agit; plus est enim innocentibus succurrere, quam nocentium delicta punire. *Serv.*

140. *Vestras, Eure, domos.* Irascentium est uti proprio nomine, ut Terentius: « Ego te in pistrinum, Dave, dedam » Aut quasi contra principem tempestatis irascitur: quem primum constat egressum: quia supra: *Una Eurusque Notusque ruunt.* — *Aula.* Irrisio est; quia sequitur, *Carcere:* et nihil tam contrarium, si simpliciter intelligimus. *Serv.*

148. Rem exemplo aperit: continent hi tres versus excellentem hypotyposin seditionis concitatæ. Solet sæpe magno in populo seditio vulgi existere; qua in seditione primum animi dissident; deinde ad arma procurritur, ut cuique illa furor ministrat. Expende omnia, non ut merentur, sed ut possumus: *vulgus*, quid non hoc faciat? adde *ignobilitatem*, quæ quum non timeat honoris jacturam, præceps fertur. *Animus* furorem dicit, et imperium: hic si cum *sævitia* sit, quid sperandum boni? igitur *vulgus ignobile*, *effrænatum*, *sæviens*, necessario præcipitabitur in quamvis amentiam. Quæ vero arma vulgi? non hastæ, non gladii: sed *faces*, et *saxa*, ut est consuetudo multitudinis: quæ arma non ratio dedit, sed furor subitus. Videas itaque populum ἀκροβολίζεσθαι, quia eminus volant arma.

151. In ipsa incipientis furoris amentia objicit vulgo *conspiciendum*, *virum gravem meritis*, *et pietate*: habet res utraque vim maximam ad hominum animos flectendos. Nam ubi quis pius est, et religiosus; prætcrea insignis magnis meritis, et beneficiis erga populares, quid non ab illis assequetur? Quid vero populares viso hoc viro? *silent*: verbum ad rem quæsitum, ut melius quadret comparationi: nam mare, venti, procellæ dicuntur silere, quum sunt tranquilla: neque vero utcunque silent, sed *adstant arrectis auribus*: tum vir *ille*, ut silentem videt populum, et attentum, *regit animos dictis*, *mulcet pectora*: quia videlicet, est hæc perfecta eloquentia, et mentem rationibus, et voluntatem affectibus commovet, ideo *regit*, quod pertinet ad intellectum; et *mulcet*; quod ad voluntatem. Volo etiam consideres in versu illo, *Tum pietate gra-*

148. *Ac, veluti magno in populo.* Virgilius tempestati populi motum comparat: Tullius populo tempestatem, pro Milone: « Equidem cæteras tempestates et procellas in illis duntaxat fluctibus concionum. » Ita et Homerus seditioni tempestatem: κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης: ideo autem *Magno* addidit, quia ubi frequens est populus, ibi et crebra seditio: ut quidam *populum* totam civitatem, *vulgum* vero plebem significari putant. *Serv.*

151. *Gravem.* Venerabilem: unde et contemptibiles, *leves* dicimus: vel *pietate gravem*, cujus illis auctoritas ob pietatem est gravis. Ex Quintiliani sententia XII, 1, oratorem oportet esse virum bonum, dicendi peritum: qualis fuit Menenius Agrippa, cujus facunda oratio efficax satis fuit ad concordiam. *Emmen.*

152. *Arrectisque auribus.* Translatio a mutis animalibus, quibus aures mobiles sunt. Consentiunt omnes, Poetam capiendum cum

vem ac meritis, si forte virum quem, inesse ex studio gravitatem numerorum, quo illi viro gravitas concilietur.

154. Accommodat proposito comparationem: clara omnia sunt: maluit *cunctus*, quam *omnis*, ait Scaliger, tum quia plenior sensus, tum quia dicit rem simul fieri, quod non dicit *omnes*. Itaque innuitur tempestas puncto temporis sedata ad arbitrium Neptuni.

Sequitur causa, cur sedata tempestas, *postquam genitor prospiciens æquora, invectusque cælo aperto*, id est, quod ipse aperuerat fugans nubes, et reducens solem, *flectit equos, volansque curru secundo dat lora*. Sic compono verba, sequutus Turnebum, qui, *curru secundo*, explicat, *curru perfacile sequente equos currentes*. Juxta Hortensii mentem, verba componenda essent ita; *volansque dat lora curru secundo*, pro, currui: sed Turnebum præfero.

157. Redit ad iter post longam tempestatem: ait *defessi*, ad excitandum affectum: maluit *Æneadæ*, quam Teucri, quam Trojani, non absque commiseratione ducis Æneæ. Dicit *proxima litora*, quia post periculum non eligitur locus, sed quodcunque occurrerit, occupatur. Illis *contendunt petere*, indicatur studium arripientium terram. Signata illa, *et Libyæ vertuntur ad oras;* quo Boreas classem impulit, quo Juno voluit, atque adeo *vertuntur* nimirum a cursu Italiæ, *ad oras*, id est, ad fines Africæ.

159. Digreditur ad portus descriptionem, cujus duplex est pars: prior continet firmitatem portus; posterior delicias. Ergo, *Est locus in longo secessu;* nam quo remotior secretiorque portus; eo tutior. Pergit: *insula efficit portum objectu laterum*. Finge insulam aliquo spatio distantem a continente, quæ utrinque duplex habeat latus porrectum, unum exterius, alto mari oppositum; alterum interius, quod longi et pro-

respectu ad feras, quæ statim, ubi quid accidit, solent aures arrigere. — Terentius, And. « Arrige aures, Pamphile. »

157. *Proxima litora*. Quia post periculum non eligitur litus; sed, quodcunque occurrerit, occupatur. *Serv.*

159. *Est in secessu longo*. Topothesia est, id est, fictus secundum poeticam licentiam locus. Ne autem videatur penitus a veritate discedere, Hispaniensis Carthaginis portum putatur descripsisse. Cæterum hunc locum nusquam in Africa esse constat, nec incongrue propter nominis similitudinem posuit: nam Topographia est rei veræ descriptio. *Serv.* — De toto hoc loco vide luculentam disquisitionem, in Excursu VI, tom. II, nost. Edit. pag. 179 et seqq.

fundi secessus frontem adversam spectat : erit itaque portus, spatium illud inclusum inter continentem atque insulam; atque adeo vere insula efficit portum et seipsa, et suorum laterum porrectione. Sequitur, *quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.* Dicit undam venientem ab alto mari frangi in illis lateribus utrinque porrectis, ac perinde tutum esse portum ab incursionibus fluctuum : neque solum unda frangitur; sed scindit se in sinus reductos, et refluens circa duas extremitates insulæ, aditum utrumque sequitur multo et sinuoso flexu, atque penetrat usque in intimum portum, qui speciem tranquilli stagni præbet : hinc et inde, dextra lævaque *secessus,* non insulæ, consurgunt ad cælum minantes scopuli, quorum duo altissimi procurrunt ad extrema terræ continentis cornua, ita ut ventos arceant et latis verticibus aquas ipsius portus omnino æquabiles securasque protegant.

164. Transit ad delicias totius loci : erat in utraque continentis parte *scena desuper* portui *imminens,* et *sylvis coruscis* effecta : nam arbores ex varia ramorum agitatione videntur micare, *coruscare,* et vibrari; et nemus obscurum horrentibus foliorum umbris, totum interioris portus ambitum undequaque a solis ardore defendebat. *Fronte sub adversa,* id est, in ultimo loci recessu, quæ frons est adversa portum per ambas fauces intrantibus et ex alto mari venientibus, patebat antrum pendentibus formatum scopulis, qui fere totum litus dimidio circulo tenebant et occupabaut. Intra antrum hoc erant, *aquæ dulces, sediliaque e saxo vivo;* scilicet sedilia natura, non arte, aut manu facta. Absolvit *Nympharum domus;* quum Nymphæ dicantur habitare in antris ac fontibus amœnis, noluit hoc poeta relinquere ad plenam descriptionis commendationem. Solent naves in portu vinculis atque anchoris illigari, ne fluctuent : his non egebant Æneæ naves, ut in portu admodum tranquillo.

170. Redit ad narrationem post longam portus descriptionem. *Æneas* ergo colligens naufragii reliquias *huc subit,* succedit, *collectis* tantum ex *omni numero septem navibus :* nimirum, qua ipse vehebatur : tribus, quas Notus in saxa induerat,

164. *Æquora tuta silent.* Tempestate defensa, ideo silent. — *Scæna.* Ioumbratio : et dicta *scena* ἀπὸ τῆς σκιᾶς : apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit : sed de frondibus umbraeula quærebant. Scena autem pars theatri adversa spectantibus. *Serv.*

sed Triton et Cymothoe servaverant; tribus aliis, quas Eurus in arenam impegerat, et ipsemet Neptunus inde eripuerat, levans maria. Procedit, *egressi Troes potiuntur arena optata; amore magno telluris*, vix explices, qua proprietate id dictum. Non utcunque tenent terram, pedemque figunt in sicco, qui passi sunt tempestatem; sed arripiunt, amplectuntur, hærentque ore et pectore. Inde statim, *et ponunt artus in litore*, nimirum projiciunt se in litus, sedent, aut jacent, ut cuique commodum. *Artus tabentes sale* sunt, salsa aqua languentes marcentesque, ac veluti tabidi, et exsiccati salsugine.

174. Nulla prior fuit cura, quam de igne excitando. Achates id præstitit. Damnant hic aliqui poetam, alii defendunt per ὕστερον πρότερον: nam videlicet putant per ista *rapuit flammam in fomite*, explicari actum illum primum excussæ scintillæ: alii aliter; sed nemo placet. Poeta clare ait, raptam flammam, non scintillam, non ignem. Dicamus ergo, excussam primum ex silice scintillam, quam deinde *ignem* vocat; hic primum susceptus est foliis: post hæc apposita sunt arida nutrimenta, quæ vocat fomitem, ut flamma excitaretur, quæ, quia statim accensa est, dicitur rapi; ut quotidie videmus in naphtha fieri, et in tormentario pulvere.

177. Posterior cura fuit de comparando cibo. Illi itaque *fessi rerum*, id est, calamitatum, quas passi in naufragio, *expediunt*, nota studium, *Cererem undis corruptam*; intelligit frumenta; *Cerealia arma* sunt quibus fruges ad escam comparentur, frangantur, terantur: ideo sequitur *parant torrere flammis, et saxo frangere;* quia videlicet oportuit prius frumenta exsiccata esse, ut sic frangerentur: hic enim nihil est aliud *torrere*, quam arefacere, et siccare.

180. Quæ jam Æneæ principis cura? Sollicitus est de suis, *conscendit scopulum, petit late prospectum omnem pelago*, id est,

172. *Arena*. Quæritur, habeat necne nomen hoc aspirationem: et Varro sic diffinit: « Si ab ariditate dicitur non habet: si ab hærendo, ut in fabricis videmus, habet »: melior tamen est superior etymologia. *Serv.*

174. *Ac primum silici scintillam excudit Achates*. Bene adjecit speciem, quia in lapidibus certis invenitur ignis. — *Excudit*. Feriendo elicit; quia *cudere* est ferire: unde et *incus* dicitur; quod illic aliquid cudamus, id est, ferimus. *Serv.*

180. *Æneas*. Merita personarum vilibus officiis interesse non debent: quod bene observat ubique Virgilius; ut in hoc loco. Item in sexto, cum diversis officiis Trojanos diceret occupatos, ait: « At pius Æneas arces quibus altus Apollo Præsidet. » Nisi quum caus-

mittit oculos in pelagus quam late potest : hic ἐναλλαγὴν agnosco, pro petit pelagus prospectu suo. Qui vero ejus animus? ut erat pietate imbutus, nihil de cibo curat; sed pelagus lustrat, si possit videre suos tempestate jactatos. Considera tecum principem virum ab Æolo, et Junone exagitatum, viribus languidum; qui nihil tamen loquatur contra Æolum, nihil per iracundiam contra Junonem; nihil de se curet, tantum de suis sit sollicitus; et videbis poetam hunc eminentissime fuisse complexum curam patrisfamilias; ad hanc enim rem interpretes sollicitudinem istam derivant.

184. Pietas, et labor in quærendis sociis dat Æneæ occasionem venationis, non curiositas et otium, ut Ulyssi. Itaque, quum navem nullam vidisset in pelago, in ipso litore tres vidit cervos, quos a tergo reliqua cervorum armenta longo agmine sequebantur: optime *agmen* de cervis, nam ii gregatim pascuntur: optime item *longum*, nam errabant et pascebantur; itaque indicatur significatio incedentium. Nam agmen est exercitus, non uno in loco stans, sed ambulans incedensque ordinibus.

187. Verbo *constitit* satis indicat, prædam illam fuisse objectam præter spem : statim *corripuit arcum manu;* hoc verbo innuit studium celeritatis; sed cur sagittas vocat *celeres?* quia statim voluit mittere, experirique earum celeritatem. Unde corripuit? ab Achate, qui ut *fidus gerebat tela.* Prudens hic Maro; quia Æneas it absque armorum præsidio, dantur illa fido et observantissimo, ut sciat princeps, quum est inermis, cui debeat latus suum committere. Quoties acciderunt calamitosæ principum cædes propter hanc negligentiam!

189. Dixerat *sequuntur;* ideo nunc *ductores*, quæsita oppositione. Hos ita primum *sternit ferentes capita alta*, ut quibus essent cornua ramosa, atque instar arboris; quasi dicat *capita* alta ex cornibus arboreis. Stratis ductoribus *tum*, deinde, *miscet vulgum, et turbam omnem, agens* illam *telis inter nemora frondea:* quia videlicet interfectis ductoribus, agnosce trala-

sa pietatis intervenit, ut ad sepeliendum socios miscendo se operi alios hurtetur; « Nec non Æneas opera inter talia primus Hortatur socios, paribusque accingitur armis. » *Serv.*

191. *Frondea* pro *frondosa* posuit : sæpe enim dum varietati declinationis student poetæ, mutant proprietatem ; nam *frondeum* est totum de frondibus, ut torus. *Frondosus* vero est locus, qui frondes habet : licet enim locus, qui frondes habet, abundet frondibus;

tionem a militia, vulgus facile miscetur, agitur, conficitur. Vox *miscet*, est, perturbat. *Nec absistit prius, quam victor fundat humi septem corpora ingentia, et æquet numerum cervorum* interfectorum *cum navibus*.

194. *Hinc petit portum* à se relictum, *et partitur* prædam *in socios omnes*. Post cibos *deinde dividit vina, quæ heros Acestes*, rex Siciliæ, utpote *bonus*, benignus, munificus, liberalis, *onerarat cadis in litore* Trinacrio, id est, Siculo, *dederatque abeuntibus*. Hoc facto, *Æneas mulcet dictis pectora mœrentia*. Post carnes quippe et vina, suus quoque cibus animis datur, bono exemplo principum, qui suos firmare non tam cibo debent, quam doctrina.

198. Oratio hæc integra est : habet suum exordium, quo benevolentiam colligit : sequitur confirmatio, ubi duplex amplificatio; mala præterita, futura bona : tum demum oratio absolvitur epilogo exhortatorio : affectus sunt maximi, sed graves, ut decet ducem. Quum ait, *o socii*, benevolentiam colligit, vocans *socios* milites, quasi secum æquales in perferendis laboribus, ait Donatus. Parenthesin sic explica : *neque enim ignari sumus malorum*, quæ *ante* perpessi sumus. Græcus diceret, τῶν πρὶν κακῶν. Continet vero ætimologiam vel præteritorum, vel sequentium, ait Corradus : præteritorum ita ; o *socii*, scilicet malorum quæ antea passi sumus : sequentium ita, *o passi graviora*, non enim ignari sumus præteritorum : esse vero hoc proverbiale hemistichium satis apparet.

199. Vult, ut recordatione graviorum laborum, putent alia incommoda, quæ mox sequentur, exitum habitura, sicuti jam habuerunt graviora illa mala.

200. Incipit enumerare pericula, in quibus fuerant : accessistis, inquit, ad Scyllam. Roget aliquis : accessisse ne ad Scyllam gravius est periculum, quam malum tempestatis, quod nunc experti? Servit, credo, poeta animis mortalium, qui Scyllæ periculum magnum esse existimabant; itaque eo

non tamen est de frondibus totus, ut *saxosus*, *saxeus*. Serv.

195. *Bonus*. Largus, beneficus. — *Cadis*. Omisso cadorum numero, ostenditur vini copia. *Serv*.

196. *Trinacrio*. Græcum est, quod tria ἄκρα habeat, id est, promontoria, Lilybæum, Pachynum, Pelorum. Latine autem *Triquetra* dicitur. — *Heros*. Vir fortis, semideus, plus ab homine habens, ut ait Hesiodus. *Serv*.

198. *O socii*. Ordo est : O socii, revocate animos : bene autem *socios* dixit, ne se eis exæquaret. — *Ignari*. Immemores : est Acyrologia. *Ignarus* enim, qui ignorat : *immemor* vero, qui oblitus est. *Serv*.

accessisse, et inde salvos rediisse, magnum. Quum ait *rabiem*, alludit ad fabulam Scyllæ, quæ versa in canes: quæ sequuntur, *penitusque sonantes Accestis scopulos*, capienda sunt non de Charybdi, quantumvis tibi videatur, sed de eadem Scylla: accessistis, inquit, ad Scyllam; et mox explicans, quæ sit Scylla, addit, *scopulos sonantes*, hosque *penitus*, indicans sonare saxa in Scyllæ parte intima ac recondita.

201. Est hoc alterum periculum: experti, inquit, estis Cyclopum saxa: quum autem hac oratione confirmet milites tempestatis malum expertos, egregie exempla advocat quam simillima; non Trojanorum incendium, unde evaserant; non Græcorum impetum, quem vitaverant; sed pericula maris, quæ jam superaverant. Errant vehementer, qui illa, o *passi graviora*, referunt ad Trojæ eversionem, et Græcorum incendium.

202. Est hæc conclusio superioris argumenti. Dicitur *timor mœstus*, ut *mors pallida*, *senectus tristis*, ab effectis; quia mœstos et sollicitos facit. Illud *timorem mittite*, dictum, pro omittite: ita Terent. Adelph. *Hera, lacrymas mitte*. Concludit rem hac sententia, *forsan et hæc olim meminisse juvabit*, quæ potest habere vicem epiphonematis.

204. Pars altera confirmationis a futuris bonis. Hic primus versus, et quæ dicta sunt supra, opponuntur sequentibus: ut, postquam audieris *Scyllæ rabiem*, *sonantes scopulos*, *saxa Cyclopum*, *varios casus*, *rerum discrimina*, audias deinde quæ sunt jucundissima, videlicet *Latium*, *sedes quietas*, *Troia regna*, quæ surgent in Latio. Ait *fata ostendunt sedes quietas*, firmans non vulgari fide, neque humana, sed divina; et *ostendunt*, inquit, quasi in proximo sit requies. Jam illa, *illic fas regna resurgere Trojæ*, quam vivida ad excitandos animos! Est enim magnum, venturos illos in regnum, et Trojæ, quod sane regnum illorum causa excitandum erat, ut illi tandem quietem haberent.

207. Est hic epilogus orationis exhortatorius cum recordatione felicitatis futuræ: inane quippe esset, si compararet

204. *Per varios casus.* Argumentum per comparationem, et bene dicendo casus, et discrimina præterita attenuat, neque enim ait *pericula*. Serv. — *Rerum*. Potest, salvo sensu, omitti. *Serv.*

205. *Sedes ubi.* Non vacat quod adjecit *quietas*, habuit enim sedes in Thracia, sed portentosas: et in Creta, sed pestilentes; et ideo non quietas. — *Fata*. Quidam hic Deorum responsa accipiunt. *Serv.*

illos ad perseverantiam laborum verbo *durate*, nisi adderet affuturam tandem felicitatem, et res secundas.

208. Talia *voce* quidem proferebat Æneas; sed aliud habebat *corde;* nimirum *dolorem altum*, profundum: hunc itaque *premit;* et *æger curis ingentibus simulat vultu spem*, id est, hilaritatem, qua suos milites confirmat. Traduci hæc possunt ad mores principum, qui sæpe debent vultu lætitiam præferre, etiam si animo mœrorem habeant: quod quum sæpe necessarium, nusquam magis quam in bello: accidit enim non semel, exercitum prope victum ad gloriam victoriæ pervenisse, sui solum imperatoris vultu excitatum.

210. Affectus diversus poesin ornat; ergo post dolorem Æneæ, illiusque animum exacerbatum, militum promptitudo inducitur in comparandis, quæ necessaria sunt ad cibos. Vide vero, uti mirifice studium illorum describat, promptamque operam vivide ante oculos repræsentet. Itaque *Illi se prædæ accingunt*, qua voce alacritas, indicatur; et *futuris dapibus*, cervorum *diripiunt costis tergora*, *nudant viscera*, id est, quidquid carnium habent inter cutem et ossa.

212. Sequitur divisio laboris in partem quadruplicem. *Pars secant* cervos *in frusta*, *figuntque verubus*, frustra illa *trementia*, id est, adhuc palpitantia: *alii locant ahena* in *litore*, *ministrantque flammas.* Quo facto, fruuntur labore suo; nam qui prius *fessi rerum*, jam nunc *victu vires revocant*, atque ita *fusi per herbam* (vide hilaritatem) *implentur Bacchi* (signat meri copiam, ideo signate *Bacchi*, non vini) *implentur ferinæ*, id est, carnis cervorum: utrumque cum elogio; nam vinum *vetus*, caro *pinguis*.

216. Omnia ex decoro, cujus hic vates semper retinentissimus. In convivio Didonis magnæ sunt moræ, ut quod sumptum ad indicandam magnificentiam. Longe aliter in hoc conviviolo, ut quod tantum ad reparandas vires in summo rerum discrimine, ideo festinum et præproperum illud fuit. Ergo, *Postquam fames exempta* est *epulis*, postquam *mensæ remotæ*

208. *Curis. Cura* dicta quod cor urat: denique paulo post ait: « Premit altum corde dolorem. » — *Æger. Æger* est et tristis, et male valens; *ægrotus* autem sive *ægrotans*, tantum male valens. *S.*

213. *Ahena locant.* Quibus utebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa. Huic autem nomini, majores aspirationem dabant, nam *ahena* dicebant.

216. *Postquam exempta fames.*

sunt, statim surgunt, statim *requirunt longo sermone amissos socios:* non hoc obvie, sed exquisite dictum: nam *longo* isto *sermone* innuit longas magnasque inclamationes, studii et anxietatis plenas. Sequitur, requirunt socios sermone *dubii inter spem, et metum:* quare inter spem? nam *dubii* sunt, *seu credant* illos *vivere:* quare inter metum? nam *dubii* sunt, *seu credant* illos *pati extrema, nec vocatos jam exaudire.* Sententia integra est: dubii sunt, an credant illos vivere, ideo spes; an credant mortuos, ac proptcrea illos vocatos, jam non posse exaudire, ideo metus. Itaque cum spe timebant, cum timore sperabant.

220. Latet hic ratio: perinde ac si dicat; *præcipue Æneas gemit*, quia *pius*, et *gemit*, inquit, ut vir, ut heros, in quo non pueriles lacrymæ, sed virilis gemitus; quid vero gemit? *casum Oronti*, pro Orontis, ut supra, *immitis Achilli*, pro, Achillis. Cur vero hunc gemit? quia is bello *acer*, et strenuus. Gemit etiam *casum Amyci:* erat hic Bebrycius genere, quem, ut alios, qui Trojani non erant, summo consilio fingit tempestate abreptum, ut Trojani tantum, ad quos fata pertinebant, regnum erigerent in Italia. Demum gemit *Lyci fata crudelia, Gyan, Cloanthum;* apparentque in medio gemitu elogia amicorum, quæ sint pro ratione.

223. Parat poeta novam digressionem, quæ toti operi Æneidos conducit, ut in qua multa sunt de futura Romani Imperii

Cante in mœstitia, cibis famem exemptam dicit, id est, fugatam, non ad affluentiam quæsitam. Fame et lassitudine oppressos, nullius cura tangebat; refectis vero venit in mentem recordatio sociorum, quorum quum de morte incerti essent, erant inter spem vitæ et metum mortis. Æneæ autem major ponitur virtus, qui nec cibum sumpsit, nec dissimulare a sociis perditis curam potuit. — *Mensæque remotæ.* Per mensas Turneb. XXI, 22; fercula et dapes intelligit, quæ saturis convivis removentur: et recte; nam in toris et herbis discubuerunt.

219. *Exaudire vocatos.* Aut subaudimus *deos*, et quasi conquestio est, quod non flectuntur precibus. Aut quod illi mortui sint: aut a pereuntibus vocatos, non exaudire. Aut certe hoc dicit: non solum periisse eos, sed nec sepulturam habere, ad quam vocentur. Novimus enim quod mortuorum umbræ ad sepulcbra vocabantur; ut est: « Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum. » Et est figura, ab eo quod præcedit, id quod sequitur, quia post facta sepulchra Manes vocantur. *Serv.*

223. *Despiciens.* Deorsum aspiciens, sicut *suspiciens*, sursum aspiciens. — *Velivolum.* Duas res significat, et quod velis volatur, ut hoc loco »: et quod velis volat, ut Ennius: « Naves velivolas », qui

amplitudine et clarissima posteritate Æneæ, quæ omnia tendunt ad Augusti laudem. *Et jam finis erat:* libentius hoc refero ad tempestatem, quam ad diem, aut sermonem, aut cœnam, ut dicat: jam finis erat tam sævi mali, jam quieverant Trojani a dira maris jactatione, quum *Juppiter* humanarum rerum sollicitus, *despiciens ex summo æthere*, principe loco, *mare velivolum*, ut quod Trojanorum iter impediverat; deinde *terras jacentes*, id est, vel in longum latumque porrectas; vel ad discrimen aliorum elementorum, quæ quum mobilia sint, et agitentur, una tellus firma est, stabilis, jacens: vel *terras jacentes*, id est, humiles, cum respectu ad sublimitatem cæli, vel denique cum Acrone *inertes:* est enim jacere ac desidere, inertis; terra quippe inter elementa nullo motu agitatur: ita Horatius, *terram inertem*, dixit od. IV, lib. III. Sequitur, *litoraque et latos populos;* est veluti explicatio præcedentis: cur *litora?* quia mare: cur *populos latos?* quia *terras jacentes:* quasi dicat, despexit e summo æthere mare cum litoribus, terras cum populis.

225. Dicit, *sic vertice cæli Constitit*, quasi nova quædam et altissima cogitatio Jovem invaserit de rebus Africanis; ideo *defixit lumina regnis Libyæ:* nam *defigo* specialem quandam et exquisitam curam signat; ideo postea cum relatione ad hoc, *tales jactantem pectore curas.* Potest etiam particula *sic* simplicius capi; ut dicat: *sic despiciens constitit in cæli vertice.*

227. Jovem itaque *tales curas jactantem pectore*, *Venus* aggreditur pro imperio Romano sollicita. Verbum *jactantem* signat molem quandam cogitationum, ut grande aliquid, quod Juppiter versaret animo. Describit vero habitum complorantis Veneris mira brevitate, dans illi in vultu tristitiam; in oculis lacrymas; et *alloquitur*, mater videlicet pro filio.

229. Ait igitur exordii loco; *O Juppiter, qui regis res homi-*

et proprie dixit. Et est reciproca metaphora navium et avium: legimus enim: « Et velorum pandimus alas »: et contra de apibus: « Nare per æstatem liquidam »: quum natatus navium sit, alæ vero avium. Et sciendum est, esse reciprocas translationes et partis unius. *Serv.*

228. *Tristior.* Ne pota cum Servio poni hic nomen comparans pro positivo, quod bene advertunt Nasc. Corr. et Jul. Scal. de caus. ling. Latin. sed indicat affectum Veneris, quæ tristior esset, quam alias soleret. — *Et lacrymis.* Affectus habitu prodire solet. Ille est maximus dolor, qui ante vocis exortum, lacrymis præcedentibus, nunciator.

229. *O, qui res hominumque*, etc. Graviter cœpit. Non enim ait,

num, res Deorum æternis imperiis, et terres fulmine. Quo exordio quid aptius ad Jovis gloriam, ad benevolentiam colligendam; his enim paucis verbis universam Jovis potestatem includit: nam ubi illius imperio universa sunt subdita tam hominum, quam Deorum, quid amplius exspectes? Hic est *rego; hic imperium*, et hoc *æternum :* ad hæc *fulmen*, quo Juppiter suam religionem sancit. Adjunge oppositionem elegantissimam inter homines et Deos : quasi dicat : Regis res Deorum æternis imperiis, hominum fulmine. Dii enim nutu tantum aguntur, homines minis. Particula *O* indicat affectum, quem ego satis nequeo explicare.

231. *Quid tantum*, quid tam magnum, *Æneas meus*, tuus ergo nepos, *potuit committere in te?* est enim pius et cultor numiuum. *Quid Troes potuere?* qui nimirum victi: est hoc argumentum ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου : *quibus tot funera* terra marique *passis clauditur cunctus orbis terrarum ob Italiam.* Mire exaggerat odium Junonis, quasi dicat : pelluntur toto orbe, ne ad unam Italiam perveniant. Est *ob Italiam*, propter Italiam : non placent, qui explicant, circum.

234. Non oportebat loquentem cum Jove alicujus numinis jusjurandum accipere, ideo permodeste affirmans, tantum ait, *certe*. Quid vero affirmat? *Pollicitus es*, o Juppiter, *volventibus se olim annis, Romanos ductores, hinc hinc futuros*, qui sane ductores *tenerent mare ac terras omni ditione;* idque *revocato*, id est, instaurato *Teucri sanguine.* Id si verum est, *o genitor, quæ te vertit sententia?* Vocat Romanos *ductores*, quia rerum omnium potituri. Emphatice repetit *hinc, hinc*, ut iterans ostendat ex Trojano sanguine, non aliunde futuram hanc instaurationem. Versu illo, *qui mare, qui terras*, etc. complexus est universum Augusti imperium, qui terra marique late dominatus. Illa, *quæ te genitor sententia vertit*, nemo satis laudet : vult arguere Jovem inconstantiæ : sed lenit hanc acerbitatem, tum vocans genitorem, quo illum allicit; tum rejiciens hanc culpam in alium; et quia Junonem intelligit, non audet nominare, ut quæ uxor, et soror. Quid ista ad Homericam Junonem, quæ expostulans cum Jove vocat δολομήτην, *dolosum;* alias *perfidum;* alias *perjurum.*

O genitor : et est tota orationis intentio, injuste vexari a Junone Trojanos. *Serv.*

232. *Quid Troes potuere?* Hoc est, Qui Graiis pares non fuerunt, in te aliquid possunt? Et est Argumentum ab impossibili : ut alibi, « Non ea vis animo » : et est vali-

238. Gravis est dolor, qui præter exspectationem contingit, hinc Venus conquestionem movet. Ego, inquit, fata fatis compensans, hoc uno eventu solabar occasum Trojæ, ac ruinas tristes illius florentissimæ urbis. Sed *nunc* quum sperabam fore, ut tranquilla omnia essent, *fortuna eadem*, adversa, et sui semper similis, *insequitur viros actos tot casibus.* Ergo *Rex magne, quem das finem laborum?* Inest in blanda hac interrogatione vis precationis.

242. Rem jam efficit argumento Antenoris a minore ad majus, qui multis difficultatibus superatis urbem in Italia condidit. Ait itaque, *Antenor elapsus Achivis mediis potuit superare sinus Illyricos, atque tutus superare regna intima Liburnorum, et fontem Timavi.* Considera ex his nonnulla. Non dictum, dimissus, ait Servius, sed ad invidiam *elapsus*, quo notet fugitivum, et *potuit*, non meruit, ut audaciam: et *Achivis mediis*, ut difficultatem eamdem, quum ait *sinus*, non sinum; et *tutus*, quod indebitum proditori: *regna intima*, vere, et ex historia: ait enim Livius, Antenorem *venisse in intimum maris Adriatici sinum*. Quorum vero regna superavit? *Liburnorum*, qui erant pugnacissimi. Vide quot incrementa orationis? sed restant plura: potuit, inquit, superare fontem Timavi, *Unde*, ex quo fonte, *it* Timavus ipse, *per novem ora vasto montis murmure*, tanquam *mare proruptum, et premit arva sonanti pelago*. Vides, uti orationem auxerit narrans difficultates, quas Antenor pervicit, factus compos suorum votorum, quod nunquam contigit Æneæ. Hæc enim procul dubio mens poetæ, præsertim si consideres, nullum esse, aut certe exiguum fluviolum Timavum, cui tamen dedit *novem ora*, dixitque ex sonante fluvio vicinum montem immurmurare; et vocavit, non fluvium, *sed mare*, et *proruptum*, quo magnitudo fluminis indicetur, quod nullas agnoscit oras, nullas ripas, quibus per latera constringatur, arcteturque, sed utique prorumpit, proruit, diruitque omnia: ideo postea se explicans *premit arva*, id est, populatur, vexat: deerat profunditas, ideo *pelago;* deerat rapiditas, ideo *sonanti*.

dius, quam a voluntate: plus enim est, non posse, quam nolle. *Serv.*

246. *Pelago.* Aquarum abundantia. — *Premit.* Populatur, vastat. Sane multi: *It mare proruptum*, Et: *Pelago premit arva sonanti*, hoc intelligi volunt: quod tanta est in illis locis accessa, quæ dicitur maris, ut per ora Timavi, id est, usque ad initium fontis, mare ascendat: unde ait: *It mare proruptum et pelago premit arva*,

247. Dixit, unde exierit Antenor, quas superaverit difficultates; jam quo pervenit. *Hic tamen ille locavit Urbem Patavi, sedesque Teucrorum*, quæ magna est felicitas: *et dedit nomen genti*, vocans a se urbem Antenoream, *fixitque arma Troia*, qua hactenus felicitate Æneas caret: *nunc quiescit compositus pace placida.* Quantum est, in propria urbe sepultum, ubi ejus nomen, et memoria?

250. Accommodat argumentum; quod tu dilata, si lubet, hunc in modum: Æneas tua est progenies, non Antenor: illi cælum debetur te annuente, non huic: ille amisit naves, hic nullam: ille tempestate jactatus est; hic tranquillo semper vento navigavit: ille unius ira vexatus tenere sedes nunquam potest; hic Diis approbantibus sedes invenit; ille proditur, hic nullas insidias passus est; ille excluditur Italia, hic in eam admissus. Ab hac dilatatione, expende alia: *Nos, tua progenies*, participat filii causam, quo Jovem efficacius moveat. Ex decoro Jovis *annuis;* nam ille nutu magis, quam verbis loquitur: verbo *prodimur*, vehementer vulnerat Junonem, quæ omnia dolose et proditorie. Indicat in quo prodantur, quum ait: *Navibus amissis*, quibus tenendus cursus per maria; et quia, *longe disjungimur ab oris Italiæ.* Parenthesis (*infandum*) tum plena est indignationis, tum Junonem lacerat, quæ fas omne, et religionem contemnat: Græci ἀπόῤῥητον.

253. Mirus versus, in quo virus omne querelarum; nam quale est Jovem andire: in hoc honore et pretio apud te est pietas? Sed ita callide omnia, ut quum maxime pungat Jovem, maxime alliciat blanda quadam interrogatione, et ingenerante affectum misericordiæ. Sed quale illud, *sic nos in scep-*

id est, aqua maris premat arva, hoc est, litora vicina cooperiat, *Serv.* Vide notas de Antenore et Timavo, vol. II, pag. 95 et seqq. Atque in primis duos Excursus ibid. pag. 183 et 185.

249. *Compostus.* Pro compositus. Syncope est: detraxit enim de medio syllabam, ut « Et pocula porgite dextris. » *Serv.* — *Placida compostus pace.* Recte *placida*, pro quo nonnulli legunt *placita*: sed prius epitheton non displicet, quo etiam usus est Silius Italicus lib. I. « Ter placidam suasit temerando rumpere pacem. »

251. *Navibus amissis.* Cur quum una navis perierit, ait *navibus*: aut invidiose dixit et exaggerat, aut quia adhuc aliæ desunt, aut quia eas non periisse ignorat Æneas. *Serv.* — *Unius ob iram.* Optime ad finem orationis reservavit, ne si inter initia dixisset, offensos Juppiter sororis et conjugis injuria alienaretur: nec etiam nomen Junonis posuit, ut sine offensa ad injuriarum numerum perveniret

tra reponis? Quasi dicat? Ita per naufragia et ruinas restituis regnum Trojæ, quod amisimus, imo quod reliquimus tuo nutu? hoc profecto innuit verbo illo *reponis.*

254. Præbet se Juppiter Veneri placidum; nam *subridens olli, vultu* illo, *quo cœlum* serenat, *quo tempestates, libavit natæ oscula;* vox *subridens* temperatum risum, non effusum indicat, ex decoro Jovis: et subridet illi, ut tristitiam adimat, qua accesserat cum lacrymis: et subridet, quia ad Venerem φιλομμειδῆ. Ac ne quis in illo mollitiem arguat, qui Venerem deosculetur, lenit mire, quum ait, *libavit*, ubi levissimum osculum, neque cum mora, signat. Si hoc non satis, *natæ*, etenim filiam accipi osculo, quis reprehendat? Quin ait Servius, osculum religionis esse, sicut suavium voluptatis: et Donatus in Eunuchum Terentii, ait, oscula esse officiorum, suavia libidinum, basia pudicorum affectuum: vide quot excusationes. Præmissa jam significatione amoris, *dehinc talia fatur.* Fuit illa significatio necessaria ad Veneris animum confirmandum.

257. Primo illi metum adimit. Est, *parce metu*, abjice metum. Dixerat Venus: *Certe hinc Romanos, etc.* Respondet Juppiter, *manent tibi tuorum fata immota.* Expende, *manent*, et *immota*, et *tibi*. Verba signata ad infigendam certam spem in animum Veneris. Quare fata hæc immota? quia, *cernes urbem Lavini, et promissa mœnia;* diluit quippe illud, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.* Quasi dicat; non solum attinget Italiam; sed condet ibi urbem: demum, quia illa dixerat, *cœli quibus annuis arcem*, ait Juppiter, *sublimemque feres ad sidera cœli, Magnanimum Ænean:* et *feres;* nam gratius hoc esset, si per illam fieret, ait Servius. Hæc si accident, ut vere accident, *non me* ullius *sententia vertit.*

261. Ordo est: *Hic Æneas geret bellum ingens in Italia, contundetque populos feroces, ponetque viris mores, et mœnia:* nota

254. *Olli subridens.* Ut Venus lacrymis, antequam loqueretur, significavit dolorem internum, et quid dictura esset: sic Jupiter statim debuit hilaritate vultus et osculo, et prima parte orationis demere angorem filiæ, nec oportuit eam circuitione deferri. *Donat.*

257. *Parce metu.* Quotiens in caussis arguimur, ante nos purgare debemus; et sic ad actionem descendere, quod et hoc loco Jupiter facit: ante enim objecta purgat, et sic venit ad promissionem. — *Cytherea.* Omnia, quæ apud Græcos *u* diphthongum habent, apud Latinos in *e* productum convertuntur. Κυθέρεια, *Cytherea.* Αἰνείας, *Æneas.* Μήδεια, *Medea.* Serv.

261. *Tibi fabor enim.* Hoc loco

verbum utrique rei commode aptatum: nam Latine eleganter, et *leges ponere*, et *mœnia ponere*. Inclusi parenthesi partem illam, quam videas; sic enim correctissimus Servius; sic non pauci: ut dicat, *fabor tibi;* nam si *tibi* excludas a parenthesi, sententia illa, *tibi geret bellum*, et frigida est, et non vera. Contra apta: *tibi fabor, quando cura hæc remordet te*: præterea *fabor tibi*, quæ non dicerem alteri: *fabor tibi*, quæ mea es filia: verbum *fabor* apte datur Jovi, qui fata constituit. Pergit *et volvens longius*, id est, longe repetito principio, *movebo arcana:* nec voluit, referam, sed *movebo*, ad rei magnitudinem indicandam; magna enim dicuntur moveri.

265. Sententia est: ponet mores, et mœnia, *dum tertia æstas viderit regnantem*, id est, illo triennio, quo regnaturus est, leges dabit, et ædificabit Lavinium. Admiror hic prudentiam Virgilii: dat brevem vitam Æneæ, tres nimirum annos: si triennium diceret, quis dubitat offendi Venerem posse? ergo occultat longa paraphrasi ternæ æstatis, ternæ hyemis, et verbo *transierint*, quo moles quædam annorum innuitur. Deinde transit raptim ad Ascanium, dissimulata Æneæ morte, ut qui videatur triumphos tantum, et glorias connumerare, non obitus.

267. Ait, Ascanium, qui stante Troja dicebatur Ilus, et illa eversa, Iulus, additione unius litteræ, post expletos Lavinii triginta imperii annos, traducturum regnum ab Lavino in Albam longam, quam ipse ædificaturus est, et vi multa muniturus. Per *orbes magnos* intelligit annos solares, ad discrimen lunarium annorum, qui breviores sunt, ac perinde non magni. Sic boni interpretes, Macrobius item, et Giphanius. Illud *volvendis mensibus* nihil est aliud quam, volventibus se mensibus, aut volutis mensibus: nam vox *volvenda*, et similes ad omnia tempora accommodantur, si credimus Turnebo, Scaligero, Budæo, Germano.

excusat quæstionem futuram, quasi Veneri dolenti, quæ vera sunt dicat: et ideo *tibi*, quod nulli alii, id est, tibi soli; nam aliter loquitur cunctis præsentibus Diis: dicet enim in decimo: « Abnueram bello Italiam concurrere Teucris. *S.* — *Tibi.* Quia filia es, quia sollicita, nolo te vexari angoribus; tu docta, tuorum fata lætaberis. *Donat.*

267. *At puer Ascanius.* Prudenter exitum Æneæ et ostendit, et tacuit, dicendo filium postea regnaturum. Aut quia major cura Veneri de nepote: ut in X, « Liceat superesse nepotem. » — *Cognomen Iulo.* Si proprie loqueretur, *agnomen* diceret, non *cognomen*, sed magis ad familiam respexit; quia omnis gens Iulia inde originem

272. Duravit Albæ imperium annos tercentum, usque ad Romulum. Maluit *gentem Hectoream* dicere, quam Trojanos, ad signandam felicitatem: nam quales Reges Albani, qui virtute futuri instar Hectoris? Ait de Ilia, quæ *regina sacerdos*, quia et filia regis Numitoris, et Vestalis.

275. Hactenus de Ænea, et regibus Albanis; sequitur narrationis pars tertia a Romulo usque ad Julium. Ergo, *inde Romulus*, qui utetur *tegmine fulvo nutricis* lupæ, *excipiet lætam gentem* Albanorum, *et condet mœnia Mavortia*, id est, Romam, quam vocabit Mavortiam, a patre Marte, *dicetque Romanos de suo nomine:* nam, qui mœnia a patre, gentem a se voluit nominari. Roma enim et Romani a Romulo. Pergit Juppiter: ego his constituo nullas rerum metas, nulla tempora; nam *dedi imperium sine fine:* quin Juno quæ nunc hostili est animo, ipsa tandem mecum consentiet, et Romanos fovebit. Verba illa, *fatigat mare, terras, cælum metu*, duplicem sententiam possunt habere: vel Juno minis suis omnia replet metu; vel, miscet omnia et perturbat, quia ipsa metuit a potentia Romana, sollicita de sua Carthagine.

283. Explicat hic victorias, quas hic populus habiturus de Græcis hostibus Trojanorum. *Domus*, inquit, *Assaraci* (fuit hic princeps familiæ Æneæ, a quo perinde Augustus) *premet servitio*, vere hoc; nam ab Romanis, mitibus alioquin, *crudelius avariusque in Græcia bellatum:* verba sunt Livii, lib. III. *Phthiam*, Achillis patriam; *Mycenas*, Agamemnonis; *dominabitur Argis victis*, quia dixerat *servitio;* opponuntur enim *servus* et *dominus:* dictum *lustris labentibus*, pro annis labentibus.

286. Est jam in ævo Julii Cæsaris. *Nascetur Julius Cæsar*

ducit. *Serv.* Vide in vol. II, pag. 188, Excursum VIII, de hoc *Iuli* cognomine.

273. *Sacerdos.* Quia ab Amulio Vestæ virgo esse jussa est, ne ei propter edendam sobolem facultas esset viro jungi. *Serv.*

277. *Romanosque suo de nomine.* Perite: non ait *Romam*, sed *Romanos*. Urbis enim illius verum nomen, nemo vel in sacris enuntiat; nec Hyginus ipse, quum de situ urbis loqueretur, expressit.

278. *Nec metas rerum, nec tempora pono. Metas*, ad terras retulit: *Tempora*, ad annos. Lavinio enim triennium, Albæ trecentos statuit, Romanis tribuit æternitatem, quia subjunxit « Imperium sine fine dedi. » *Serv.*

279. *Aspera Juno.* Vel quam tu *asperam* dicis, vel certe, ut et ego fateor. Aperte ponit, quod Venus, *unius ob iram*, dixit. Ergo tantam felicitatem pollicetur, ut acerrima inimica, posito odio, amica futura sit. *Donat.*

286. *Nascetur.* Ad illud respon-

Trojanus, propter Æneam; *ex pulchra origine*, propter Venerem, ad quam genus suum referebant Cæsares, auctor Suetonius in Julio, cap. 61, *qui terminet imperium Oceano*, *famam astris*. Sequitur: Julii *nomen demissum est a magno Iulo*. Attingit postea apotheosin: *accipies hunc cœlo olim*, id est, venturo ævo, et *accipies*, ut supra *feres Æneam*: ait *secura* ab Junonis dolis, *onustum spoliis Orientis*, alludit ad bellum Pharsalicum: *vocabitur hic quoque votis*, ut reliqui e Superis, quibus vota solent fieri.

291. Sequitur pars extrema narrationis Jovis continens felicitatem Augusti, pacemque illam Sibyllis olim et vatibus decantatam: ad quam rem gradum facit a divinitate Jnlii; eo enim relato in Superos, secuta est pax sub Augusto: *tum*, id est, deinde *secula aspera mitescent;* vide oppositionem, quia dixerat *aspera*, ideo *mitescent;* estque translatio deducta a feris, quæ posita immanitate mansuescunt; ideo statim, *positis bellis*.

292. Comitabuntur Augusti ævum virtutes maximæ; in primis *Fides*, et hæc *cana*, id est, antiqua; erat enim Augustus renovaturus aureum et priscum seculum, ubi virtutes, fides in primis, floruerunt. Quid præterea? *et Vesta*, intellige religionem: deinde *Quirinus cum fratre Remo dabunt jura:* quasi

det, *Certe hinc Romanos*. Et omnis poetæ inteutio, ad laudem tendit Augusti: hæc autem Jovis allocutio, partim objecta purgat; partim aliqua pollicetur. — *Pulchra*. Allusit propter Veuerem. *Serv.*

289. *Olim*. Modo futuri est temporis. *Cælo*. In cælum. — *Spoliis orientis*. Victo Pharnace, Mithridatis filio, qui re vera fuit in oriente: cæterum Ægyptus, in qua Ptolemæum vicit, in australi est plaga. *Serv.*

290. *Accipies secura*. Quare *secura?* aut quia nunc sollicita; aut quia Cæsar post mortem meruit aram, fastigium, flaminem; ut Cicero in Philippicis. *Serv.*

291. *Aspera tum*. Id est, Cæsare consecrato, quum Augustus regnare cœperit, clauso Jani templo, pax erit per orbem. Constat autem templum hoc ter esse clausum. Primum regnante Numa: item, post bellum Punicum secuudum: tertio post bella Actiaca, quæ confecit Augustus; quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes: sed bella flagravere civilia, quod et ipse per transitum tangit; diceus, *Furor impius intus*. — De his versibus legeudus est Excursus IX, tom. II, p. 189.

292. *Cana fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus jura dabunt.* — Perfectam reipublicæ felicitatem describit, quæ his quatuor continetur, *religione*, *fide*, *legitima auctoritate*, *pace*. *Religio* conjungit principem et populum cum Deo; *fides* populos, et inter se, et cum principe sociat; *auctoritas*

dicat; quicquid sanciendum est in jure, erit profectum a Fide, a Religione, a Quirino, et Remo. Sequuntur effecta pacis. *Portæ belli*, quæ *diræ* sunt, *claudentur ferro, et arctis compagibus.* Templum Jani intelligit, quod clausum sub Augusto. Portæ sunt *diræ*, quia hæc vox sumpta in re abominanda, et mali ominis; diræ igitur, quæ reclusæ belli omen certissimum habebant. Denique, vide hypotyposin a nemine satis laudatam, *furor impius sedens intus super arma sæva, et vinctus post terga centum nodis ahenis, fremet horridus ore cruento.* Non expendo, quia, quo modo possim, non satis suppetit: an maculem tam graudem Musam? Tantum in extremis nota litterarum et asperitatem et sonum, quibus furoris sævitia expressa; δυσφωνίαν Græci vocant: quod schema gratiam poemati, et magnificentiam conciliat.

297. Omnes hi versus continent incredibilem celeritatem rei gestæ, qua opus in re præsentissima: erant enim jam Trojani in portu. Ideo *hæc ait,* ubi adimitur Jupiter; et pes est

principem populo commendat; *pax* rempublicam cum reliquis terrarum populis conciliat. *Religio* per *Vestam* adumbratur, quæ ignem significat, inquit Servius; et proinde sacrificia, quæ sine igne esse non possunt. *Fides*, eaque antiqua per *canitiem* insignitur. *Auctoritas* principum per Remum ac Romulum, primarum legum auctores. *Pax* per clausas belli portas. — *Remo cum fratre Quirinus.* De genuino hujus loci sensu inter pretes sagacissimi dubitant. Constat sub nomine Quirini Augustum designari: sed quis est Augusti frater Remus, qui cum illo regnabit? An Agrippam intelligit, qui Octaviano censori collega assumptus, et victoriarum omnium illi administer atque etiam deinde gener factus, cum illo Senatum expurgavit et Patriciorum supplevit familias? An potius alludens ad discordiam, quæ initio condendæ urbis Romulum et Remum commisit, et quam cum bellis civilibus comparat, dicere voluit; tunc frater a fratre non dissidebit amplius; non ei struet insidias; non eum occidet; sed res, auctoritatem, mores inter se communes habebunt: et ipse Romulus, si tunc viveret, de nomine urbi imponendo, de legibus dandis cum Remo consentiret? An altercationem, certamen, cædemque Remi inter fabulas reponemus, ut Dyonisius et post illum Glareanus. Atque Drakenborchius censuerunt? Faciant lucem peritiores (Vide tom. II, pag. 104 et 189, notas et Excursum IX.)

297. *Hæc ait, et Maja.* Exposita futurorum promissione, provideri securitas debuit, ne naufragi in terris alienis, et in quibus inimica regnabat Juno, aliquam violentiam paterentur. Procuratur autem Trojanis securitas per duos; quorum alter affinis est. Nam Maia, Mercurii mater, Trojanorum generi nectebatur. Debuit ergo ad

non solum dactylicus, sed etiam adimuntur consonantes, quæ tardent, ut ita vocales convolent. *Demittit ab alto*, adimit, vel, *cœlo*, vel *cœli vertice*, ubi constiterat. Jupiter Mercurium non alloquitur: posset enim longum sermonem exordiri ad illum. Tantum, *demittit*, *ut pateant*, etc. Ille statim non audita voce, sed viso nutu *volat* et *remigio alarum*. Quæ hæc celeritas? Ad hæc non ut in quarto Æn. nectit talaria: ideo ab tanta celeritate *citus astitit*. Quæ sequuntur eamdem habent præcipitantiam; *facit jussa; ponunt Pœni corda ferocia; Regina accipit animum quietum in Teucros*. Vides octo tantum versibus data mandata ab gravissimo Deorum numine, alteri Deorum numini; vides statim nuntium convolantem, et rem statim perfectam, et cum ferocissimis hominibus: nihil tu, Maro, moliris inepte.

305. Narrationem præcedentem, quam longa digressione intercipit, hunc in modum annectit: dixerat, *gemit Æneas casum Orontis, Amyci, Lyci fata, Gyan, Cloanthum*; ergo, *volvens plurima per noctem*: sunt hæc *plurima*, illorum fata, casus, exitus: vere ait *pius*, quia de se nihil curans, nihil de somno, suorum casus deflebat, volvens illos animo; *ut primum lux alma data est*; præclare: putabant enim veteres Solem obire, atque omnino cum die mori; inde sequentem lucem solemque de novo creari, et tanquam munus quoddam a Diis dari mortalibus. Quid vero data luce? *Constituit exire, explorareque loca nova*, et *oras* ad *quas accesserit*, perlatus *vento*; et *constituit quærere, qui teneant* ea loca, *homines ne, an feræ*. Vide fortem Æneæ animum; paratus est ad irruendum sive in homines, sive in feras. Vide etiam, quam egregie depingat hominem, sui nescium, regionisque ignarum; quos illi affectus det. Quid illud *exacta?* explica, diligenter investigata, et explorata: parenthesis (*nam inculta videt*,) continet rationem, cur dubitaverit, feræne an homines ea loca habitarent: nam ubi nulla sunt boum vestigia ducta aratro, ubi nulla sata, quid tu existimes?

effectus implendos, talis mitti persona, quæ præceptorum auctoritate, duplici ratione deducta, celerius maturaret, alarum juvante subsidio. *Donat.*

298. *Ut terræ*. Propter illud, quod sequitur: « Hospitio prohibemur arenæ. » — *Pateant arces*. Propter illud: « Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis. » Bene Servius admonet verbo *pateant* innui habitum et formam pacis: hac enim regnante, omnia patent. — De Mercurii legatione consulendus est Excursus X, tom. II, pag. 191.

310. Abiturus consulit classi, occultans illam sub nemoris, quod supra descripserat, convexitate, et cavitate rupis. Sed quid est, *occulit classem clausam arboribus?* Sic explica claudens classem, occulit illam arboribus, juxta notas Turnebi, et Giphanii; in illis *horrentibus umbris*, alludit ad superiora, *horrentique atrum nemus imminet umbra.* Hoc facto, *ipse graditur comitatus Achate*, *crispans manu*, vibrans ac torquens, *bina hastilia lato ferro*, binas hastas, quibus præfixum latum ferramentum. Traducunt interpretes sententiam hanc ad sapientiam Æneæ, qui e navi egreditur, non solus, neque inermis, ne sibi confidere videretur, quod est temeritatis: non multitudine stipatus, non armis onustus, quod esset timoris: itaque habita est ratio et loci, et temporis: locus enim, ut qui incognitus, non permittebat ire sine armis: tempus vero celerem maturumque reditum ad socios postulabat. Visum non ista aliorum omittere, ut videas nihil sine consilio, et ratione fieri ab hoc vate.

314. Opportunam satis fictionem aggreditur, qua Æneas, qui Libyæ loca explorare destinaverat, de rebus regni illius doceretur a matre Venere, venatricis Nymphæ habitumque cultumque assimulante. Itaque *mater* facta filio *obvia*, *obtulit sese* illi in *media sylva*, *gerens os habitumque virginis et arma virginis Spartanæ*. Est Sparta et Lacedæmon urbs eadem, et caput Laconiæ; ubi virgines ex instituto Lycurgi exercebantur venationibus, lucta, cursu. Notant nonnulli indicari hoc loco continentiam Æneæ, qui, visa in desertis agris pulcherrima fœmina, nullius cupiditatis indicium dederit: et apte hoc notant; nam in suo Ænea repræsentat hic vates, quales esse debeant mores principum. Pergit. *Vel qualis Harpalyce Threissa*, ea forma, qua a Nostro *Phœnissa*, et *Libyssa* a Catullo, *fatigat equos*, non suos, ait Corradus; his enim si uteretur, non laudaretur a celeritate, neque quadraret comparatio cum Venere pedite: *prævertiturque fuga*, id est, cursu, *Hebrum volucrem;* nam hic fluvius rapidissimus.

318. Reddit rationem, cur esset similis Spartanæ virgini, et puellæ Harpalycæ; ideo incipit a particula *namque*. Ergo, *suspenderat*, ut *venatrix* quam assimulabat, *arcum habilem*, et

315. *Virginis os habitumque gerens.* Vultum et amictum: habitus apud veteres dicebatur, tam corporis, quam eorum quæ præter corpus sunt: et bene *gerens*, non habens, quod geri putantur aliena. *Serv.*

318. *De more.* Venantum. *Serv.*

hunc *humeris;* idque de more venantium, *dederatque diffundere comas ventis:* erat præterea *nuda genu*, *collectaque nodo sinus fluentes.* Dat illi res quatuor; arcum ab humeris pendentem; comas, non astrictas, sed solutas; vestem usque ad summum tantum genu, ad summum, inquam, nam nudum erat; demum sinuosam vestem, illigatam, ac collectam nodo, ne flueret, essetque impedimento ad venationem. Primi versus sententia perplexa est: nam potest esse hæc, *suspenderat humeris arcum habilem*, id est, versatilem: insinuat hoc Germanus, qui ait *habilem* respondere Euripidis voci, qui pharetram vocat εὐτρεπῆ: vel hæc, *suspenderat arcum habilem humeris*, id est, aptum congruentemque humeris; bene se habentem in humeris.

321. Interrogat ipsa prior, tum ad fallaciam tegendam, tum maxime ad præbendam Æneæ occasionem fiduciamque loquendi. Quid vero interrogat? *heus, juvenes*, vel quia vere juvenes, vel quia ætatis robore; *monstrate, si vidistis hic quam* (aliquam) *sororum mearum.* Ne quid perperam suspicentur de se, quum sola in sylvis vagetur, sorores se ait habere: et eo ipso habitum venatricis sibi induxit, ut divinitatem occultaret; *forte errantem*, facit rem verisimilem ex more venatorum, qui feras quum persequuntur, errare in sylvis solent: *succinctam pharetra*, Servius sic concipit, in cingulo habentem pharetram: ita quis dicetur succingi gladio, etiam si is pendeat ex baltheo. Aliqui hic agnoscunt *pharetram*, sed nihil muto; *et tegmine lyncis maculosæ*, id est, pelle discoloris, et variantis maculis feræ: *aut prementem clamore cursum apri spumantis;* nam feræ clamore solent premi adigique ad loca retium et insidiarum.

325. Festiva oratio in illis, *Venus*, *Veneris.* Non *audita*, quia Venus rogaverat de *clamore;* non *visa*, quia illa etiam, *Vidistis si quam.* Vide ut brevissime Æneas responderit, tum quia illa brevissime rogaverat: tum ut indicetur affectus Æneæ stupentis de pulchritudine Veneris. Hæc ita fuit magna,

320. *Nuda genu.* Ov. Met. X, 535.

321. *Ac prior.* Paulo post sequitur, *inquit.* — *Heus* adverbium vocantis est; alias interjectio dolentis est: ut, « Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus. » *Serv.*

322. *Vidistis.* Plerumque duo diverse in unum exitum cadunt, licet contraria significent, ut hoc loco; *Vidistis* enim, etiam ad vocem pertinet, quod etiam ex Æneæ responsione colligitur. — *Sororum.* Non tanquam nota sit illis soror, sed ut est in consuetudine. *Serv.*

ut Æneam a brevissima responsione statim revocaverit ad erumpendum in illius laudes.

327. Incipit a particula o plena admirationis. Ergo, o *Virgo;* afficit illam excellenti nomine; primo, ut ejus culligat benevolentiam: deinde, quia antiquis semper visa est virginitas præclarum quidpiam, et honestatis plenum: tertio, quia ipsa sibi habitum virginis induxerat. Pergit, *quam te esse memorem?* Affectus ex dubitatione: nescit enim quam esse putet fœminam inusitatæ pulchritudinis. Nos ita solemus loqui: quem te esse dicam? Maluit vates: quam te esse memorem? certe ut primum vidit Venerem, statim animo destinavit prædicare aliis tam raram pulchritudinem, tanquam insolitum prodigium naturæ. Recte itaque; quam te esse aliis memorem? quam te aliis prædicem? Sequitur duplex causa dubitationis, prima, a vultu; altera, a voce: *vultus non tibi est mortalis; vox non sonat hominem.* Ab hac dubitatione inclinat clare in divinitatem, et id serio affirmat? *o Dea certe:* sed quæ Dea? *an Phœbi soror? an una sanguinis Nympharum?* Nam quid aliud aptius potuit præsumere ex habitu? Ab hac alternantis animi dubitatione erumpit in illud, *sis felix*, id est, propitia; *levesque nostrum laborem, quæcumque sis*, sive mortalis, sive immortalis.

331. Vult scire, sub quo sit cælo, in quibus terrarum partibus; neque ait, simus; sed *jactemur* ad majorem affectum. Reddit rationem, cur velit hoc scire, *quia ignari hominum, ignari locorum erramus, acti vento, acti fluctibus.* Laudo hic poetam: lasciviret alius longa oratione, et late connumeraret præteritam tempestatem, quod non semel facit Ulysses Homericus. Noster brevissime tria docet: primum, non illum fuisse cursum; nam *erramus:* deinde, tempestatem; tertio, tempestatis vim, nam *vastis fluctibus.* Expende vocem *erramus:* dixerat illa; vidistis forte errantem sororem? Respondet hic: neminem vidimus errantem; tu nos errantes aspice.

334. Divinitatem quam illi dederat, confirmat judicans illam dignam, quæ habeat aras: illi ergo hostiam pollicetur;

328. *O dea certe.* Hic o distinguendum, uti post inferat, *dea certe;* confirmans opinionem suam; et est conclusio syllogismi, qui constat ex propositione, adsumptione, conclusione: nam si nec vox, nec vultus mortales sunt, restat, ut dea sit.—*An Phœbi soror.* Diana; quæ est venatrix: bene autem suspicatur pro loco et qualitate habitus personæque; nam in *sylva* et cum habitu qui Deam venatus signat.

et hanc non quamcunque, sed multam; deinde, non per alios ministros, sed per se.

335. Dixerat extremo loco Æneas, *cadet in tuum honorem ante aras tuas multa hostia:* hoc respuens Venus ait; non *tali honore* sum digna; et signate *honore:* nam sermo est de sacrificiis. Argumentum, quo Æneas suspicabatur, illam esse Dianam, ducebatur ab adjunctis, videlicet ab arcu, a pharetra, a genere indumenti; nam hic habitus Dianæ erat. Avertit hanc suspicionem, et habitum confert in morem patriæ.

338. Incipit satisfacere Æneæ, et accingit se futuræ narrationi, complectens breviter in hoc exordio, quæ multis dictura. Hic versus mirus est: distinguit enim provinciam, urbem, genus illorum, qui condidere Carthaginem. Ergo, *vides regna Punica,* id est, regna, quæ ortum ducunt a Phœnicibus; en provinciam. *Vides Tyrios;* en jam signate urbem; nam Tyros urbs est Phœniciæ, et ex ea urbe profecti sunt conditores Carthaginis. Non contenta Venus provincia, et urbe, contractius loquitur, *Urbem Agenoris.* Erant enim qui Tyro advenere, ex genere Agenoris.

339. Subaudi, sed fines sunt Libyci regni; vel, quod malim, sed hi sunt fines Libyci. Sequitur, *genus intractabile bello.* Agnosco quiddam non vulgare, tum ex hoc, tum ex particula *sed,* in qua est oppositio. Phœnices et Tyrii, sicuti plurimum omnes Asiatici, habiti sunt mollissimi. Ergo post horum mentionem infert bella; quasi dicat: etiamsi Carthaginienses ortum habeant a Phœnicibus, et Tyriis mollissimis: ne tamen Phœnices et Tyrios puta; non sic Agenoreos; sunt enim bello acres. Contingit enim mores mutari cum loco; docet sæpe hoc natura ipsa in plantis.

340. Tenet hic Dido imperium, quæ Tyro profecta est: dicit *imperium* ad majorem admirationem. Regna obtinuisse fœminas, crebrum; non ita crebrum, imperia: nam hæc vox

335. *Tali me dignor honore.* Id est, sacrificio: et aut vult se probare non numen; sed virginem Tyriam; aut ideo non amplectitur sacrificium, ut diutius lateat: aut certe quia Paphiæ Veneri, quæ Cypri colitur, thure tantum sacrificatur et floribus. *Serv.*

338. *Punica regna vides.* Ad illud *Et quo sub cœlo tandem:* Et quidam *vides,* pro *visurus es* accipiunt: nam quemadmodum in media silva urbem videat et Tyrios? Hic attentum facit Æneam. *Serv.*

340. *Imperium Dido.* Mira brevitas, sed quæ multa complectatur. Præteritum enim et præsens ponit, et quæ vocaretur; et quid ageret, quæ illis imperabat. — *Dido.* Dido vero, nomine Elissa

signat etiam bella. Sequitur, *Germanum fugiens*, per prolepsin: occupat enim, quod rogare posset, quare Dido relicta patria sedes verterit? In his *longa est injuria*, *longæ ambages*, locus est attentionis: in illis autem, *sequar summa rerum fastigia*, id est, capita; locus est docilitatis.

343. Incipit narratio a nuptiis Didonis cum Sichæo, qui *agri ditissimus* inter Phœnices. Attingit videlicet genus illud divitiarum, quod heroicis temporibus honestissimum in agro, in pecoribus. Erat Sichæus *magno miseræ dilectus amore*. An, miseræ Didonis? an miseræ Didoni? hæreo. Primum præfert Nebriss. alterum reliqui; cum his ego. Et hic etiam alius nodus: an, misera, id est, infortunata? an quæ misere et perdite amabat Sichæum? Quod malis. *Dederat pater* Didonem Sichæo: est forma Latii *dare nuptum*; poeta amputavit; et *dederat intactam*, signat virginitatem; *jugaratque primis ominibus*, en clare conjugium; et hoc ex ritu veterum; qui tum reliqua, tum inprimis nuptias auspicato gerebant. Sed cur *primis ominibus?* explicat vocem *intactam*. Quasi dicat; ideo intacta, quia illæ primæ erant nuptiæ. Sequitur, *sed habebat regna germanus Pygmalion*. Particula *sed* adversans, mire hic posita. Quid enim profuit tam munitas fuisse has nuptias tum Beli, tum Deorum voluntate et auspiciis, ubi erat scelus, et audacia Pygmalionis? Sed quid illud? *scelere ante alios immanior omnes, Quos inter medius venit furor*. Sententia est: fuit Pygmalion sceleratior omnibus, quos furor ad facinus impulit; fuit scelere immanior ante alios omnes, inter quos venit medius furor: furiosorum itaque furiosissimus. Nec te moveant verba ipsa, quibus videntur innui rixæ et dissidia præcessisse inter Sichæum, et Pygmalionem; nam repugnat hoc sequentibus: et Justinus, qui late hoc narrat, atque Eustathius, aliique nihil tale meminerunt.

348. Narrat id facinus Pygmalionis. Particula *ille* miram

ante dicta est, sed post interitum a Pœnis Dido appellata, id est, *virago*, Punica lingua, quod, quum a suis civibus cogeretur, cuidam de Afris regibus nubere, et prioris mariti amore legitimo teneretur; forti se animo, et interfecerit, et in pyram injecerit, quam se, ad expiandos prioris mariti manes, extruxisse fingebat. *Serv.*

348. *Quos inter medius venit furor:* non admitto Servii neque Donati interpretationem, quamvis Cerda his adhæreat; itaque de odio Pygmalionis in Sichæum intelligo; neque necesse est illud odium esse mutuum, ut dicatur; *furor medius inter eos venit:* sufficit alterum alterius *ferro superatum* fuisse. *Ed.* — *Ille*. De quo nihil

habet emphasin: interfecit Sichæum ille, qui rex, qui dives, qui frater! debuisset abstinere rex ab omni injuria; dives, ab opibus Sichæi; frater, ab lædenda sorore: ille itaque, ut qui *impius*, ut qui *cæcus auri amore* (en duplex causa parricidii) *superat ferro*, potuisset dicere, interemit; sed judicio exclusit: *Sichæum incautum*, nihil utique timentem, et securum; vides ut nihil dissidii præcesserit: idque facinus patravit *ante aras et clam;* est hæc duplex circumstantia sceleris. Interfecit vero illum *securus amorum germanæ*, id est, explicatore Jul. Scalig. *contemptor et solutus metu, ne pro amore odium consequeretur*, quia videlicet putabat rem celandam: et inde non timebat odium Didonis in se: non placet Scaliger. Imo sententia est; interfecit illum *securus amorum germanæ*, id est, nihil curans amores germanæ erga Sichæum: putavit videlicet se posse rem illam impune facere, quia Dido nihil sciens, qui aspiraret ad vindictam? Ille peccat securus, qui nullo peccat metu. *Diu factum celavit*, commento aliquo; et *lusit spe vana amantem*. Sed qui lusit? quia *malus*, et egregius *simulator:* nam aliter qui falleret amantem?

353. Necessaria fictio. Quum nihil irarum præcessisset inter Sichæum, et Pygmalionem; quum rex ipse aditus omnes præmunivisset, ne erumpere posset rumor cædis, nulla humana conjectura assequi Dido poterat nec scelus, nec auctorem sceleris. Ideo fingitur Sichæus rem in somnis aperuisse: *venit* ergo *in somnis imago conjugis inhumati;* nam carebat et sepulcro, et justis funeralibus; ii enim *inhumati* dicebantur; venitque *attollens ora pallida miris modis:* ingens affectus ad terrorem Didonis, ad misericordiam Sichæi. Quid vero ille in somnis? *Nudavit aras crudeles, pectora ferro trajecta.* Expende omnia. Quæsivit verbum *nudavit* non obvium, ut quod referendum non ad aras solum, sed ad pectora. Vocat aras crudeles, quæ piæ alioquin; est enim apud aras, ait Servius, patratum scelus: pari acumine Tibullus lib. IV, *sævis mensis:* quum ait *pectora trajecta ferro*, olet rem tragicam, in qua ad

tale sperabatur. *Ille*, quem nulla urgebat inopia, qui germanam viro privare non debebat, qui affinem servare debuit, qui contra naturæ religionem faceret, contra judicium patris, rupto humanitatis et affinitatis vinculo, ante aras etiam Herculis, cujus erat summus pontifex Sichæus, ut sceleri sacrilegium adderet. *Donat.*

353. *In somnis.* Si ab eo, quod est somnium, Synæresis est; ut *peculi* pro *peculii*. Si autem a somno venit, *in somnis*, id est, quum somnos caperet. *Serv.* — Legendus est Excursus XI, tom. II, p. 192,

perturbandos spectatores similia fieri solebant: nudat ergo, et ostendit pectus hians vulnere. Quid præterea? *retexit omne scelus domus*, quod *cæcum* erat: nam quid cæcius eo scelere, quod admissum ab avunculo, a fratre sororis, et fortasse in domo Didonis, et tamen ignorabatur? Quid vero *suadet* verus amator? *celerare fugam, excedere patria.* Non petit, ut sibi persolvat justa funeralia; sed ut illa locetur in tuto: et *recludit tellure thesauros veteres;* indicans videlicet locum, ubi latebant, ut inde recluderentur; nam ipse qui reclusit? et hos in *auxilium viæ*, signat viaticum, ἐφόδιον, τὰ πορεῖα. Quod sequitur, *pondus ignotum argenti, et auri*, refero vel ad tenebras, in quibus latebant opes; vel ad ingentem thesaurum; ita enim erat magnus, ut non facile ipse sciret. *Dido his commota parabat fugam, sociosque*, quia, ait Justinus, *Elisa dissimulato odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacite molitur.*

361. Conveniunt, qui tyrannum oderant, qui metuebant. Est hæc duplex nota tyrannidis: *corripiunt naves, quæ forte paratæ* erant, *onerantque* illas auro. Vox *forte* necessaria ad narrationem, et occurrens objectioni: nam qui Dido posset clam fratre naves parare, et ingentem rem moliri? *portantur pelago opes avari Pygmalionis*, quas videlicet ipse suas esse putabat. Nota frequentiam dactylorum ad indicandam celeritatem fugæ: absolvit viam, pulcherrimum epiphonema, *dux fœmina facti.*

365. Finis navigationis. Nam *devenere* in *locos, ubi nunc cernes mœnia ingentia, surgentemque arcem novæ Carthaginis.* Laus magna Didonis, quæ brevi spatio non modo urbem condidit, sed cinxit mœnibus, et propugnaculis.

367. Sententiam sic concipe; *Mercatique* sunt *solum, quantum possent circumdare tergo taurino*, quod solum *Byrsam* vocarunt *de facti nomine.* Commentum Didonis hoc fuit: emit tantum soli, quantum posset tegere corio bubulo, quo mox desecto in partes tenues, tantum spatii occupavit, quantum satis erat condendæ arci; alii, non arci solum, sed urbi; non

de Sichæi umbra Didonem admonentis.

361. *Conveniunt, quibus aut odium tyranni, aut metus acer erat.* Oderant læsi; Metuebant lædendi, hoc est, qui timebant, ne læderentur. — *Odium crudele tyranni.* Id est, crudelis tyranni, et figura est Hypallage; nam in tyrannum, justum odium est. *Serv.*

364. *Dux fœmina.* Ad insultationem Pygmalionis dictum, ut ea, duce fœmina, perdiderit, quæ assecuturum se putabat. *Donat.*

ita vere, quam arcem *Byrsam* a corio nuncupavit. Videndus Justinus.

369. Tria rogat, qui sint? unde veniant? quo eant? ait *tandem* quia præcesserat longa narratio. *Ille suspirans*, *trahensque vocem ab imo pectore*, respondit Veneri *quærenti talibus*. Indicatur qualis esse oratio debeat, quam præcedunt magni affectus; nam suspirat, trahitque vocem ab imo pectore.

372. *O Dea*, *si repetens pergam*, id est, si repetam ab prima origine et inde loqui pergam, ac tibi vacet audire seriem nostrorum laborum, nos clauso tenebris cælo Vesper opprimet, me loquentem, te audientem.

375. Litteram ita evolve: *Tempestas forte sua*, id est, casu, quo solet, *appulit oris Libycis nos vectos ab antiqua Troja per diversa æquora*, *si forte nomen Trojæ* ivit jam *per aures vestras*. Ait *vestras*, non tuas, signans regiones Africæ: nota affectum in illis, *diversa per æquora vectos:* quum dicit, *nos Troja antiqua;* respondet illis, *quibus aut venistis ab oris*. Geminat cum lepore, *forte*, *forte; Troja Trojæ;* quasi dicat: si forte urbis illius nomen audistis, non solum antiquitate sua celeberrimæ, sed ob recentem cladem toto terrarum orbe notissimæ.

378. Quæsierat Venus, *sed vos qui tandem?* respondet; *sum Æneas :* et *pius*, nam *veho classe Penates;* hosque per vim *raptos ex hoste;* a quo facto, *fama super æthera notus*. Neque pugnat, postea dici *ipse ignotus:* nam qui ignotus in Africa facie et corpore, notus est fama super æthera. Quæsierat, *quove tenetis iter?* Respondet: *Italiam quæro*, et addit *patriam* propter Dardanum, qui ab Italia duxit originem; ac demum propter eumdem, *et genus ab Jove summo*. His clarius genus suum

373. *Annales.* Inter historiam et annales hoc interest; *Historia* est eorum temporum, quæ vel videmus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est, videre. *Annales* vero sunt eorum annorum, quos ætas nostra non novit, unde Livius ex annalibus et historia constat: sed confunduntur licenter, ut hoc loco pro historia dixit annales. *Serv.*

374. *Clauso.* More poetico, qui dicunt cælum per noctem claudi, per diem aperiri: unde est: « Porta tonat cæli. » et « Considunt tectis bipatentibus. » *Serv.*

377. *Forte sua.* Casu suo, id est, quo solet: *forte* autem nomen est, a nominativo *fors*, ut Terentius: « Fors fuat pol »: ipse alibi: « Quoniam fors omnia versat. » *Serv.*

378. *Sum pius Æneas.* Non est hoc loco arrogantia, sed indicium: nam scientibus aliquid de se dicere, arrogantiæ est: ignotis, indicium: aut certe heroum secutus est morem, quibus quam mentiri turpe fuerat, tam vera reticere.

aperit; nam supra, Trojanos se esse dixerat, quia una cum Achate? sed de se hic peculiarius loquitur, reddens peculiarem sui rationem, ut qui dux reliquorum.

381. Pertinent hæc ad amplificandam calamitatem: qui conscendi æquor cum navibus viginti; nec temere, nam *data fata secutus;* nec absque ope divina, nam *matre Dea monstrante viam:* qui maria conscendi cum classe valida, cum fatis, cum Dea, vix jam habeo septem superstites, et has undis, atque Euro convulsas, vexatas, laceratas; ita ut huic tantæ fortunæ et numero opponat, *vix septem*, vehementer extenuans.

384. Est hæc extrema pars orationis, ubi fontes aperit eloquentiæ, majoresque affectus movet; et talia hæc sunt, ut a quovis lacrymas possint excitare. Considera ipsa virum nobilem Æneam; ortum ab regibus; ducentem originem ab Jove; natum Dea et heroe; pium supra omnia; præstantem fortuna, nam ingressus est mare, ductrice Venere, fatis monentibus, viginti navium numero: ac mox cum hac tanta fortuna confer, eo appulisse, ubi ignotus sit, egens, ubi peragret deserta Libyæ, Asia pulsus, atque Europa, cui vix naves ad iter supersint, et illæ laceratæ; et videbis magnam his rebus commiserationem excitari ex incredibili rerum commutatione. Neque caret observatione, retulisse res suas prosperas per versus octo, ab illo, *nos Troja antiqua*, etc. ut deinde ingentem fortunam et prolixe narratam hauriat tribus versibus nondum integris, ab eo, *vix septem*, etc. ut ipsa etiam verborum paucitate in nihilum omnia recidisse ostendat. Præclare itaque gravissimam conquestionem, et acerbissimum excitatum dolorem consequitur materna pietas Veneris, quæ *non passa querentem*, quæ *interfata est medio* filii *dolore.*

387. Aliqui duos primos versus a particula *haud* includunt

Excursus XII, tom. II, pag. 193, hunc locum recte explicat.

384. *Ignotus.* Summa in humanis miseria, in alienis terris nullius habere notitiam; augetur etiam si sit egens: nam si non egeret, non esset cujusquam ei notitia necessaria. Ad hæc duo mala, ignotus et egens; additur tertium, solitudo, ut nihil ad victum suppeteret, nec inveniretur, qui daret. *Don.*

385. *Europa atque Asia.* Tacuit de Africa, quia in ipsa erat. Venus autem sermonem interrupit, vel quia norat cuncta, vel quia non libenter audiebat, vel quia maturandum, quoniam ante noctem via monstranda erat. *Donat.*

386. *Dolore est.* Aut narrantis Æneæ, aut certe suo dolore: æquum enim est, malis filii etiam ipsam moveri. *Serv.*

387. *Quisquis es.* Adhuc veluti cum ignoto loquitur. Veteres, quan-

parenthesi, hac sententia; *quisquis es, perge*, etc. Non placent: immo, quisquis es, felix es, et carus Superis, qui Carthaginem adveneris, tantummodo perge; et hinc te perfer ad Didonis limina: sic enim videtur magis illius spem erigere. Illis, *Tyriam qui adveneris urbem*, unice demit anxietatem, putabat quippe ipse se deserta Africæ peragrare: inest prætcrea in his verbis ratio, cur carus sit superis. Dicit, *hinc te perfer*, quia fortasse ille cogitabat regredi ad naves: quum ait, *ad limina*, proprie loquitur; non enim sumit partem pro toto.

390. Lætissimum supra humanam fidem reddit, nuncians eos esse incolumes, quos ipse viderit vento turbari, fluctibus disjici. Sententia pendet a superiore versu: dixerat, *perge, perfer te hinc:* ait nunc; nam ibi socios, et classem reperies. Itaque præoccupat Venus, quod ille fortasse diceret, velle se redire ad quærendos socios. Ait *classem actam in tutum Aquilonibus*, quia Aquilo in Africam fert sibi oppositam. Sed quare *versis?* id est, leniter jam flantibus, tantum ad cursum, quum prius atrociter spirassent ad ruinam. Servius sic explicat: *Quia postquam ad Africam iter verterunt, adversus ante Aquilo, cœpit esse prosperior.*

392. Superius vaticinium divinitatem declarabat; quam ut tegat, rem conjicit ad artem augurandi. Docebant Veteres omnia genera doctrinarum suos liberos, inprimis auguria: erant illa falsa, et inania; sed parentes tamen digni laude, qui non sinebant otiosam esse juventutem.

393. Firmat, quod dixerat, hac sententia: aspice cycnos duodecim plaudentes et ludibundos, quos dudum aquila insectabatur, turbabat, abigebat alio: jam abeunte hoste ludunt, canunt, redeunt in propria; haud aliter, etc. Hic mihi aliqua necessario expendenda ad plenam sententiam capiendam. *Lætantes* tanquam victores; significat Æneæ socios tempesta-

do ignorabant, cum quo loquerentur, vel quum ignotum compellarent, tali utebantur formula. — *Haud*. Equidem oportet te diis carum esse, quoniam Carthaginem veneris: hæc verba omnium spondebant effectum, de quibus conquestus erat. Nam et notitiam sui et celebritatem et humanitatem pollicetur. *Donat.*

390. *Reduces*. Reduces proprie dicuntur, qui pericula evadunt: sicut infra, « Ut reduces illi ludunt: » scilicet post periculum illatum ab aquila. *Serv.*

393. *Bis senos cycnos*. Cycnos navibus comparat, aquilam tempestati. In auguriis autem considerandæ sunt non solum aves, sed etiam volatus, ut in præpetibus: et cantus, ut in oscinibus: quia nec omnes, nec omnibus dant au-

tem vicisse. *Agmine*; sic Aristoteles, κύκνους vocat ἀγελαίους, quod agminatim congregentur. *Turbabat*, quasi jam non turbet, quia socii defuncti tempestate salvi jam sunt. *Aperto cælo*; claro, sereno. Sequitur; *nunc terras ordine longo, Aut capere, aut captas jam despectare videntur.* Interpretes explicant verbum *capere*, designare, eligere, non prorsus prendere, ut sit hæc sententia : videntur jam designare, et destinare locum, ad quem perveniant: aut certe designatum destinatumque despicere e superiore loco. Nam si locum jam occupavissent, qui despicerent? Donatus quoque ait, *capere* esse diligere, in Heaut. Terent. advocans hunc locum Virgilii. *Ut reduces*, etc. Signa felicitatis in duos versus congerit; ludunt alis, polum cingunt in modum coronæ, dant cantus. *Haud aliter;* rem accommodat. Putant quidam interpretes, per aquilam intelligi aut Junonem, aut Æolum; Servius, tempestatem ipsam. *Puppesque tuæ pubesque tuorum;* duplex figura, annominatio ex verborum commutatione, ut amantium, amentium; arator, orator; sic puppes, pubes: altera, *tuæ tuorum*, est figura, quæ vocatur traductio. Aut *portum subit* etc., respondet hic versus illi, *Aut capere*, etc. Itaque ut cycni videntur aut terras capere, aut captas despectare : sic puppes tuæ, aut jam sunt in portu, aut subeunt ad portum plenis velis. Demum post lætum augurium redit exhortatio, *Perge modo, et gressum dirige, qua te ducit via;* credibile, imo certum, viam jam manu commonstrasse.

402. Sequuntur signa quatuor divinitatis in Venere, videlicet, splendor cervice aversa; ambrosiæ odor; vestis defluxus; incessus.

405. Commovetur in matrem jam cognitam; quæ commotio non est contumeliosa, sed ex affectu cupientis cum ea colloqui ad solatium calamitatum. Est *ubi* hic, postquam : quum ait *crudelis tu quoque*, fit nonnulla allusio ad Junonem, quasi

guria : ut columbæ non nisi regibus dant; quia nunquam singulæ volant, sicut rex nunquam solus incedit.

396. *Capere*. Eligere : ut, « Ante locum capies oculis. » — *Despectare*. Id est, electas jam intentius despicere. *Serv.* — *Aut captas jam despectare: Captas*, id est, *capiendas*, ut superius « submersas obrue puppes », id est, *submergendas*. — De hoc loco difficili consule notas, vol. II, pag. 117.

403. *Ambrosiæque comæ*. Sic ejus comæ se effuderant, ut putarentur ambrosia, qua mulieres in unguentis admiscent, perfusæ. *Donat.* — Vide tom. II, pag. 194, et sqq. Excurs. XIII, qui fuse tractat de iis quæ Deorum præsentiam arguunt.

dicat; illa sævissima est in me affligendo; tu nonnihil in illudendo.

410. Servius monet, *incusare*, proprie esse superiorem arguere; ut in Terentio pater ad filium, *Quid me incusas?* — Per finitionem hanc *aere obscuro*, intelligit nebulam: quam rem postea expoliens explicat per illa, *multo amictu nebulæ;* quasi dicat, ideo obscurus aer, quia densa nebula. Reddit postea causam quadruplicem, cur illos ἀοράτους reddiderit, videlicet, ne quis posset eos cernere; ne quis contingere; ne quis impedire; ne quis poscere causas adventus.

415. Redit ad Venerem, quæ Paphum abiit, ubi ejus templum, sedesque, in quibus centum aræ, illæque halantes thure et sertis. Utrumque cum elogio, thus est Sabæum, quod optimum: serta recentia, quæ magna laus Paphi. Est enim magnum semper terram fronde et flore supervestiri, ut coronæ recentes sint.

418. Innuitur aviditas: Turnebus IX, 27, *corripere viam; gradum raptim facere.* Ita Plinius epist. IV, 1, *viam ipsam corripiemus.*

419. Clara omnia; tantum *plurimus collis* hic est, longus, explicatore Servio, et firmatore Corrado, qui ait ex Polybio et Appiano fuisse collem hunc longum tria millia passuum. Mihi placeret pro alto accipere; et quia altus, ideo *ascendebant;* ideo *imminet;* ideo *spectat desuper.*

421. Ipsa ducis admiratione collige majestatem ædificiorum. Est in hoc versu oppositio elegans inter molem, quæ signat magnitudinem operis; et inter magalia, quæ sunt rustica et humilia Afrorum domicilia. Putant aliqui, fieri allusionem ad Romanam urbem, quæ ex parvis initiis et casis

407. *Quid toties.* Multi tamen volunt in hoc ipso loco sæpe eum esse deceptum; nt in habitu, quia virginem, quia venatricem, quia Tyriam, in interrogatione, in responsione, in auguriis, vel toties crudelis, quoties fallis et dissimulas. *Serv.* Debuit autem incusatio ad abeuntem non esse longior, quam ut celeriter ad fugientis aures pervenire posset.

412. *Circum dea fudit.* Figura est Tmesis: quæ fit, quum, secto sermone, aliquid interponimus: ut alibi, « Septem subjecta trioni. » Sed hoc tolerabile in sermone composito: cæterum in simplici, nimis est: quod tamen faciebat antiquitas; ut, « Saxo cere comminuit brum. » *Serv.*

416. *Halant.* Pro olent. *Serv.*

420. *Adspectat.* Est ornatus quum animantur res, id est, quum rei insensibili datur sensus. *Arces* autem, scilicet in medio urbis positas inprimis Byrsam.

pastorum excrevit in magnam molem. Ex tanta illa mole signat præcipue *portas*, quæ maximæ; *strepitum* ædificantium, *stratas vias;* ait hic Servius, Pœnos primos omnium lapidibus vias stravisse.

423. Vide jam ardorem ædificantium, et omnia cum summa proprietate. Muri dicuntur *duci*, quia πρὸς ὀρθὸν κανόνα, *ad rectam regulam lineamque.* De arce *molior*, quo verbo exprimitur conatus, et labor: saxa *subvolvuntur manibus*, quia manibus fit nisus ab inferiore parte, ut provolvantur: fit *optatio* loci ad domos singulas; ex vetere loquendi forma: locus jam optatus *concluditur sulco* ex vetere instituto; *leguntur jura*, id est, loca dando juri; et *magistratus*, qui præsint juri dicundo; et *senatus*, et is *sanctus*, quia incorruptus, integer, augustus. Observa verbum *legunt:* nam adducturus est comparationem apum, de quibus ipse IV Georg. *natos ore legunt.*

427. Non contenta Dido portubus, quos dedit natura ad oras maritimas, in hanc rem ex arte incumbit. Sed vide prudentiam orationis: præmisit vates, quæ salutis, et dignitatis sunt: quippe ad salutem pertinent muri, domus, arces, portus; ad dignitatem jura magistratus, senatus; hæc, inquam, præmisit: nam hæc prima esse debent; jam posteriore loco adhibet, quæ pertinent ad civium voluptates; hæc sunt theatra, quorum locant fundamenta, exciduntque columnas immanes, id est, ingentes e rupibus, ad futuras scenas histrioniæ, quibus populus oblectatur.

430. Prudentissima comparatio: nam, qui urbis novæ ædificationem describit, Pœnorum sedulitatem, jura, leges, magistratus, quid potuit illustrius afferre, quam apum Rempublicam universam? in quibus imago splendet civilis administrationis. Vide vero ut dilatet, ut etiam exornet rem apium? *Exercet illas labor;* signant agmina, exercitus, acies, duces,

427. *Portus effodiunt.* Ut portus scilicet faciant: et vere ait, nam Carthaginiens. cothone fossa utuntur, non naturali portu. *Serv.* — Portus, non naturales, sed manu factos, *cothones* appellat Festus, sed parvam insulam Carthaginis, quæ vicem portus præbebat, ita ex Strabone et Appiano nominatam putat Salmas. exerc. Plin. pag. 1128; cui *Cothon* sive *Cothonum* pro portu fossitio vix Latinum videtur. *Emmeness.*

430. *Qualis apes.* Comparationis genus, quæ ἐπαγωγὴ dicitur; et mire quadrans huic negotio: sunt autem versus prope omnes huc translati e Ge. IV, 162. *Taubm.* — *Æstate nova.* Incipiente: ut, « Vere novo. » Et bene *nova*, quia est æstas et adulta et præceps, secundum Sallustium. *Serv.*

milites, quæ omnia apibus tribuuntur. Exercet vero illas *sub sole, æstate nova, per rura florea* : cn triplex circumstantia : exercentur rebus quinque; aut enim proli incumbunt, aut stipandis mellibus, aut distendendis cellis, aut accipiendis oneribus fatigatarum, aut arcendis fucis. Cur vero hæc studia eligit præ innumeris apicularum? quia hæc ad rem aptiora. Ideo Servius admonet nihil in hac comparatione redundare : nam Pœnorum operi apum labor comparatur: fit prolis mentio, et domorum; nam Pœni domus ad salutem construunt, in quibus nuptias celebrent, et indulgeant liberis: custodiæ litorum expulsio fucorum comparatur? et hi quidem arceantur a præsepibus, ut fures, non a labore, in cujus partem si venirent, non arcerentur. Ab universa explicatione recurro ad voculas, si quæ difficiles : *rura florea*, pro florida, ut frondea, pro frondentia : *educunt*, proprie, quia non singulæ de singulis educuntur, sed omnes de omnibus : *stipant*, et *distendunt*, egregie opponuntur : *dulci nectare*, id est, melle nectareo : *ignavum*, quia sine aculeo fuci : *pecus*, quia quicquid pascitur, pecus dicitur : *præsepibus*, sunt *præsepia* quævis loca clausa, et quasi præsepta alendis statuendisque animalibus : *arcent* ut ab arce hostes.

436. Habet hic versus vicem epiphonematis. In *fervet* est accommodatio ad rem; nam dixerat, *instant ardentes Tyrii*.

437. Illos vere felices putat, qui pæne ad fastigium perduxerunt urbem, quum ipse suæ necdum fundamenta jecerit. Affectum adjuvat exclamatio : videbat enim egressos Tyro jam fatis sedes invenisse, se Troja exclusum tamdiu distineri. Similis ille affectus, *requies ea parta laborum;* et, *felices, quibus est fortuna peracta Jam sua.* In verbo *suspicit* est affectus admirantis, atque invidentis tantæ fortunæ. Mox Carthaginem mediam lustrat, et mixtus cunctis, nebulaque vestitus, it, redit, ac nemini cernitur.

441. Sententia est, fuisse in media urbe lucum, et in luco

436. *Fervet*; concelebratur; ut contra, *Friget*, cessat, dicimus. Terentius : « Nimirum hic homines frigent. » — *Redolent.* Quidam olere res, vel malas vel bonas; redolere tantum bonas tradunt. *Serv.*

441. *Lucus.* Ubicunque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio; ut in sexto : « Nulli certa domus; lucis habitamus opacis. » Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere : et mox sequitur : « Hic templum Junoni ingens. » *Lucus* autem dicitur, quod non luceat : non quod sint ibi lumina, caussa religionis, ut quidam volunt. *Serv.*

conditum ab Didone templum in honorem Junonis; adhibetque rationem, cur eo loci templum conderetur, potius, quam alio, quia videlicet Pœni, invento ibi ab monstrante Junone equino capite, hoc pro omine sumserunt: putarunt quippe non immerito prædici ab militari fero æternam fore et perpetuo vigentem illius populi virtutem. Hanc sententiam vide, ut exornet: de luco, *umbra lætissimus*, quæ propria luci commendatio: inventum caput vocat *signum*, ac ne dubios relinquat, mox explicat *caput acris equi*. Verbum *monstrarat* signatum est: dicit, gentem illam fore bello *egregiam*, quæ vox nemini expensa: itaque non præclaram dixit; non obvium aliud; sed *egregiam*, ut quibus caput apparuit equini gregis: quum ait *facilem victu gentem*, explica facilem victoriis, et aptam vivere æterna fama. Ait *condebat*, quia cœptum templum, non perfectum: jam vide ut templum exornet a circumstantiis, a magnitudine; nam *ingens*: ab duplici opulentia; nam ibi et dona Deæ, et numen Deæ, ac præsentia: ab structura; nam ad templum aditus erat per gradus quosdam, et trabes nexæ erant: a materia; nam ærea erant limina; trabes nexæ ære; cardo stridebat ahenis foribus.

450. Infert poeta id, quod ad historiam poeticam festivissimum est, et quod ad excitandos affectus vehementissimum. Quis enim non festivissime delectetur in historia, quæ sequitur? qui non Æneæ animus vehementissime commoveatur,

445. *Et facilem victu per sæcula.* Alii fertilem, divitem agrorum ubertate, et annonæ copia: sed quomodo cibos, *victumque* cum bello et armis conciliaveris? Alii dicunt Carthaginem fore bello egregiam, sed tandem post aliquot secula vincendam: absurda foret laus bellorum, si demum vinci et sub jugum mitti sine labore gentem diceret. Melius et consequentius caperem active *facilem victu*, pro ad vincendum, quasi fortem et multis victoriis pollentem: sed malo explicare, quæ *facile vivet* per longos annos militari laude illustrata. Vide tom. II, pag. 199, Excursum XIV, ubi alia defenditur opinio. *Ed.*

446. *Sidonia.* Licet *Sidon* civitas sit Phœniciæ, tamen hic pro Tyria posuit. Sane quidam opportune hic *Sidoniam* volunt positam, ut ostenderet locupletem; *Sidonii* enim locupletes habiti sunt; ut, « Sidoniasque ostentat opes. » *Serv.*

449. *Foribus. Fores* proprie dicuntur, quæ foras aperiuntur, sicut apud veteres fuit. — *Cardo.* Dictus est, quasi cor januæ, quo movetur. — *Stridebat ahenis.* Ad sua retulit tempora Virgilius: cautum enim fuerat, post proditum hostibus a Tarpeia virgine Capitolium; ut ærei cardines fierent, quo stridor possit aperta ostia omnibus indicare. *Serv.* Ampliora vide ad hunc locum, Tom. II, p. 125.

quum videat res Trojanas adeo per orbem celebrari? ut eas adhuc recentes coleret civitas posita in media barbaria, et tanto intervallo dissita ab Asia? Expende argumentum a contrariis; videlicet timore, et spe; et ab consequentibus, nam pulso timore, et spe affulgente, sequatur necesse est audacia, et confidentia: ideo *ausus*, ideo *confidere*. Illud *Afflictis rebus* est, non in tertio, sed in extremo casu.

453. Affert causam spei; nam hæc affulsit visis Trojanis pugnis. In verbo *lustrat*, agnosce virum attentissimum, intentissimumque ad omnia collustranda, ut esse peregrini solent: frigeret hic, videt, cernit, aspicit, et similis farrago: ideo *lustrat singula*. Ait, *ingenti templo* sibi consonus; nam supra; *hic templum Junoni ingens*, etc. Illud *Reginam opperiens*, est, exspectans, sed noluit hoc, quia humile: opperiebatur vero Reginam, quia quærebat occasionem illius videndæ. *Dum miratur, quæ sit fortuna urbi*, id est, dum miratur, quæ felicitas, quæ incrementa, a quibus initiis pervenerit ad magnam amplitudinem: omnia quippe pictura ostendebat: dum miratur *manus artificum*, id est, quam egregia esset pictura, manusque artificum, et labor operum. Ecce autem dum picturas templi perlustrat, incidit in res Trojanas, *videt pugnas Iliacas*, hasque *ex ordine*, fortasse a raptu Helenæ, vel ab adventu navium Græcorum contra Trojam. Videt *bella vulgata per totum orbem*, quia Europa bellum intulit; passa est Asia; videt *Atridem*, id est, Agamemnonem; et *Priamum*, atque etiam *Achillem sævum* tam Agamemnoni, quam Priamo; utrique enim hostis fuit acerrimus, primo ex intestina discordia; alteri ex belli jure.

453. *Namque*. Reddit rationem, quid sit, quod leniebat metum, et spem inopinatam promittebat. *D.* — *Sub templo*. Hoc est, in templo: ut supra: « Exercet sub Sole labor », id est, in Sole. *Serv.*

455. *Artificumque manus*. Hic *manus* pro pictura accipitur, ad eundem modum, quo landantes imaginem aliquam factam penicillo, et bonis coloribus, solemus dicere, illam esse egregiam manuum. Itaque apage, ut putes hic, *manus artificum* esse manus illas, quibus saxa cæduntur, aptantur, poliuntur. De his picturis consulendus est Excursus XV, tom. II, pag. 200.

457. *Fama totum vulgata per orbem*. Quia Europa intulit, Asia passa est, Africa jam depingit. — *Atridas*. Atrei filios, Agamemnonem, et Menelaum. — *Sævum ambobus Achillem*. Atqui tres dixit; sed Atridas pro uno accipe, quos unius partis constat fuisse. Servius ita; sed vide notas et Var. lect. tom. II, pag. 126.

459. Hæc Æneas ut vidit, *constitit* firmans gressum, ut in re subita; et fluxere præ gaudio lacrymæ: statim ad Achatem: Vides, *inquit*, Priamum; vides, ut non desint præmia nostræ laudi; sunt quippe res nostræ venerationi ipsis etiam barbaris: *sunt lacrymæ rerum*, id est, nostræ calamitates ad lacrymas illos excitant, explicatoribus Julio Scal. et Turnebo; et *mortalia*, id est, summe adversa, utique ἐναντιώτατα, *tangunt* afficiuntque *mentem* illorum etiam, qui sunt in extremo orbe. Inde colligit, *solve metus*, quia ubi virtus præmium habet, ubi adversa miserationem, deponi metus potest. Ab hac fama et notitia rerum nostrarum ne dubita de salute: omnis quippe Æneæ metus, ut ex superioribus patet, pendebat a moribus Afrorum, quos immanes esse putabat: hunc metum illi ademit contemplatio picturæ: nam qui bella depingunt, videntur eo ipso et virtutem diligere, et tangi miseratione; itaque duo tangit in Pœnis, et virtutis studium, et pietatis affectum: illud in gestis ducum depictis, hoc in miseratione et lacrymis.

460. Hæc ut dixit, statim se ad picturam convertit, quam *inanem* vocat, ut carentem anima. Versus sequens, *multa gemens*, etc. habet ætiologiam: ad multos enim et crebros gemitus necesse est sequatur largum flumen lacrymarum: præterea conjungit hæc duo; nam gemitus heroem decet, lacrymæ pium. Est hæc, *multa gemens*, Græca constructio: Latine dicas, gemens multis, aut, gemens ad multa, quæ videbat: nam Græci κατὰ subaudiunt.

466. Transit ad narrationem singularium, et tota oratio continet ætiologiam gemitus et lacrymarum Æneæ: quum ficta vero hæc sint ad gratiam Trojanorum, prius Græcos fugientes inducit, quam Trojanos.

469. Confert poeta in versus quinque maximam partem

466. *Namque videbat.* Ostendit unde lætitiam caperet, scilicet, « hac fugerent Graii »; et unde dolorem, scilicet, « hac Phryges. » *Donat.* — *Pergama circum.* Abusive: non enim circa Pergama, hoc est, arcem: sed circa Ilium bella gerebantur. *Serv.*

468. *Hac Phryges.* Bene ubique Virgilius, pro negotii qualitate dat, Trojanis et nomina; nam timidos Phrygas vocat; ut hoc loco. Item: « O veræ Phrygiæ; neque enim Phryges. » Dardanidas generosos: ut, « Dardanidæ magni, genus alto a sanguine divum. » Laomedontiadas perfidos: ut, « Nondum Laomedonteæ sentis perjuria gentis. » Troas fortes: ut, « Troes agunt, princeps turmas induxit Asylas. » Hectoreos quoque fortes: ut, « Nunc nunc insurgite remis, Hectorei socii. *Serv.* Ampliora de his vide, Vol. II, p. 129.

Il. X, ubi historia hæc habetur; tragœdiam item Euripidis de Rheso, quam nonnulli Sophocli attribuunt. Videtur autem rationem reddere, quasi dicat: agnoscit, quia vela erant nivea: historia breviter hæc est: Rhesus Thracum Rex, filius Eionei (Homerum sequor; alii filium faciunt fluminis Strymonis; Servius, Martis et Euterpes) Trojanis ad auxilium venit, cum hoc oraculo, invictum se fore, urbem quoque invictam, si equi ipsius herbam ederent intra urbem, et aquam Xanthi biberent. Quum sero accessisset, et Trojanæ portæ essent clausæ, ipse prope urbem castra constituit. Dictys lib. II. Oen insulam nominat, ante quam castra posuit: resciverunt id ex Dolone Diomedes et Ulysses, ac per somnum aggressi Rhesum, atque occidentes, equos avertunt ad Græcorum castra. In hac historia Virgilius cum Dicty et Homero consentit. Eustathius tamen ait, Pindarum scribere, Rhesum una die pugnasse, atque detrimenti multum Græcis intulisse. Tu, si placet auctorum loca conferre, vide Spondanum Il. X, et Philostratum in Heroicis. Hæc est historia. Addam quæpiam ad plenam cognitionem: *prodita*, subaudi a Dolone: in illis, *primo somno*, excitatur affectus: vix enim degustata somni dulcedine, hostis adfuit: vult Servius notari, graviorem tum somnum esse; ideo ergo prodi tunc potuerunt, quia primus somnus. Obiter disce phrasin Virgilii, *somnum* pro nocte capit; nam *somnus primus* est nox prima. Sic. I Georg. *Libra die somnique*, etc. Tydides est Diomedes, a patre Tydeo: in illis, *multa vastabat cæde cruentus*, alludit ad feras, quum sæviunt vastantque ovilia. Genitivus *Trojæ* esse potest vel possessionis, ut dicat *pabula Trojæ:* vel potest signari locus, ut dicat, *priusquam gustassent pabula in urbe Trojæ*, et hoc malim. Et nota, hanc historiam et cædem uni attribui Diomedi ex decoro; non facta mentione Ulyssis, qui comes; nam prior ille, caput et princeps cædis.

474. Cognosce poetæ mentem, qui in gratiam Æneæ ea prædicat de Græcis, quæ illis invidiam et infamiam concilient. Supra insidias in Rhesum, nam *castra prodita;* nunc pugnam Achillis cum puero, quæ plena dedecoris. Quid si expendas, puero audaciam dari contra Achillem fortissimum? nam tametsi *impar* est, tamen *congressus:* itaque hunc facit provocatorem: excitat lacrymas, quum vult, Virgilius: nam quem habitus non moveat Troili? Pendebat ille ex curru; sic enim casus tulit; manibus tenebat lora, una fortasse tantum; nam

altera erat vacua amissis armis: transfixus erat hasta Achillis, cujus hastæ pars illa, quæ est ad σαυρωτῆρα, quæque restabat a transfixo puero, terram sulcabat: caput circa solum trahebatur; illudque verrebant comæ: ipse totus erat resupinus, atque extra currum, qui idcirco inanis, tantum inde pedes illigabantur: puerum hoc habitu turbati equi per aciem raptabant. Vide, quale esset istud spectaculum, præsertim in puero decoro, et agnosce magnum poetam. De Rheso et Troilo vide Excursus XVI et XVII, tom. II, pag. 201 et 202; atque notas et varias lectiones, ibidem, pag. 128 et seqq.

479. Ait in summo discrimine, Trojanas fœminas confugisse ad templum Palladis, adhibetque notas fœminarum tres: errant *passis crinibus*, *tristes*, *tunsæ palmis pectora*. Omnia ex more supplicum: nam vox *suppliciter* referenda est ad notas omnes: poeta vero præclare conjunxit cum tristitia; nam non omnis tristitia supplex est: neque hoc tantum, sed etiam *peplum ferebant*, quo diva esset lenior; nam proprium hoc ejus donum. Vocat Palladem *iniquam*; nam quæ habita inter tutelaria Trojæ numina, Græcis favit. Est hic *aversa*, renuens, aspernans, indignansque ad preces fœminarum? cujus rei nota sunt oculi; quos enim nolumus intueri, in illos male animati sumus.

483. Procedit pictura. Vidit in parietibus templi, uti Hectorem Achilles raptavisset; uti idem hostis venderet Priamo cadaver Hectoris, idque auro. Excitatur vero hic ingens ge-

480. *Passis.* Participium est ab eo, quod est *pandor*: ideo autem non facit *pansus*: quia plerumque *n*, quod in prima verbi positione invenitur, in præteriti participio non est: de qua re euphonia judicat: ut ab eo, quod est *tundor* et *tunsus* facit: ut, « Tunsæ pectora palmis », et *tusus*: ut, « Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni. » Sciendum tamen est, licet alia euphoniæ causa varientur, vel in generibus, vel in numeris, *nactus* tamen et *passus*, *n* penitus nunquam accipere. *Serv.* — *Crinibus passis.* Alludit ad morem Romanum, quo constat in luctu fœminas solutis fuisse comis, ut apud Græcos tonsis. Vid. Plutarchus, ἐν Ῥωμ. ed. Francof. 1620, p. 267.

483. *Ter.* Augetur crudelitas, quod raptatus non semel, et quod circa eos muros, quos defenderat: tantaque fuit victoris immanitas, ut patri orbitatem suam venderet. Est autem pro dolore in pronunciando extollendum Hectoris nomen, et Achillis deprimendum. Quis enim mortuum vendidit nisi impius? Quis in regno positus, ideoque dives, aurum desiderat, nisi avarus? Ergo impius et avarus Achilles. De his adi Excursum XVIII, tom. II, pag. 203.

mitus Æneæ ad visa spolia Hectoris; ad visos currus, quibus raptatus; ad visum cadaver Hectoris, qui amicus illi fuerat; demum ad visum Priamum, tendentem supplices manus inermesque coram Achille; quum videlicet Priamus ivit ad castra Græcorum empturus filii sui cadaver ab Achille. Verba illa, *Iliacos muros*, ita expendit Macrob. lib. IV, Saturn. egregie et breviter, *Iliacos muros, id est, patriæ, quos ipse defenderat; pro quibus efficaciter per decem annorum spatia pugnaverat.* Repetitio particulæ *ut* servit incremento doloris: magnus enim dolor in illis, *ut spolia;* augetur, *ut currus;* fit auctior, *utque ipsum corpus amici.*

488. Intelligit Maro Æneam fortem fuisse, et strenuum; ut qui non solum sese adversario objecerit in pugna, sed in illius quoque ordinibus versatus fuerit; additque, pari laude versatum inter hostes nigrum Memnonem, Auroræ filium, ejusque Eoas acies: hic quippe venerat ab Oriente in auxilium Trojanorum contra Græcos.

490. Inter reliquos, qui egregiam operam navarunt pro Trojanis contra Græcos, fuit Penthesilea, regina Amazonum, cujus, ut aliorum ducum, in hac pictura virtus enituit. Describit vero poeta illius arma, ardorem in bello, rationem cinctus, audaciam: arma, nam illi et reliquis Amazonibus lunatæ erant peltæ: ardorem, quum ait, *mediis in millibus ardet;* quibus verbis ita graphicus est poeta, ut putem, me videre infinita hominum agmina, hastarum cuspides, gladiorum mucrones virginem unam circumstantes, a quibus illa se facile expedit, vertitque ferociter in omnem partem, cum ingenti multorum clade: rationem cinctus in illis, *subnectens aurea cingula mammæ exertæ:* lævam papillam intelligit, quæ integra erat Amazonibus, neque adusta. Hanc autem ex more exertam habebant, id est, detectam, et nudam; fascia aut cingulum

489. *Eoas. E* naturaliter longa est: fit tamen brevis interdum, quod eam vocalis sequitur: ut, « Primo surgebat Eoo. » *Serv.* De nigro Memnone consulatur Excursus XIX, tom. II, pag. 203.

490. *Ducit Amazonidum.* Hoc est, quod supra dicit, « Videt Iliacas ex ordine pugnas. » Homerus enim hæc omnia tacuit, quæ facta sunt post Hectoris mortem. Sane Amazones dictæ sunt, quasi ἅμα ζῶσαι, quod simul vivant sine viris: vel quod unam mammam exustam habent, quasi ἄνευ μαζοῦ. Has autem jam non esse constat, utpote extinctas, partim ab Hercule, partim ab Achille. *Serv.* In vol. II, pag. 205, invenies notabilem Excursum XIX*, de Amazonibus auxilium Trojæ ferentibus; quem adibis, si Cerda non tibi sufficiat.

pergebat subtus illam, ideo *subnectens:* itaque mamma prominebat supra fasciam subtus decurrentem: audaciam demum, quum ait, *audetque viris concurrere virgo.*

494. Post longam digressionem picturæ, redit ad intermissam narrationem, ut perducat jam Æneam ad colloquium Didonis. Amplificat autem primo habitum Æneæ intuentis picturam: primo *admiratur;* deinde *stupet*, quod majus; tertio *hæret defixus in uno obtutu;* est hic effectus stuporis. Inter hanc admirationem, stuporem, obtutum, ecce Dido supervenit, cui tria dat, videlicet pulchritudinem in forma, gravitatem in incessu, majestatem in comitatu. Ideo *forma pulcherrima;* ideo *incessit*, quod verbum, quum ad Deorum motionem pertineat, illo gravitatem indicari, palam est; ideo denique *magna juvenum stipante caterva.* Tria hæc egregie firmat sequenti comparatione. Diana enim pulcherrima est: incedit, ut quæ Dea; et magnum habet comitatum Nympharum.

498. Omnia sunt maxime propria in hac comparatione: scribit loca, ubi versata Diana; occupationem; comitatum; habitum venatricis. Loca; nam *in Eurotæ ripis*, et *per juga Cynthi*, utrumque proprie; fluvio enim ripas, monti dat juga. Occupationem, quum ait, *exercet choros.* Comitatum, nam *Oreades mille*, multas intellige, *secutæ glomerantur hinc atque hinc:* bene *Oreades;* istæ enim montium sunt Nymphæ; et Diana inducitur *per juga Cynthi.* Habitum venatricis in illis, *illa pharetram fert humero:* eodem pertinent, ut existimo, quæ sequuntur, *gradiensque Deas supereminet omnes.* Hanc enim eminentiam corporis ad cothurnos refero. Absolvitur comparatio cum epiphonemate Latonæ gestientis ad visam pulchritudinem Dianæ filiæ.

503. In extremis versibus accommodat comparationem, convertens sermonem ad Didonem, cui dat in ore lætitiam, laudatque reginam, ut quæ non rebus inanibus, ut plerumque aliæ fœminæ, sed gravissimis vacaret, videlicet operi, et futuris regnis, instans illis, utique ἐργοδιώκτης, et ἐπιστᾶσα.

493. *Virgo.* Et sexum ostendit et ætatem; plus enim dixit, quam si fœminam diceret: figuram tamen Græcam facit. *Serv.* Jocantur putide, qui jocose dici *concurrere viris*, et ad Veneris prælia referri censuerunt.

497. *Stipante caterva.* Ad hoc tantum sequens pertinet comparatio: quam multi vituperant comparationem hanc, nescientes exempla, vel parabolas, vel comparationes adsumptas, non semper usquequaque congruere, sed interdum

505. Vide πρέπον Reginæ in satellitio, quo stipata est: sedet *alte in solio*, id est, in alto et conspicuo solio, ut conspicua sit omnibus: quum ait, *subnixa*, exprimit habitum sedentis; sed qua parte templi solium erat; utique in media testudine, ad fores sacrarii Junonis, quod sacrarium disclusum a reliquo templo, tametsi in eo inclusum. Quid vero ibi? *Dabat jura et leges viris*, etiamsi fœmina: qua vero ratione dabat hæc jura? Aliis justa pars laboris imponebatur, aliis dabatur sorte: itaque partiebatur laborem, jam juste; jam, ubi esse poterat locus querimoniis, sorte.

509. Hic successus inexpectatus necessario lectorem commovet: en, quos Æneas periisse undis crediderat, vivos videt: ergo, *Æneas, videt accedere concursu magno*, ut fit in rebus novis; plebs enim facile concitatur, concurritque ad videndos advenas, præsertim veste, habitu, et vultu dissimiles. Sed quos videt? *Anthea, Sergestum, Cloanthum;* nominat illos honoris ergo, et quia cari Æneæ: *aliosque Teucrorum;* his verbis discriminat a ducibus Teucros alios, qui non ita nobiles. Procedit: *Quos ater turbo dispulerat æquore, vexeratque ad oras alias penitus.* Pendet hinc occasio magni affectus Æneæ;

omni parte, interdum aliqua convenire. *Serv.* De illa comparatione, et de Nympharum choreis præstantem Excursum XX vide, tom. II, pag. 206 et seqq.

505. *Tum foribus Divæ media testudine templi.* Vir doctissimus Turneb. Adv. X, 11; capit has fores, non de templo ipso, sed de templi adyto, et sacrario, ubi erat Junonis simulacrum. In media enim templi parte (quam vocat mediam testudinem) erat adytum angustius, cui adyto suæ fores, ad quas Dido sedit: atque adeo stare potest, ut sedeat ad fores, et in media templi testudine. In hoc adyto erat simulacrum illius Numinis, cui sacrum templum, ac perinde erat in medio templo. Servius interpretatur de portis templi quas magno labore et studio exornabant: verum Turnebo adsentiunt Cerda et Ruæus. — *Testudine.* Camera incurva, vel fornicata, quæ secundum eos, qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro cæli imaginem reddat, quod constat esse convexum.

507. *Jura dabat legesque.* Jus generale est: nam Lex, juris est species: non est ergo iteratio. Jus ad non scripta etiam pertinet; leges ad jus scriptum: quod autem dixit *viris*, ad laudem Didonis spectet; non enim tot viri fœminæ paruissent, nisi quia egregiæ in ea virtutes essent.

508. *Partibus æquabat justis*, etc. Quæ æstimatione justitiæ æquari poterant, distribuebat. Quæ autem natura sua ad plenum æquari non poterant, sortis judicio dabat, ut qui gravius onus subiret, fortunam suam, non reginam accusaret. *Donat.*

nam qui dispersi fuerant, simul veniunt in ejus conspectum; putabat quippe, illos pervenisse ad loca remotissima, penitissimaque; quippe vox *penitus* signat partem remotiorem, penitioremque.

514. Affectus ex præcedentibus necessarius. Quid non obstupescerent ad visa? et quidem obstupescunt lætitia metuque variante: solet quippe poeta in re dubia hos duos affectus sæpe consociare. Pergit: *Ardebant avidi dextras conjungere; sed res incognita turbat animos.* Causa, cur nihil tunc auderent: ergo in tanta animorum turbatione consilium capiunt dissimulandi et speculandi, qua tecti erant nube.

517. Triplex dubitatio Æneæ animum et Achatæ invasit, videlicet qua fortuna eo appulissent: deinde quonam maris litore classem linquerent: tertio, quid nunc vellent: cum postrema hac dubitatione cohærent, quæ sequuntur: dubitabant enim, quid vellent Trojani, quum viderent, ad Reginam legatos venisse ex cunctis navibus delectos, pacem veniamque exposcentes.

520. Ut ergo admissi sunt, Ilioneus natu maximus (nota πρέπον, loquitur enim senior: in qua ætate, ut plurimum sapientia et consilium) orationem habuit.

522. In hac oratione vult Ilioneus persuadere Didoni, se, neque cæteros Trojanos, qui eo appulerint, piratas esse, sed vi tempestatis adductos, eo pervenisse; id efficit simplici quadam veritatis narratione. Itaque hæc oratio pertinere ad judicium potest, tanquam capti ad Afris Trojani fuerint, et facti furtorum rei: nam videlicet putarunt Afri, illos venisse ad rapinam exercendam, quod crimen avertere vult Ilioneus.

Hæc pro tota oratione; sed explico sex primos versus, qui sunt exordio. Rebus quatuor benevolentiam colligit; primo a dignitate, et persona ipsius Didonis, quum ait, *o Regina*, honorifice illam compellans: deinde, a felicitate; nam urbem condit: tertio, ab justitia, qua frænat barbaros: quarto, a propria Trojanorum persona, et calamitate, qui *miseri*, qui *vecti ventis per maria omnia.* Post hæc sequitur petitio: *oramus te; prohibe; parce; aspice;* in qua petitione expende, insigniter

514. *Lætitiaque metuque. Lætitia*, propter socios liberatos: *metu*, propter concursum; vel quod incerti erant de voluntate Didonis.

516. *Dissimulant.* Dissimulamus nota et vera; simulamus ignota et ficta: ut in nostro Sallust. pag. 14: Simulator ac dissimulator.

præcessisse laudem duplicem Didonis, videlicet, felicitatem, qua urbem ædificat novam, quod maxime exoptant; justitiam, qua fræuat barbaros, id est, vicinos Numidas, et alios qui infræni sunt. His ergo contraria opponit, hac ratione : miseri, et vecti per maria omnia, atque adhuc sine urbe errantes confugimus ad felicissimam, et quæ jam urbem condit, conquiescens ab erroribus maris : vexati ab improbis, ad justissimam : ergo quæ justa es, prohibe infandos ignes; sit tibi in pretio pietas.

527. Scopus, ut dixi, est, probare, se non esse prædones : ergo, victi et prostrati, qui animos possumus habere ad rapinam et populationem? Perpende extremum versum : nam quum duplex sit locus, unde probari queat omnis conjectura, voluntas et facultas, videlicet voluisse, aut noluisse; potuisse, aut non potuisse; utrumque hunc locum attingit poeta, quasi dicat; victi quum simus, nec volumus, nec possumus conari aliquid; animus enim ad voluntatem, superbia ad potentiam potest referri.

530. Est jam in narratione, qua docet, quem in locum Trojani eant, ut videlicet avertat suspicionem; nam qui in Italiam eunt ad novas sedes condendas, qui venirent ad populandos Penates Libycos, ad avertendam prædam? ponit notas tres terræ illius, quam petunt, et tria nomina : notæ sunt, antiquitas terræ; potentia armorum; ubertas glebarum : nomina; Hesperia; Œnotria; Italia.

535. Pergit narratio, in qua narrandam assumit tempestatem, quæ sic ordinatur; *Orion nimbosus fluctu subito*, etc. Itaque *subito* non est adverbium; sunt *cæca vada* incognita, et latentia, ait Servius. Austri hic pro quocumque vento ponuntur; dicuntur *procaces*, id est, urgentes obstinate, et flatum subinde repetentes. Particulam *penitus* conjungo cum verbo *dispulit*, ut dicat, longissime nos propulit, ac disjunxit, fecitque penitissimos, atque ita atrociter, ut nulla arte, nullis

530. *Est locus.* Comparatione orbis totius, Italia locus est : nam provincia, locus non potest dici. — *Hesperiam.* Hesperiæ sunt duæ : una, quæ Hispania dicitur, altera, quæ est in Italia : quæ hac ratione discernuntur : aut enim Hesperiam solam dicis, et significas Italiam : aut addis ultimam, et significas Hispaniam, quæ in occidentis est fine : ut Horat., ad Pompon. Numidam, I, Od. 36, 4, « Qui nunc Hesperia sospes ab ultima. » Et hæc est vera Hesperia, ab Hespero dicta, stella occidentali. De nominibus Italiæ confer Excursum XXI, tom. II, pag. 209; et notas, pag. 136.

remis velisve potuerimus maris iracundiam superare : itaque provecti sumus per undas, per saxa, mari semper superante, æstuante, intumente : absolvit *pauci*; avertit sic suspicionem piraticæ; nam *pauci* quid moliantur? *adnavimus*, ostendit difficultatem navigationis; solent quippe naufragi natantes pervenire ad litus.

539. Corroborata jam causa firmissimis argumentis, audaciam capit; et veluti recriminans, objicit Afris immanitatem, non tamen signans directe Didonem, quam debet conciliare, sed ejus ministros; ideo: *quod genus hoc hominum?* et *bella cient, vetant*, etc. Est *prima terra* litus.

542. Si nos nihil ducitis, Deos fore vindices existimate. Est *fandi atque nefandi*, justitiæ atque injustitiæ : præmia igitur et pro justitia sperent, et pœnam pro injustitia timeant.

544. Esse latrones, conjici poterat, quod carerent duce : igitur προληπτικῶς huic rei occurrit Ilioneus; et ait, Regem, quem habebant, undis periisse; vel jactatum tempestate, quo ipse nesciret. Laudat vero Æneam a rebus quatuor, a justitia, a pietate, a consilio, a fortitudine armorum. Porro ad consilium detorquet verba illa, *nec bello major*, ut constet, Æneam fuisse imperatorem sapientissimum in gerendo bello, militem strenuissimum in tractandis armis. Expende hic quæpiam : verbum *erat* emphasin habet non vulgarem; quasi dicat : en, quid potest rerum commutatio? erat, non est : tale illud *fuimus Troes*. Quum Æneam justum et fortem prædicat, non omittendum, id fieri hac mente, ut ostendat, in suo duce esse easdem virtutes, quas prædicaverat de Didone, quæ justitia frænabat gentes superbas. Adjungit pietatem, forte ut ad pietatem inclinet Reginam. Observa etiam laudari Æneam a virtutibus animi et corporis : tres primæ ad animum pertinent, peritia armorum ad corpus.

546. Ut Reginam pertrahat ad sui benevolentiam, propo-

540. *Hospitio prohibemur arenæ.* Ut alibi : « Litusque rogamus Innocuum. » Litus enim jure gentium commune omnibus fuit, et occupantis solebat ejus esse possessio. Quid ergo facerent, si humano more tectorum peteremus hospitium?

544. *Rex erat Æneas.* Bene medio verbo usus est *erat*; nam si *fuit* dixisset, fiduciam habuisse videretur. *Serv.*

545. *Bello major et a.* Non est iteratio ; nam bellum et consilium habet; hoc est, scientia rei militaris. Arma autem tantum in ipso actu sunt, id est, viribus dimicandi, ut aliud animi, aliud corporis sit. *Serv.*

546. *Quem si fata virum.* Unum

nit officii remunerationem ab Ænea, et Aceste, Rege Siciliæ : uterque enim cumulatissime satisfacient, ut qui potentissimi : et hoc ipse, ait Donatus, metum Didoni injicit : nam, quum multum nos prodesse posse ostendimus, multum quoque nocere posse, tacita cogitatione firmamus. Ergo ait; si Æneas vivit, nullus tibi sit metus, te ut aliquando pœniteat provocasse illum beneficiis : persolvet gratiam; accipies retributionem; nam Trojani plurimum possunt in Sicilia, urbesque habent Acestis liberalitate, qui illos contingit sanguine : ergo nunquam te pœnitebit, priorem certasse officiis; non hoc time.

551. Sequitur petitio hac sententia : liceat nobis per te naves nostras subducere; trabes aptare; remos incidere, nam hoc est *stringere*, e sylvis, ut ita læti petamus Italiam, Latiumque, si Dii nobis hoc tandem annuunt; si dant hoc fata receptis sociis, recepto Rege. Quum ait, *Italiam Latiumque*, non est ταυτολογία, sed signat partem Italiæ, quam intelligit : in mentione illa remorum allusit ad Græcorum παραῤῥύματα : sunt hæc in navibus, quum remi novi adduntur antiquis et cariosis.

555. Sententia est : sin tu periisti, Ænea, et una tecum Iulus spes nostra, at saltem refectis navibus, ad Siciliam remeabimus, depulso Italiæ consilio.

559. Hæc quum perorasset Ilioneus, Trojani adfremebant; id est, adsentiebant virtuti et eloquentiæ, qua ille peroraverat, pari fremitu. Quum ait, *ore*, non est pleonasmus, sed signat modum : potuissent enim armis et militari tumultu infremere : tantum ergo consentiebant ore, ab armis abstinebant. Poetæ mentem Servius novit : peccant graviter, qui temere pleonasmos in Virgilio agnoscunt.

561. Omnia in hoc versu ex decoro : *breviter*, quia et Regina,

sensum in tres partes divisit; et potuit reprehendi, idem dixisse, nisi ostenderet eum libenter voto suo immorari. *Serv.*

549. *Sunt et Siculis regionibus urbes.* Id est, gratiam reddere possumus : arma latenter minatur. *S.*

551. *Quassatam ventis.* Quamvis sit justa petitio, tamen prope invidiose ostendit, quam sit res, quam petit, exigua. *Serv.*

555. *Sin absumta salus.* Hoc est, si periit Æneas, qui vel Trojanorum salus est. — *Pater optime.* Mira laus, quum ei patrem et optimum dicit. *Serv.* — Ex apostrophe captat commiserationem Didonis. Sicut supra Æneæ vitam tripliei modo conceepit, sic nunc tres alios modos addueit ad exitium explicandum : *Si absumpta est salus, si pontus Æneam habet, si nulla est spes Iuli;* involvit quippe filii fata cum paternis.

561. *Tum breviter Dido.* Id est, minus quam Ilioneus : et notan-

et fœmina: *vultum demissa*, quia oratorem, præsertim vero fœminam, pudor decet.

562. In ipso aditu timorem adimit, et tranquillos esse jubet in illis, *Solvite corde metum*: figurata est locutio, pro solvite corda metu; metus quippe cor ligat: in illis, *secludite curas*, non agnosco ταυτολογίαν; nam ex timore cura nascitur, et anxietas; et hanc quoque adimit.

563. Satisfacit illis, *Quod genus hoc hominum*, etc. conferens in regni novitatem, et fratris insidias, quas timebat, morem illum barbarorum, quem orando objecerat Ilioneus. Itaque est excusatio facti a necessitate: in illis enim, *res dura*, intelligi fratris insidias vult Servius; et late admodum Donatus: bene autem *moliri*, non *facere*, ut terroris sit, non crudelitatis: in illis, *et late fines custode tueri*, agnoscis regias curas. An est aliquid, quod non eminenter contineat hic vates?

565. A purgatione objectorum erumpit in laudes Trojanorum, et Trojanæ urbis, veluti quæsita oppositione cum illis, *Troes te miseri*: quasi dicat, si miseri clade, quam accepistis; at noti toto orbe virtute vestra. Ait *Æneadum* signate, non Trojanorum, non aliud quidpiam, quo se magis insinuet per benevolentiam in animum Ilionei, qui tam libenter Regem suum Æneam, illiusque laudes usurpaverat. Multa alia expendi hic poterant: illud *virtutesque virosque*, potest esse ἓν διὰ δυοῖν, pro, virtutes virorum.

567. Ex illa rerum claritate, quæ per orbem sparsa de gestis Trojanorum, redit ad suos Regina, eosque commendat, adimens ab animis Trojanorum opinionem, quam videbantur habere de feritate Pœnorum. Dicit itaque: non ea sumus feritate, nec tam obtuso et crasso ingenio, ut nesciamus expendere virtutem vestram, misereri calamitates atque incendia, quæ passi estis: non sumus in extremo orbe siti, neque ita longe distamus ab ea parte, qua Sol oritur, ut simus feroces, immanes, stupidi: et observa acumen poetæ: in nominandis Afris usurpavit Pœnos, et Tyrios, indicans scilicet originem suam. Phœnices enim et Tyrii ad orientem sunt Solem, ut jam verum sit, Solem non longe ab illis oriri.

dum regum esse breviloquium, accedit etiam fœminarum verecundia, unde utrumque dedit Didoni. *Serv.* — *Vultum demissa.* Non solum propter hanc verecundiam, verum etiam propter objecta: et eo magis erubescebat, quod nec barbara fuit. Artificiose autem non negat, quæ manifesta sunt, sed purgat. *Donat.*

569. Petiverat Ilioneus, ut, refecta classe, navigarent in Italiam, vel renavigarent in Siciliam; annuit jam his votis. Hic aliqua explicanda: vocat Italiam, *Hesperiam magnam;* fortasse ad discrimen Hispaniæ; quum addit, *Saturnia arva*, nulla est ταυτολογία, sed loquitur, ut Ilioneus. Hic, *ut Italiam Latiumque petamus*, explicans, quam partem Italiæ intelligat, scilicet Latium; Dido similiter pro Italia, *Hesperiam :* pro Latio *arva Saturnia.* Pergo et observo acumen aliud, ut Italiam signat a Rege duplice, Hespero et Saturno; ita Siciliam quoque a duplice, Eryce et Aceste. Quis ita meditaretur orationem? Quæ dixi de Hespero, scio refelli posse, sed et sustineri. Volunt etiam interpretes refelli hic re ipsa Trojanorum opinionem, qui Pœnos putaverant esse Barbaros. Inde ex studio nomen Saturni, et Erycis, quos in sua oratione non adduxerat Ilioneus, quasi dicat Dido: ne nos barbaros puta; scimus errores Saturni, utque in Italia quieverit, atque illi nomen dederit: scimus Erycem, et res Siculorum. Quid vero tandem promittit? duo: auxilium hominum; opes ad viam.

572. Nota amoris maxima, qua illos vult esse regni sui, et strictius adhuc urbis suæ participes, dicens, vultisne meis regnis sedes vestras figere? vultis *urbem quam statuo?* en vestra illa est; naves subducite; nullum erit discrimen inter vos et Pœnos meos; parem a me amorem, parem gratiam habebitis. Bene advertit Donatus, hoc non plane Didonem, ut reliqua promittere: sed tantum interrogando insinuare, quia hoc videlicet Trojani non postulaverant.

575. Non est oblitus sui poeta; en mentem illam benignam in Teucros, et quietum animum in Æneam, de quo supra: vult enim Dido quæri Æneam per omnia litora, per extrema Libyæ, per sylvas, per urbes: τὸ *eodem Noto*, est, eodem, quo vos, vento.

579. *Adrecti animum*, Græcorum est: vulgo solet explicari, habentes animum adrectum. *Nubem erumpere*, est dare se extra nubem. In illis, *prior Æneam compellat Achates*, πρέπον agnosco: Achates consilium exquirit ab illo, qui natus Dea, qui ob ipsum et sapientior se esset, et Veneri commendatior; neque enim Dea in hoc rerum discrimine natum desereret, quin suggereret optima.

575. *Atque utinam.* Dicendo *utinam* et humanitatem suam ostendit, et Æneæ se cupidam *Serv.*

576. *Certos.* Aut veloces, qui cito inveniant, aut fideles. Utrumque enim hoc loco significat. *Serv.*

582. In hac brevi oratione, Achatis consilium est Æneam excitare, ut animos capiat, audeatque se in conspectum dare; fore procul dubio, ut omnia eventura sint ad illius commodum: ducentis hinc rationem, quia quum visa responderint matris dictis, credibile, eodem eventu omnia responsura: esset vero extra decorum, Æneam impelli ab Achate; ideo tantum rogans urget. Quum ait, *dictis respondent cætera matris,* amputat orationem præ cupiditate erumpendi e nube. Dictum, *Unus abest,* propter Orontem ductorem classis Lyciorum. In illis, *medio in fluctu, quem vidimus ipsi,* allusum ad superiora illa, *Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus In puppim ferit.*

586. In hoc æstu sermonis nubes repente scinditur, ac *purgat se in apertum æthera*, id est, extenuat se in clarum aerem, ita ut nihil restaret nebulæ, et obscuritatis.

588. Scissa nube *Æneas restitit,* quasi ille successum suum non minus, quam alii admiratus. Quid vero critici ad id, quod sequitur, *claraque in luce refulsit?* fulsisset, aiunt, melius in tenebris; o sapientes! tu poetam cape: is fuit Æneæ splendor, ut in media etiam luce clarior ipse effulgesceret, et suo nitore lucem superaret: prodigiosus candor, et qui non nisi a matre Venere. Ait ergo, illum similem Deo fuisse ore et humeris, quia videlicet augusta quadam forma, et quæ major fuit mortali; ideo meminit signate humerorum. Expendit vero hanc pulchritudinem ex tribus; ex decora cæsarie; ex purpureo juventæ lumine; ex lætitia oculorum: omnia hæc illi Venus afflavit: si genitrix, si dea amoris, qualem natum effingeret, præsertim ad capiendam Didonem!

582. *Nate dea.* Quia inferior, non proprio nomine appellat, sed honorifico. Et quamvis prior loqnatur, nihil jubet, aut consulit. Sie enim Æneæ prudentia inferior fnisset, et ille arrogans, sed interrogat tanquam prudentiorem. *Donat.*

584. *Unus abest.* Orontem signi fieat. Quod ante doloris fuerat: ut, « Ipsius ante oculos « : nunc consolationis est, quum cernit omnes incolumes. *Serv.*

587. *Scindit se nubes.* Non ipsi ex nube progressi sunt, sed nubes discessit: ut ostendatur rerum natura commodis Æneæ inservire. Ergo tamdiu fuit tectus, quamdiu opus fuit, deinde discessit nubes. *Donat.*

589. *Ipsa.* Aut quod sequitur, *Nato genitrix:* aut certe ipsa, id est, pulchritudinis dea. *Serv.*

591. *Lætos oculis affl. honores.* Oculos sedem amoris Poetæ faciunt; et ob id *Cupidinis fores* appellant; deque iis fluere dicunt ἵμερον. Est autem ἵμερος desiderium

592. Sententia est: Æneas in corpore mortali signa quædam divinitatis habuit, quibus pulcherrimus est visus, non minus atque ebur, argentum, et lapis Parius, intellige marmor Pari insulæ, pulcherrima esse solent, si illis artifex aurum adjungat. Itaque triplex est comparatio eboris, argenti, lapidis Parii, quum hæc auro includuntur.

594. Incredibilis peripetia ad afficiendum et commovendum lectorem! nam quis stupor tenuata nube, viso Ænea! Ait *cunctis*, quia unum erat cunctorum votum videre talem virum: quanquam Regina sola id dixerat, tamen id ipsum ardebant omnes proceres; ideo postea, *adsum quem quæritis.* Vox *improvisus* hic egregie, quia latens in nube, etiamsi præsens, sed non ante visus. Sed quod initium orationis? abruptum; ut poscebat rerum status: *adsum Æneas coram vobis;* et quidem *Troius;* ac perinde *quem ipsi quæritis;* deinde *ereptus undis*, quibus me demersum putatis: et verba expende; genere *Troius* eripitur ab undis *Libycis*.

601. Quæ præcesserunt, ad omnes: nunc quæ sequuntur, ad solam Didonem. Incipit ab *O*, particula exclamante, qua mire extollit pietatem Didonis; quam pietatem auget sequenti voce *sola;* nemo præter te alius: *infandi labores* sunt, quos nemo enumeret, adeo multi, et graves!

602. Expendit Æneas liberalitatem Didonis: ergo *socias nos urbe*, quantum hoc est! admittis enim nos non in quamcunque gratiam; sed in societatem, quæ sacra: nam hic allusum ad sacras societates Romanorum, quæ fiebant sacris intercedentibus, nemo dubitet: neque vero hoc satis, sed *domo:*

amatorium: item illud in oculis, quo intuentium amor conciliatur; quod *amoris illicium*, et *oculorum philtrum* dicitur. Docet autem Philostratus in Heroic. Æneam talem adspectum habuisse; ut eo milites, qui locum desererent, retineret.

592. *Manus*, vel artificis; vel ars ipsa. — *Addunt.* Bene *addunt*, quia et ipsa materies habet naturalem pulchritudinem. *Serv.* Vide tom. II, notas pag. 143 et seqq. et Excursum XXII, de ebore, argento, etc. pag. 211.

594. *Tum sic.* Quid est *sic?* Et sui gratia præpotens, et matris auxilio. *Serv.* — Debuit loqui prior, ut et se indicaret, et ageret gratias, et ut ostenderet se affuisse. *Donat.*

597. *O sola infandos.* Summa arte loquitur, et habet rationem loci, temporis et personæ. Loquebatur Carthagine, urbe inimica, propter Junonem, et in templo ipsius apud eam quæ summam teneret imperii: et eo tempore, quo post naufragium terras cupiebat. Ergo nihil de Junonis factione conquestus est; gratias agit, nullum culpans.

multum erat supplices in urbe recipere, sed majus adhuc tua in domo. Aliqui duabus vocibus *urbe*, *domo*, intelligunt et civitatem, et domicilium; quæ duo Dido Trojanis obtulerat. Servius intelligit hospitium publicum, et privatum. Et, quos socias? eos, qui nihil tibi possunt persolvere, ut qui a Græcis victi; ideo *reliquias Danaum;* quo verbo, ingens exitium innuitur. Sed o prudentiam vatis! *Danaum* dixit, non Junonis, quum posset: nam si hic nominaret illam, suspectum se redderet Didoni, quæ hanc Deam impense colebat: neque enim Dido tutum duceret illi opem ferre, quem sciret Junoni infensum. Admittis ad societatem *exhaustos jam casibus omnibus;* nullus quippe tam insolens successus potest excogitari, qui nos non exercuerit, modo ille *terræ* sit, modo *maris:* terra enim, bello et fame: mare, ventis et tempestate oppressit. His nihil videbatur addendum, sed vide αὔξησιν, *omnium egenos:* nihil sibi facit reliquum. Quæ igitur lux ista liberalitatis tuæ, o Dido? *persolvere tibi grates dignas non est opis nostræ;* non ait, non est ingenii nostri, facundiæ, virium, sed *opis;* nam hæc vox omnia includit, et omnia exhauriuntur una Didonis liberalitate. His adjice *nostræ*, non meæ, sed Trojanorum omnium, qui hic adsunt; sed neque hoc satis; nam neque est totius *gentis Dardaniæ*, quæ multa est, ut *quæ sparsa per magnum orbem*.

603. Quum igitur Trojani, qui hic, qui ubique sunt, nequeant tibi grates rependere, *Dii tibi* non grates solum, nam hoc est parum, *sed præmia ferant*, et hæc *digna*. Deinde per parenthesin ait: *si qua numina respectant pios*, id est, si aliqua sunt numina, quæ ego ignoro, persolvendæ pietati dicata, hæc te illis longissime cumulent, quæ in nos congeris. Pergit, *si quid justitiæ est usquam*, id est, si in aliquo terrarum angulo latet justitia, (nam *usquam* locum dicit) quæ volasse ad cælos fingitur, illa tibi æquissime rependat. Demum, *si est mens conscia sibi recti;* id est, si quis est Deus, et mens, quæ ipsa sciat actus mortalium, præsitque cognitioni clarissimorum facinorum. Hac re amplificata, erumpit in laudes Didonis; quibus laudibus dat occasionem præcedens oratio. Infelicissima dixerat, saltem indicaverat nostra secula, in quibus vix usquam est justitia: igitur, *quæ te secula tulerunt tam læta?* nam tu ipsa nimirum facis læta secula vita tua; moribus tuis.

605. *Quæ te tam læta.* Ita Æneid. VI: « nati melioribus annis. » Felicitas enim temporum e nascentium meritis comprobatur. Et quidem parentes ignotos secundum artem laudat a liberis.

Qui tanti parentes te talem genuerunt? quasi dicat; credibilene est te genitam a mortalibus?

607. Decurrit ad ἀδύνατα, ut indicet nunquam cessaturas laudes Didonis: sunt vero tria hæc ἀδύνατα. Primum, *in freta dum fluvii current:* alterum, *dum umbræ lustrabunt* quæ sunt *convexa* in *montibus*, id est, dum umbræ circumibunt montium ambitus: tuberositas quippe, quæ convexa est in montibus, umbram efficit; quæ umbra ex diversa solis positione montes lustrat, id est, circumit ambitque, jam hanc, jam illam partem opacans. Tertium, *dum polus pascet sidera* humoribus Oceani, et vaporibus terræ: ergo dum hæc fient, et semper fient, ubicumque gentium ero, ubicumque terrarum, studii mei erit, ut tuæ ibi laudes æternæ permaneant. Hæc quum dixisset, totus se in sociorum amplexus dividit dextra, et læva; duo hic considero: primum, ut se reverenter Æneas gerat erga Didonem; ut humaniter erga socios: illius ne genua quidem tangit, et potuisset more supplicum, sed abstinuit a contingenda fœmina: longe aliter cum suis. Alterum; vide ut ipse petat sociorum amplexus, non petatur; Trojani quippe obstupefacti novitate miraculi, et successus magnitudine, vix sui erant compotes; Æneas, qui prius e nube omnia viderat, omnia audierat, ipse audax est, ipse irruit. Libenter sæpissime poetam expendo, grandem ejus Musam admiratus.

613. Adspectus Æneæ, quum primum e nube erupit; deinde casus, id est, successus visus omnibus auditusque, Didonem vehementi stupore perculit. Cur hic tantus stupor? audi. Trojani Regem suum mortuum querebantur; ille abditus audiebat; subito e nube erumpit; fit ingens rerum commutatio: e luctu omnia in lætitiam recidunt; e questibus procurritur ad amplexus, salutationes, gratulationes; fiunt hæc omnia puncto temporis. His adde Æneæ lucem, splendorem, divinas comas, Deo similem, lumen purpureum juventæ, fulgentes oculos. Ad tantum casum nonne Dido obstupesceret? Ab hoc tanto stupore revocata tandem loquitur, et *ore*, ubi nullum pleonasmum agnosco, sed similem affectum illi e lib. XI: *Et via vix tandem voci laxata dolore est.*

615. Triplex locus benevolentiæ. Primus ex commendatione

610. *Quæ me cunque vocant terræ.* Id est, ubicunque terrarum habitavero. Est autem Tmesis, *Quæcunque*. Serv.

613. *Obstupuit*. Animo perculsa est: quod jam futuri amoris est signum. *Serv.* — *Primo aspectu.* Id est, pulchritudine.

in illis, *Nate Dea*, hoc enim illustrissimum. Alter ex commiseratione, quum ait, *quis te casus insequitur per tanta pericula?* Tertius, occulte se insinuans pari animi consensione in illis, *quæ vis immanibus applicat oris?* Illi enim Africanos esse barbaros putaverunt, et eadem hic indicat Dido. Adverte, in illis, *nate Dea*, tacito gaudio pertentatum Æneam de sui nominis claritate etiam inter barbaros evulgata; illud quippe Ilioneus non attigerat: demum observa affectum respondere affectui. Exclamationi enim Æneæ, o *sola infandos*, etc. Dido opponit admirationem cum interrogatione. Plena omnia πάθῶν.

617. Hic jam clare manifestat, quæ illis, *nate Dea*, involverat: et vide quam splendide loquitur de Ænea, quem Veneris filium fatetur, et Anchisæ Dardanii: in hoc epitheto enim emphasin agnosce, ut *Dardanio* sit generoso, ut qui a Dardano Jovis filio: nihil ergo mirum, si ejus conjugium dignetur Venus.

619. Per prolepsin occupat, et explicat unde sciverit res Æneæ: Teucer cum Ajace fratre profectus est ad Trojam: quum vero Ajax furore correptus mortem sibi attulisset, Telamon pater redeuntem ex Trojano bello Teucrum noluit domi recipere, ut qui sine fratre veniret, neque ultus esset ejus mortem. Ille ergo expulsus, Sidonem urbem venit ad Belum patrem Didonis, ut sibi quæreret novas sedes Beli auxilio. Hic tum temporis *Cyprum vastabat*, ubi Teucer favente Belo, sibi condidit urbem Salamina: vel jam conditam, nam hoc Horatius insinuat, ipse illustravit. Ergo, *ex illo jam tempore cognitus mihi urbis Trojanæ casus*, id est, calamitas, et ruina: cognitum *nomen tuum*; cogniti *Reges Pelasgi*; intellige non solum duos fratres belli duces, sed reliquos Græcorum proceres. Pergit, *ipse* Teucer *hostis* quum esset, tamen *ferebat insigni laude Teucros*. Observa, laudari hostes ab Teucro, non sub nomine Trojanorum, Dardanorum, etc. sed Teucrorum, nam ipse Teucer. Minima hæc diligentiam Maronis indicant. Absolvit, *seque ortum*, etc. Erat enim Teucer Telamonis filius, et Hesionæ sororis Priami, eodem patre quo Ajax, matre diversa. Ait, *volebat*, non, dicebat, aut obvium aliud, ut qui libenter jactaret genus suum a Trojanis.—Vide Excursum XXIII, tom. II, pag. 212, de Teucri accessu ad Sidonios.

627. Orationem absolvit liberalitas; invitat quippe ad con-

617. *Tune ille Æneas.* Et hoc admirativum, non interrogativum. *Ille* autem honoris est; ut, « sic Jupiter ille monebat »: vel *tune ille* videtur beneficium Veneris admirari in eo, quem adamatura est.

vivium : jam enim præcesserat, *urbe, domo socias.* Deinde proponit se Trojanis in exemplum, ut eos consoletur, atque etiam ut erigat in spem felicitatis: quasi dicat: me fortuna domo eduxit, jactavit mari, sedes dedit: vos duobus primis perfuncti estis, tertinm fore sperate. Reddit rationem, cur sic faciat per ὁμοιοπάθειαν, *Non ignara mali, miseris succurrere disco.*

631. Apte, *memorat;* nam præcedens sermo Didonis, multa continuit, quæ ad historiam pertinent, et rerum gestarum memoriam. Quid vero post sermonem illa? *ducit* ipsamet, nemini rem committens, *Ænean ad tecta Regia;* agnosce magnificentiam, et comitatum dignum magnis principibus: credibile enim omnes proceres, qui una cum Regina venerant, rediisse ad comitatum. Quid præterea? recurritur ad sacra, nam *indicit honorem templis Divum.* Ait, *simul, simul*, ut indicet celeritatem, qua res gesta: itaque Æneam quum duceret, in ipsa via jussit indici sacra.

633. Non solum in Principem, sed et in socios qui relicti in navibus, liberalis est Dido, mittens munera plane regia, videlicet *tauros viginti;* deinde *terga centum magnorum suum.* Intelligit fortasse sues quinquaginta jam salitos; cuique enim duplex tergum, nisi quis capiat partem pro toto, et centum vivos intelligat, quos vocarit *terga* a parte. Vocat hæc *horrentia:* et hanc vocem sic explicat Meyenus; *si terga porcorum jam pridem interfectorum putes, horrentia sale interpretare : sin vivorum suum, horrentia setis expone.* Aliqui explicant, magna, ingentia, quorumque aspectus horrorem posset incutere. Tertio mittit cibos delicatiores *agnos pingues centum cum matribus.* Quarto vinum, sine quo frigerent omnia; ideo *lætitiam Dei.*

637. Sequitur apparatus ad epulas; *instruitur domus interior*, ubi splendor et luxus plane regius; parantur *convivia mediis tectis;* sunt *vestes* laboratæ multa arte; intelligit vel tapetia affixa parietibus, vel stragula constrata solo, vel utrumque.

630. *Non ignara mali.* In meipsa experta quid sit malis conflictari, disco miseris succurrere. At Servius τὸ *Non* bis intelligendum ait; scilicet ideo non disco; quia non sum ignara : sed rectius Donatus; non disco, inquit Dido, nunc primum, quantos sustineant labores, quos adversa fortuna persequitur : didici enim jam pridem malis meis, quemadmodum miseris succurrere debeam. — Nulla sententia suavior et mirabilior!

637. *At domus.* Ostendit, quod quum hospites recepimus; domus pro eorum meritis est componenda: ergo quum accipiendus esset Æneas, tantus vir, domum regali luxu per se splendidam, tamen additis multis repentinis ornavit.

Hæc aut tapetia, aut stragula erant vel e purpura; vel ea ornata. Quid in mensis ipsis? multum auri, atque argenti; intelligit pocula aurea, et argentea. Sequitur amplificatio: erant hæc pocula cum ornatu, videlicet cum cælatura, et emblematibus: nam ibi Reges Phœniciæ, avi atavique Didonis jam inde ab antiqua origine: hoc ipso etiam notat quodammodo vetustatem poculorum, quæ peculiaris est commeudatio.

643. Vult statim Æneas facere filium participem tanti boni, misso ad illum Achate; sed cur *præmittit* non ipse iturus? quia alios sequi hunc jussit, ait Pomponius Sabinus. Parenthesis continet causam, cur statim Achatem miserit ad filium. Sed quæ dat mandata? ut ferat, nuntiet hæc omnia quæ tam fausta modo contigerant; ut ipsum ducat ad mœnia, futurum tam insperatæ felicitatis testem. Additur epiphonema superioris sententiæ hoc, *Omnis in Ascanio*, etc. id est, patris cura sita est tota defixaque in Ascanio, qui filius, qui unicus, qui ereptus Troja, qui futurus Italiæ hæres ex promissis fatorum. Explicatio Nascimbæni nequaquam placet: nostra communis est omnium, et inprimis magni Scaligeri lib. III, Poet. cap. 20.

647. Vult vicissim Æneas magnificentiam suam ostentare; mandat Achati dicat Ascanio, ut hic secum ferat munera. Sic explica, non, ut ipse Achates ferat; nam postea de falso Ascanio audies, *portabat Tyriis Regia dona*. Pergit, *erepta ruinis Iliacis*, velut excusatio munerum. Sed quæ dona? quinque, *pallam*, *velamen*, *sceptrum*, *monile*, *coronam duplicem*. Singula egregie commendat, jam a materia, jam ab arte, jam a colore, jam a personis, jam a locis. A materia; nam palla *rigens auro*, et coronæ ex *gemmis auroque*. Ab arte; nam palla cum *signis*; velamen *circumtextum acantho*; nam monile *bacchatum*. A colore; nam acanthus *croceus*. A personis; nam palla, et velamen sunt *Helenæ ornatus*, quibus illa spectari formosissima

641. *Fortia facta*. Veteres enim in conviviis solebant fortia parentum facta narrare, quæ hic etiam insculpta dicit: et hic resolvit Poeta illud, quod reprehenditur, cur in templo Junonis, non Pœnorum et Græcorum facta depinxerit; scilicet quod suorum res pretiosiore materia signatas habuerit: quæ ibi etiam sculpta erant, mos enim erat veterum. *Serv.*

647. *Erepta*. Ostendit valde pretiosa, quæ meruerunt ex ruinis civitatis eripi, et quæ poterant convivis ostendere quanta olim urbis felicitas fuisset.

650. *Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis*. Hic quoque commendatio muneris a persona, quæ et in fuga magni fecerit. Sed vide jam omen infelicitatis futuræ: quum adulteræ suscipit munera.

volebat, et *donum Ledæ matris:* nam sceptrum, monile, coronæ sunt *Iliones, quæ maxima natarum Priami.* A locis; nam palla, et velamen adducta ex *Mycenis;* nam omnia erepta ex *Trojanis ruinis.* Conclude, apta hæc fuisse munera, et fœminæ et Reginæ: fœminæ; nam hic sexus gaudet textilibus: Reginæ; nam pretiosa hæc dona: præterea, quid facere opportunius Æneas potuit ad conciliandam Didonem? Ad exhibendum gratum animum? Absolvit, ivisse Achatem ad naves, cum his mandatis.

657. Nihil aptius potuit induci sequente fictione, quæ tota habet veri similitudinem. Eligitur Venus, quæ et Dea amoris, et Æneæ mater; ut sic et Reginam amore incendat, et Æneæ causa laboret: eligitur Cupido, qui et Deus amoris; et Æneæ frater, et filius Veneris; ut sic et Reginam flamma implicet; fratri subveniat; matri pareat. His omnibus providit poeta honori Didonis expugnatæ. *At Cytherea*, sic dicta Venus a monte, vel ab insula: *versat pectore*, pectus quippe sedes consilii, *artes*, id est, dolos: est enim ars una e mediis vocibus; quæ tam ad bonam, quam ad malam pertinent partem; et hic ad malam: *novas*, quia Venus, quæ prima Jovem adierat, nunc Cupidinem: *consilia nova;* doli enim absque consilio non fiunt; ideo quum artes dixisset, consilia addidit: itaque non est vitium iterationis. Sequitur consilii explicatio dilucida, videlicet, *ut Cupido mutatus faciem, et ora, veniat pro dulci Ascanio;* est hæc Græca constructio: Latine dicas, mutata facie, mutato ore: *incendatque donis;* en tibi muliebre ingenium; facile donis expugnatur: *Reginam furentem;* figurata locutio, pro, incendat, et faciat furere, *atque implicet ignem ossibus*, causa superioris sententiæ; amor enim in ipsis ossibus et medullis, intusque hærens, extra furentem reddat.

661. Causa duplex totius consilii, scilicet Afrorum nota vafrities, Junonis nota ira: ab utroque malo timebat Venus:

652. *Ledæ mirabile donum.* Vel, quod ipsa filiæ; vel, quod ei Juppiter dederat: dum dicit *mirabile;* notat artificii excellentiam; videturque innuere, manibus Ledæ textum fuisse: et solet poeta in ejusmodi muneribus plerumque artificum meminisse.

653. *Præterea sceptrum, Ilione.* Quia etiam fœminæ sceptrum gerebant. Bene offert munera, apta personis; sicut etiam Latino, in septimo. *Serv.* — *Maxima.* Solent enim religiosi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus. *Donat.* Vide Excursum XXIV, tom. II, pag. 212.

656. *Hæc celerans.* Celeriter facere copiens. *Serv.* — Laudat hominis diligentiam. *Donat*

Afri quippe ambigui sunt, et bilingues, ac perinde mobiles: Juno, ut quæ *atrox*, Venerem *urit*, et quiescentem adhuc non sinit, quippe *recursat cura*, id est, recurrit sæpe, perpungitque Venerem, atqne sauciat.

663. Conclusio cogitationum, quas secum Venus volverat; adit itaque filium Cupidinem.

664. Hi tres versus exordium continent: captat filium affectu amoris, bis vocans natum; captat prædicans illius potentiam; hæc duplex est; nam et matris Veneris unica est virtus ac potentia; et Jovis illiusque fulminum contemptor; illa videlicet fulmina contemnit, quibus Jupiter Typhœum confecit, quæ acria, et dira, et ab omnibus prædicata, ut sævissima. Absolvit exordium istis, *Ad te confugio;* quid non mater a filio obtineat? *et supplex tua numina posco*, quid efficacius? cogita matrem, et videbis quis hic affectus. Nolo tamen, ut supplicabundam corpore intelligas, tantum voce: ut *supplex* hic, sit supplicans: recurre ad illud, *Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est.*

667. Oratio hæc est in genere deliberativo: rem efficit Venus ab justo, honesto, facili, necessario. Insunt etiam circumstantiæ temporis et locorum: ergo peracto jam exordio, incipit narrationem: quo vero efficacius urgeat natum, ipsum testem adducit, *Nota*, inquit, *tibi sunt*, etc. Adjicit fraternam commiserationem, ut quum audiat *frater tuus*, putet rem esse propriam. Est enim hoc efficacissimum, *scis, ut frater tuus jactetur circum omnia maria:* pergit, *odiis Junonis;* aptum hoc ad

662. *Atrox*. Primo quantum ad Venerem pertinet, sæva: non quia ita de ea Poeta judicet. *Serv.*

663. *Ergo his aligerum dictis affatur Amorem. Aligerum*, compositum a poeta nomen: sane Latinì deum ipsum *Cupidinem* vocant; eo quod facit amorem. *Serv.*

664. *Nate, meæ vires.* Venus hic utitur principio, quia Dea cum Deo loquitur, ad benevolentiam comparandam. *Nate*, ab indulgentissimo nomine causa amoris, *Mea magna potentia*. Quid possit facere, *Qui tela Typhoia temnis*. Pro quo, *Frater ut Æn. pelago tuus.* Contra quem, *odiis Jun. iniquæ*. Nam quod dicit Frater tuus, non filius meus, ostendit ei etiam profuturum, qui rogatur. Nam ex eo genere est illud, *Et nostro doluisti sæpe dolore*. Quæritur causa, *Hunc Phœnissa tenet Dido*. Timor ipsius, *Et vereor quo se Jun. v.* Rem ipsam, *Quocirca cap. a. d.* Modus, *Qua facere id possis*. Quamdiu, *Noctem non ampl. u.* An difficile sit, *et notos pueri p. i. v.* Quomodo, *ut quum te gremio a. l. D.* Subito amabit, *Occultum inspires ig. f. q. v.* Nihil promisit, quid enim promitteret Deo? *Serv.*

commovendum. Illi enim Dii, ut iracundi et mali, non tam gaudebant offerri sibi occasionem sæviendi in homines, quam in Deos alios : ut apparet ex tota Iliade : *iniquæ*, non satis suppetit, quo modo hic poetam laudem, qui omnia videt. Aliquoties in hoc opere Venus queritur de Junone; nunquam tamen erumpit in verbum ita intemperans : nunc quum tuto potest, nam secreto loquitur, et cum filio tantum, venenum effundit. Volo etiam consideres, verba poetæ in hoc initio implicata esse, ad explicandas, credo, rerum difficultates, in quas conjectus est Æneas. Pergit; *et nostro doluisti sæpe dolore:* hactenus revocavit in memoriam præterita : jam deinde aperiet, quo loco sint res Æneæ apud Didonem.

670. A facili : poteris rem perficere, quum ipsamet Dido ultro Æneæ blandiatur : *et vereor, quo se*, etc. προληπτικῶς : tametsi nunc humanissima sit Dido; sed quis scit, quid in his hospitiis contra nos Juno machinetur? *haud tanto cessabit cardine rerum.* Conjecturale argumentum : putas Junonem cessaturam hac oblata occasione? acquiescet tantis rerum momentis?

673. Ex dictis colligit consilium suum, et quia cum filio loquitur, non veretur fateri de dolis, quos vult adstruere, præsertim contra Junonis dolos; hos enim intelligit in illis, *ne mutet se numine aliquò*, id est, Junonio; *sed teneatur amore magno Æneæ.* Sed quid est hic *mecum?* Explico, una me rem gerente, me simul adnitente, et impense rem curante : nam illud, quod obvium apparet, amet illum, ut ego amo, quia triviale negligo; nihil enim poeta trivialiter.

676. Locus attentionis. Invenit hic decorum Nascimbænus : nam *mentem* maluit poeta per extenuationem, quam *consilium* dicere; ut, si quæ Venus dixisset, quæ essent minus ad rem idonea, Cupido ipse meliora adduceret, neque vereretur Veneris menti aliquid addere : hoc quippe decorum esset; non item consilium Veneris disturbare ac mutare.

677. En jam consilium ductum ab occasione, qua puer a patre vocatur : vocat illum *curam suam maximam*, qua videlicet foveri nepotes solent. Quid hic autem, in quo sita spes Trojani nominis? Προληπτικῶς occurrit dubitationi; et obiter jactat gloriabunda loca illa, quæ sibi sacra : verbis istis *sopitum somno*, innuitur arctior et altior somnus.

682. Ratio superioris consilii : condam, ne quis possit scire. Sequitur : *Tu faciem illius*, etc. id est, tu Ascanii faciem dolo ementire : te illi per dolum assimula. Scholion Jul. Scaligeri

hoc est, *falsam habeas illius faciem, præ te feras:* qua explicatione pugnat Scaliger in Servium : *noctem unam, non amplius,* hoc a facilitate, in qua persistit, quum subjicit; qui puer es, potes facile induere vultus pueri : est adhuc major facilitas in his quæ sequuntur, *ut, quum te Dido*, etc. Est enim facile ignem inspirare, et veneno fallere Reginam lætissimam inter mensas, inter vina, accipientem gremio Cupidinem, cum amplexu, cum osculis, hisque dulcissimis : *regales mensæ*, hic sunt cibi, et fercula, non τράπεζαι.

689. Ex magno decoro filius nihil respondet matri; sed paret promptissime, ideo *gaudens :* est enim hæc nota præcipuæ obedientiæ, ut cum gaudio pareas. Reliquit vero Amor gressum Deorum, et cœpit ire gressu mortalis pueri : illud præclare *alas exuit;* nam videlicet hac nota insignis fuit supra. Venus enim affata est, *aligerum Amorem.* Alius nihil cogitans diceret, Venerem allocutam cum pharetrato Amore, et subjiceret alas: istæ minutulæ observationes perducent te ad poesin.

691. Venus se statim comparat ad soporem Ascanii, quo tectiora, et tutiora sint omnia: providit autem, ut quum Achates veniret ad naves, jam inde amotus esset Ascanius, et in illius locum substitutus Cupido : ponit *placidam quietem* περιφραστικῶς, pro somno : quæ sequuntur sic conjunge : *Tollit Dea gremio* suo Ascanium *fotum* jam somni irrigatione : itaque, non *fotum gremio*, sed *tollit gremio fotum :* vide vero maxima somni irritamenta: est enim mollities amaraci, suavis spiratio, flores, umbra : vide ut sibi respondeat; *parens dicto*, quia dixerat, *paret amor dictis :* deinde *duce Achate*, quia supra, *ipsumque ad mœnia ducat.*

697. Quum venit Cupido, jam Regina ad convivii locum processerat, tota auro collucens, accubuitque medio in lecto sustentata anaclinterio.

686. *Regalis inter mensas.* Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est, et facilis amoris occasio. — *Laticemque Lyæum. Latex* proprie aqua est, ab eo, quod intra terræ venas lateat : sed et vinum latet intra uvam : unde nunc dixit *laticem*. Serv.

689 *Paret.* Non respondet : quid enim personæ matris, vel maxime in tali causa, responderet : et tempus facta, non fabulas exigebat : ergo se officiosum matri præstat. *Donat.* — *Alas Exuit.* Hoc est, deposuit. Laus ingens Ascanii per transitum. Siquidem, alis tantum depositis; Ascanius fuit. *Serv.*

698. *Sponda.* Erat hæc, reclinatorium, quo veteres sustinebant mediam partem superiorem corporis in accubitu (ex Nota Ursini) ab Spartiano *anaclinterium*, ab

699. Conveniunt Æneas, et Trojani ad convivium; fit discubitus super purpura; post discubitum lavantur manus; *expediunt*, id est, proferunt panem e canistris; afferuntur mantilia, et hæc villosa, quæ majori in pretio; villi dicuntur tonsi, id est, minutuli, et contusi; signatur utique εὐχοσμία.

703. Sequitur magnificentia partito labore: nam intus famulæ quinquaginta penum struebant: flammis Penates Deos adolebant: foris centum famulæ, ministri centum, hique omnes pares ætate, destinati erant ad ferendas epulas, ad ponenda pocula. In illis *ordine longo*, attingitur dispositio œconomica, quæ necessaria in conviviis.

707. Primum locum honoris in ipsa narratione Trojanis dedit, tanquam hospitibus; mox sequuntur Tyrii: *limina læta* dicuntur ab his, qui læti ibi: discumbunt vero in pictis toris.

709. Commendatio donorum; nam Tyrii, quibus tori picti, instrata purpura, tapetia permagnifica, tamen *mirantur dona Æneæ*. Pergit, *mirantur Iulum*, latentem videlicet Cupidinem; *flagrantesque Dei vultus;* explico de roseo genarum colore, et purpurascente, ut omnino intelligat ἐρυθροπρόσωπον. Servius explicat *ardentes divinitate*. Meum præfero, quod non alias soleo: *simulataque verba;* nam et se Deum dissimulabat, et simulabat

aliis *pulvinus*. — *Mediamque locavit*. Dignissimus locus pro opinione gentium censetur.

701. *Dant famuli manibus lymphas*. Postquam in lectis ordine collocaverant, manus lavabant. — *Canistris*. Mos apud veteres fertur fuisse, ut panis, non argenteis, sed vimineis vasculis inferretur. *Donat.*

704. *Cura penum struere*. Inter *penum* et *cellarium* hoc interest; quod *cellarium* est paucorum dierum: unde et in cella dicitur importatum frumentum. *Penus* vero, temporis longi. Sane dicimus, et *hic* et *hæc* et *hoc penus:* sed a masculino et fœminino genere quarta est declinatio, a neutro tertia, quo modo est *pecus pecoris*. — *Struere*. Ordinare, componere. Unde et *Structores*, dicuntur ferculorum compositores. *Serv.* — *Penates* a peno dictos scribit Cicero de Natura Deorum.

705. *Centum aliæ*. Eleganter atque breviter divitias expressit, laudavitque: voluit enim demonstrare, ducentos, et sexum, et ætatem discernere. Numerus autem non est res magna in rege, sed parilitas ætatis, quæ ostendit quanta sibi servorum esset multitudo: ex qua ducenti pari ætate eligi potuerint digni, qui curarent supra dicta. *Donat.*

706. *Qui dapibus* Quidam *dapes* regum volunt esse, *epulas* privatorum. *Serv.* — *Pocula ponant*. Κύπελλα παρατιθῶσι. *German.*

707. *Nec non*. Supra ostrum Trojani, qui magis essent honorandi, sederunt: Tyrii vero in vestibus pictis. *Donat.*

Ascanium : demum mirantur *pallam*, *et velamen*. Concipe jam integram sententiam : mirantur dona ; mirantur Iulum : hunc, viso flagranti vultu, auditis verbis simulatis ; illa, visa palla, viso velamine.

712. Cum relatione ad superiora : mirantur reliqui Ascanium et dona ; una *præcipue Dido nequit*, etc. Dicit, *infelix* eo affectu, quo postea *misera*. Dicit *pesti;* id est, amori exitiabili, omnia instar ignis pessumdanti. *Devota*, id est, addicta et destinata. Ergo, quæ infelix ; et devota pesti, *nequit mentem expleri*, imo *ardescit tuendo Phœnissa*. Sed cur hic *Phœnissa*, non aliud? Quid si quæsita similitudo ab ardore vestis purpureæ ad animi et amoris ardorem? quasi dicat, quæ Phœnissa est, ardescit : reprehendet aliquis, ut volet. Sequitur, *puero pariter donisque movetur :* nam muliebre ingenium amore, et donis expugnatur.

715. Vide dolos, primo patrem complectitur, ut rem dissimulet, deinde Reginam petit : nota etiam leporem ; impletur pater affectu amoris ; Regina nequit expleri : verbum *petit* studiose quæsitum est : neque etiam tantum Amor petit Didonem, id est, currit ad illius amplexus : sed *petit*, id est, illam amplexando insidiis aggreditur ; dolo appetit. Bene ergo Nascim. *petit*, *quasi violenter aliquid facturus*. Quid Regina? Dolis jam capta, et petita, *hæret oculis*, quos nunquam dimovet ab Amore : non satis oculi ; nam hæret *toto pectore*. Hac ambage non opus in patre ; ideo ibi clare *pependit complexu Æneæ*. Non contenta Dido hæsisse oculis, et pectore ; *fovet* jam *gremio*, quo vividior quidam, et ardentior affectus exprimitur. Sed quum poeta hos amores castissime tractaverit, interpretis erit eumdem modum tenere. Eo affectu hic *inscia Dido*, quo Græci νήπιος : quum ait *insideat*, ambiguo, et ita commodo verbo utitur ; is enim insidet in gremio Didonis, qui miseræ insidias molitur : insidiæ enim ab insidendo dictæ : sic supra *peit*, pari ambiguitate.

719. Quid vero Amor? *memor matris*, præceptorumque ejus,

712. *Præcipue infelix*. Propter casum futurum, ut probant sequentia. *Serv.* — Quia benignum animum exhibebat, quem deberet inimicum exhibere, quum ex eo pararetur sibi mors. *Donat.*

716. *Falsi genitoris*. Non veri, pro eo, qui fallebatur ; ut sit, implevit amorem ejus, quem decipiebat simulando, eum esse patrem suum : et est magis absolutum participium, nam illic nomen est : « Falsi Simoentis ad undam. » — *Magnum*. Imitatu difficilem. *Serv.* De hoc versu adi, si placet, *Excursum* XXV, tom. II, pag. 213.

incipit abolere paulatim Sichæum ex animo Reginæ. Hoc ἐκ τοῦ πρέποντος ad excusationem videlicet Æneæ, et Didonis, ne uterque videatur præter decorum incœpisse amores; ideo Cupido rem gerit impense. Vocem *paulatim* non paucis expendit Regulus, referens ad gradus vitiorum. Pergit Amor, et *tentat prævertere amore vivo*, id est, vehementi, vel certe (sic placet Servio) viventis Æneæ affectu et amore, abolito mortuo Sichæo, *animos jam pridem resides, cordaque desueta*, id est, animos languidos, otiosos, et veluti ab amore feriantes.

723. Spatium inter primam et secundam mensam dicebatur proprie *quies*. In hoc spatio statuuntur crateres magni et capaces ad sacra; fit libatio; excitatur strepitus, hilaritasque plaudentium: lychni ita numerosi et multi sunt, ut noctem etiam flammis vincant.

728. Hic, in hoc temporis articulo, in ipsa quiete spatioque, quod inter primam et secundam mensam intercedit, tum enim, ut jam monui, fiebant sacra: quid ergo tum Dido? *poposcit pateram:* commendat pateram tripliciter, a pondere, quia gravis: a materia, quia ex auro, et gemmis: ab antiquitate, quia ea soliti bibere reges Phœniciæ a Belo prisco: hanc mero implevit ad libationem; ac tum locutura et libatura Regina; factum silentium est, tanquam in sacris, et vere ista sacra erant.

720. *Abolere Sichæum Incipit.* Ordo naturalis; prius enim est evellere inhærentia, id est, amorem pristini viri, et dein nova inferre: sic Terentius: « Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio. » *S.*

723. *Mensæque remotæ.* Licet sub extranea persona, Romanorum tamen exequitur morem, apud quos duæ mensæ erant: una epularum, altera poculorum: nam ideo sequitur *crateras.* Et Græcum est, ab eo quod est, *hic crater:* nam Latine, *hæc cratera* dicitur. *S.*

724. *Et vina coronant. Vina* pro poculis posuit, et est tropus synecdoche. *Coronant* autem est, aut implent usque ad marginem; aut quia antiqui coronabant pocula, et sic bibebant. Unde est, Æneid. III, 525; « magnum cratera corona Induit, implevitque mero. » *Serv.*

730. *Tum facta silentia tectis.* Mos erat apud veteres, ut lumini incenso silentium præberetur, ut optativam sibi laudem loquendo nullus averteret; apud Romanos etiam, cœna edita, sublatisque mensis primis, silentium fieri solebat, quoad ea, quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur et igni darentur, ac puer Deos propitios nunciasset, ut, *Diis honor haberetur*, tacendo; quæ res quum intercessit inter cœnandum, Græci quoque θεῶν παρουσίαν dicunt. *Serv.*

731. Sequitur oratio ad Jovem Hospitalem, qua petit Regina, ut dies ille lætissimus sit Trojanis et Pœnis : vult etiam, ut *minores*, id est, posteri Trojanorum et Pœnorum meminerint diei illius, in quo fortasse alludit ad fœdera, quæ toties icta inter Romanos Æneæ posteros, et Carthaginienses Didonis : sed cur hic *Tyriis*, non Pœnis, aut aliud? ut sibi credo, respondeat, quasi dicat, profectis Troja, profectis Tyro : amat enim Noster concinnitatem : præterea ait *profectis Troja*, non profugis, ut consulat, ait Servius, decori Trojanorum. Mox Dido vocat Bacchum, et Junonem utrumque e re : vini Deum, quia in convivali lætitia : Junonem, tum quia hæc præses Carthaginis; tum quia præses lectorum; inde commodo argumento dici potest, illam aliarum quoque voluptatum et delectationum esse præsidem. Cur Juno dicatur *bona*, dicam in Notis : demum Dido a suis petit, ut favore prosequantur, celebrentque cœtum Trojanorum hospitum.

736. *Libare in mensa*, est, aliquid vini e patera in mensam effundere : nam apud veteres mensa res quædam sacra fuit : sunt qui hic *in mensam* legant, non absone : *honor* vox est pertinens ad sacra; ergo *honor laticum*, est merum assumptum ad libationem Jovis : nam *latex* signat quidquid fluit.

737. Post libatum, id est, post effusum aliquid in mensam e patera, ipsa prima omnium summo ore attigit, id est, delibavit tantum, non gustavit, nec bibit. An hic *tenus* præposi-

731. *Juppiter.* Rogat Jovem, et ejus virtutem narrat, ut ostendat pleno voto Trojanos excepisse, quum initam societatem testimonio Hospitalis Jovis confirmet. — *Hospitibus nam te dare jura*, etc. Oratio bene ominantis : alludit autem ad Jovis cognomen, *Xenii* sive *Hospitalis*.

732. *Tyriisque diem.* Atqui nox erat; sed per diem accipimus et noctem : et quidam volunt masculini generis diem *bonum* significare, fœminini, *malum*. Serv.

733. *Esse velis.* Secundum Hetruscam disciplinam locutus est. Sic enim dicunt, *volens, propitiusque sis.* Id. Plinius : « Deos ante obtestantur, UT VELINT. » Ovid. de Arte, lib. III. « O ita, Phœbe VELIS »! Livius, lib. I : « Pacem precibus exposcunt, UTI VOLENS PROPITIUS SUAM SOSPITET PROGENIEM. »

734. *Bacchus.* Vinum, sine quo lætitia in conviviis esse non potest. Nam si alibi est Bacchus, et ad culpam causas dedit : id non vini vitium est, sed hominis vino uti nescientis. — *Bona Juno.* Nam notat illam inimicam Trojanis : ergo ut sit bona et benevola. *Donat.* Sic apud Æl. Lamprid. in vita Anton. « dii faxint et bona Juno » : quam μεγάλην, χρηστὴν, δυνατὴν Græci appellant, ut Macrob. III, 4.

737. *Prima.* Vel quia ipsa libabat, vel quia potior omnibus fuit,

tio? hæreo; nam nulla necessitas, et integra est sententia absque illa. Attingere enim summo ore, clarum est, neque indigens fulcro alio. Inclino, ut hic fungatur officio adverbii, et *tenus* sit leviter, quod etiam insinuare videtur Corradus : nec novum hoc videbitur consideranti alias præpositiones fungi interdum officio adverbiorum.

738. Dat Bitiæ, ut bibat ipse, tarditatem ejus in bibendo increpans, non moleste, sed cum hilaritate convivii : ille, ut increpitus, impiger se aureo poculo ingurgitavit. Video vero, ut verba omnia, vinosum plane et bibosum hominem satis indicent : audis enim, *hausit impiger, proluit se pleno auro*, quæ ista bibacitas? quid, quæ de spumante patera? Pergit, *post alii proceres*, Trojani videlicet, et Tyrii : omnes enim hilarabantur compotationis lege. Post vinum libatum et bibitum, sequitur cantor *Iopas* omnia exhilarans : instrumenta *cithara*, et hæc *aurata*, ipse ex elegantia, *crinitus*. Quid vero canit? *quæ Atlas docuit;* ille nimirum Atlas, qui *maximus* corpore, et scientia, quique astronomiam invenit; mox explicat, quæ sint illa, quæ Atlas docuerit; videlicet *Lunam errantem*, quam Horatius *Vagam* vocat Satyr. 8; lib. I; ab utroque allusum ad nomen πλανήτου : *solis labores*, aut annuos, aut diurnos. Quid præterea? *unde hominum genus, et pecudes*, fabulam fortasse Deucalionis, et Pyrrhæ de jactis post tergum lapidibus, nisi velis Promethei : *unde imber, et ignes;* imbres, et pluviæ ex

utpote regina. — *Summo tenus.* Summis labris, ut religionis, et non vini cupidam demonstraret. *Donat.* Vide notas ad hunc locum, tom. II, pag. 162, et seqq.

739. *Pleno se proluit auro.* In codicibus aliquot antiquis, *pleno se proluit ore* legitur : non *auro*. Ti. Donatus super hoc ait Bitiam ideo se etiam perfudisse, quod avide biberet : sed male intemperantiæ hunc arguit : non vestes et stomachum exteriorem præcipiti ingurgitatione fœdat; verum interiora poculo proluit *pleno*, quia tantum regina libaverat; et impiger, quia jubenti et exhortanti obedire properat.

740. *Post alii proceres.* Ergo et Bitias unus est de proceribus. Nam Exoche sine similitudine nunquam fit. — *Crinitus Iopas.* Aut puerum intellige : aut imitabatur Apollinis formam, cujus fuerat etiam artis imitator. *Serv.*

742. *Hic canit.* Bene philosophica introducitur cantilena, in convivio reginæ adhuc castæ : contra, inter Nymphas, ubi solæ feminæ erant, ait : « Vulcani Martisque dolos et dulcia furta. » *Serv.* — *Errantem Lunam solisque labores.* Fere idem Georg. II, 478 : « Defectus solis varios, lunæque labores. » Ad quem locum vide Macrob. in somnio Scip. I, 15; et ea quæ

vaporibus : ignes, fulgura, fulmina ex exhalationibus : vel fortassis canebat, vaporem densari in aquam per frigidam regionem aeris, unde mox decidit : fulgura autem fieri ex nubium collisione. Canebat etiam *Arcturum*, sic dictum quasi ἄρκτον οὐρὰν; *Hyadas pluvias :* ipso attributo originem vocis indicat; dictæ enim sunt ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est, *pluere*. Canebat *triones geminos*, id est, boves duos, alio nomine, ursam duplicem, indicans utramque ursam. Demum canebat, *Quid tantum*, etc. id est, canebat causam contractæ lucis in hyeme, et noctium longissimarum : itaque totum referri ad hyemem potest, ubi dies breves sunt, noctes longæ; nisi velis illud, *vel quæ tardis mora noctibus obstet*, accipi debere de æstivis noctibus tarde venientibus : quasi dicat; cur dies breves sint in hyeme, cur longi in æstate. Quæ explicatio magis arridet; sic enim opponet duo anni tempora.

747. Assentiuntur omnes musico Iopæ, et grato quodam favore illius cantilenam prosequuntur. Notat Pierius in nonnullis legi *plausu :* non placet; nam tametsi suavior sit sonus adempta, *m*, attamen illa addita melius exprimitur murmur insonantium.

748. Trahebat Dido moras, et ex studio differebat sermonem usque ad multam noctem, cupida fruendi Æneæ; arrepta occasione a Priamo, ab Hectore : simili affectu hic *infelix* dicitur, quo supra *misera*, et quo amans Medea ab Euripide δύστηνος : quum ait, *bibebat longum amorem*, respiciens ad convivium, revera indicat saucium animum. Nonnius *longum* explicat, sævum, et perniciosum, quod amplectitur Robortellus : sed malo intelligere de amore quem bibebat *longo* haustu, tanquam reliqui vinum, sola Dido amorem *biberet;* ἔρωτα πίνων, ut apud Theocritum et Anacreonta.

751. Arma Memnonis filii Auroræ dicebantur facta fuisse a Vulcano; ideo de illis exquisite quærit; et ideo etiam supra notavimus, tom. V, p. 500 et 501.

745. *Quid tantum Oceano properent se tinguere soles Hiberni.* Quid, quam ab causam properent. Hemisphærii hoc facit ratio; quia hieme Sol breviore utitur circulo. — *Vel quæ tardis mora noctibus obstet. Tardis*, non longis, sed æstivis, id est, tarde venientibus. *Vel* enim disjunctiva est conjunctio; nec patitur bis eamdem rem dici : ergo hoc dicit, quæ causa est longorum dierum. *Serv.* Vide tom. V, pag. 501, notam et explicationem duorum et eorumdem versuum.

748. *Nec non et vario.* Arte poetica utitur, ut præmittat aliquid, quo sequens liber videatur esse conjunctus : quod in omnibus servat. *Serv.*

peculiaris de illis mentio, *et nigri Memnonis arma:* deinde rogat de ferocitate equorum Diomedis: tertio, non de virtute Achillis, sed de magnitudine et proceritate corporis ejus, quæ fuit cubitorum novem, auctore Lycophrone: sic explicat hunc locum Parrhasius in commentariis ad Claudianum: sed simpliciter capi locus potest; vult enim scire qualis fuerit Achillis, et quanta virtus.

753. Longissimæ moræ occasionem quærit, ut dicente Ænea diutius perfruatur. Vult autem tria scire: primo Græcorum insidias; inde poeta narrationem sequentis libri auspicatur ab equo Trojano. Male itaque hic Servius illud *a prima origine* explicat, a raptu Helenæ: nam tantum vult scire insidias Danaum ab prima equi origine: secundo scire vult Dido fatalem casum Trojanorum, quod præstat Æneas reliquo secundo libro: tertio denique ipsius Æneæ errores, cui petitioni tertius liber destinatur: et quia extremo loco *errores* postulat; subjicit, *nam te jam septima*, etc. quasi dicat; narra errores, quos jam inde a septennio terra marique pateris.

752. *Quales Diomedis equi.* Non debemus eos equos intelligere, quos Æneæ sustulit: nec enim congruit, sed de his interrogat, quos sustulit Tydides Rheso. *Quales* autem dixit: ac si diceret, anne sic feroces, ut illi a quibus ducebant originem. Diomedes enim rex Thracum habuit equos, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules abduxit, de quibus dicuntur supra memorati equi originem ducere: aut ideo *quales* qui potuerint esse, ita divini, ut inter fatalia Trojana numerarentur: nam ideo et supra *ardentes* ait. *S.* — *Quantus Achilles.* Non interrogat Dido, qua virtute, quove corporis et animo robore; sed *quantus*, id est, quam magnus Achilles fuerit. Existimant quidam, poetam in his τῷ πρέπον mulieris ex amore insanientis observasse: quæ inaniter quærat; non, qua virtute Memnon fuerit, sed quibus armis indutus: non, qualis quantusque Diomedes, sed cujusmodi illius equi: non, quam fortis, sed quam procerus Achilles fuerit. Vide Excursum XXVI, tom. II, pag. 213.

753. *Immo age.* Vidit specialia cito posse finiri; et contulit se ad generalitatem, ad procurandum temporis tractum, quo animus de præsentia Æneæ satietur. — *Et a prima, dic, hospes, origine nobis.* Id est, a raptu Helenæ: quod quidem Dido cupit; sed excusat Æneas: et dicit ruinam se Trojæ breviter esse dicturum, habita ratione temporis: ut, « Suadentque cadentia sidera somnos. » *Serv.*

754. *Insidias Danaum.* Hoc ad favorem Trojanorum, ne videantur esse superati virtute: et laudandum quod *insidias* tantum dixerit, non et captum Ilium; nam et Æneas: « Accipe nunc Danaum insidias. » *Serv.* — De erroribus Æneæ vid. Excurs. tom. II, p. 442.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER SECUNDUS.

(Vide Argumentum generale, vol. II, p. 215.)

ANALYSIS.

Conticescunt omnes. Æneas loquitur ex summo lecto, et se accingit ad longissimam narrationem hujus, et sequentis libri : et ut Didonis imperio satisfaciat, non impeditur acerba narratione rerum, quas ipse vidit; aut sero noctis, in quo est; 1—12. Græcorum duces fracti, et belli diuturnitate, et adversis fatis, equum statuunt magnitudine inusitata, specie voti pro reditu solvendi : in hoc delecti includuntur, iique sortito; 13—20. Describitur Tenedi antiqua gloria, præsens calamitas : in hac Græci occultantur; putant Trojani illos abiisse; urbis portas aperiunt; loca perlustrant insessa prius hostibus; 21—28. Distinguuntur loca, in quibus versati Græci : stupent Trojani ad visum equum, abeuntque in varia; 29—39. Laocoon imprudentiam reprehendit eorum, qui putarent, doli nihil inesse in ea fabrica, quum ex ingenio Græcorum aliter debeat conjici; 40—49. His dictis, hastam in equum torquet; sonant intus arma : quo indicio, nisi Dii et fata impulissent, et mens jam errore obcæcata, latentem hostem explorarent; 50—56. Aggreditur memorabilem narrationem Sinonis, qui se Trojanis pastoribus obvium dedit, ut perductus ad Priamum, dolos strueret, quibus Troja caperetur : irruunt Trojani cupide, captoque illudunt; 57—64. Comparatur Dido ad attentionem insidiarum. Sinon casus suos conqueritur; abstinent ab injuriis Trojani; rogant tria; ille timorem abjicit, et sese ad dicendum comparat; 65—76. Prætendit ante omnia veritatem se dicturum, quo jacto insidiarum fundamento, incipit ab indigna nece Palamedis, qui insons interfectus fuit falsi criminis accusatione; 77—85. Venit ad bellum Sinon cum Palamede, quo vivente gerit se egregie; quo sublato luctuose et iracunde; addit verba ultionis plena adversum Ulyssem, indignæ necis auctorem; 86—96. Lingua parit Sinoni odium Ulyssis, minas, terrorem, arma : subito orationem

abrumpit; mortem efflagitat, Græcis atque Ulyssi gratissimam; 97—104. Nolunt Trojani sermonem abrumpi, ardent scire quæ sequuntur: pergit ille conciliata jam fide, aitque Græcos longa fessos obsidione voluisse decedere, quibus obstitit causa duplex, et maris, et religionis; 105—113. Suspensi hac cura Phœbum adeunt, qui respondet: viam humano sanguine ad Trojam factam; eodem sacrificio inde recedendum. Audit vulgus, et pavet; 114—121. Flagitat Ulysses Calchantem, dicat quis mactandus: jam tum Græci Sinoni fatum canunt: silet Calchas; recusat; abditur; sed coactus ab Ulysse, Sinonem tandem ad aras nominat; gaudent reliqui Græci, erepti malo; 122—131. Adest dies sacrorum; parantur omnia ex ritu; fugit Sinon, et in palude abditur. Movet commiserationem a patria, patre, liberis, pro se forsitan interficiendis; 132—140. Obtestatur cum lacrymis Priamum per Deos, et fidem, ut sui misereatur: miseretur rex cum maximis notis amoris; rogatque quinque, quæ reduci ad tria possunt; 141—151. Accingit se Sinon ad extremam narrationem, qua debeat Trojanis imponere, seque abdicat Græcorum jure, sacramenta illorum proditurus; 152—161. Ait, Græcos spem omnem posuisse in Pallade, quæ tamen per summum sacrilegium a Diomede et Ulysse ex templo Trojæ ablata, et perducta ad Græcorum castra, irarum signa manifestissima edidit, averso jam a Græcis animo; 162—175. Ad explicationem nefarii criminis Calchas cecinit repetenda Argis omina; quod Græcos fecisse, ut inde Trojam redirent, Sinon mentitur: causamque addit constructi equi; 176—184. Conclusio totius orationis, qua ostenditur, molem equi fuisse magnam, ne recipi in Trojam posset; nam recepta, salutem Trojanis, Græcis exitium portendebat: secus, si non reciperetur; 185—194. Vincuntur Trojani insidiis Sinonis, perjurio, dolis, lacrymis; quos non vicerant hostes fortissimi; anni decem, naves mille; 195—198. Adjuvat Sinonis fraudes argumentum divinum; nam visi serpentes sunt a Tenedo navigantes per maria ad litus, ubi Laocoon sacrum faciebat Neptuno; 199—211. Fugiunt Trojani metu, serpentes recta tendunt ad Laocoontem; primum liberos, mox patrem misere admodum exoarnificant; 212—222. Laocoontis clamor cum gemitu percussi tauri comparatur: Dracones confugiunt ad Palladem: pavent Trojani ad præteritum spectaculum, decernuntque debere equum in interiorem Trojam perduci; 223—233. Rupto muro, equus viris armatis plenus, Trojam rotis funibusque perducitur: accedit plausus et religio, ut in re sacra; 234—240. In ingressu portæ equus cum armis tremit, ad quam rem cæci sunt Trojani: in arce sistitur, ubi Cassandra exitium aperit, sed nec creditur: templa omnia ornantur frondibus ad lætitiam signandam; 241—249. Ruit nox tantæ urbi exitium allatura: Trojani dormiunt, Græci interim a Tenedo ad litus navigant: Sinon in urbe equum aperit; descendunt ex eo armati; 250—264. Urbs invaditur: Hector in somnis Æneæ apparet maximis mœstitiæ notis (numerantur octo) longe omnium distans a pristina venustate; 265—280. Continet sermo Æneæ ad Hectorem querelas blandissimas, amoris desideriique plenas;

281—286. Ad querelas nihil Hector; tantum cum gemitu monet, fuga se Æneas subducat, captiva jam Troja; feratque secum ad nova domicilia condenda Deos penates, quos illi in manus tradit; 287—297. Interim luctus undique insonat, qui auditus Æneæ in remota etiam urbis parte: somno excutitur; summa ædium ascendit; horrorem audit; quem exprimit duplici comparatione, flammæ incidentis in segetem, et torrentis inflati subitis imbribus; 298—308. Quam infamis Græcorum fides argumentis quinque ostenditur: Æneas arma capit, ut arcem defendat; sed præceps demum ira, optimum putat, hosti occurrere, inter arma occumbere; 309—317. Primus omnium Panthus sacerdos, Æneæ occurrit, ferens secum Deos: rogatus de re Trojana, exitium jam adesse pronuntiat; 318—327. Summam diem Trojanis adesse dixerat; discriminat jam pericula, et quatuor numerat, quibus summam advenisse diem ostendit; 328—335. Proripit se Æneas ad pugnam una cum aliis, qui casu facti obviam; et signate cum Chorœbo, cujus hic præcipua mentio; 336—346. Hos hortatur, uti se sequantur ad certam necem, nam salutis nihil sperandum, urbe jam incensa, et a qua Dii abierint; 347—354. Oratio Æneæ juvenes acuit ad furorem: vadunt inde, luporum similes, quos ad prædam rapit aut sua, aut prolis fames; 355—360. Urbs ruit; cædes vagatur, tam in victores, quam in victos; 361—369. Androgeos Trojanis fit obviam. Græcos esse putans, errorem sentit; recedit instar viatoris, qui ignarus colubrum in via pressit: sed frustra Græcus; nam armis opprimitur; 370—385. Suadet Trojanis Chorœbus, induantur spoliis hostium interfectorum; induitur ipse, cæteri item illius et sermone, et exemplo; 386—395. Ex fraude Trojani in hostes grassantur, trucidantque, ut quemque sors obtulit: sed fœdatur felix incœptum deformi spectaculo Cassandræ; 396—406. Græcos Trojani invadunt et princeps omnium Chorœbus, virginem erepturi: sed a suis non agniti telis desuper obruuntur: fit concursus magnus Græcorum adversum paucos Trojanos; et utriusque partis conflictus aptissima ventorum comparatione explicatur; 407—419. Confluunt eodem Græci, qui fusi prius fuerant Trojana fraude: qua detecta, et crescente semper hostium numero, cadunt quinque Trojani principes; 420—430. Avertit a se Æneas ignaviæ timorisque suspicionem; tendit ad regiam, ad quam major et acrior Græcorum pugna; 431—441. Oppugnatur, et defenditur regia; 442—450. In eam se Æneas per *pseudothyron*, qua erat usus pervius e domo Hectoris ad Priami, quam citissime confert: eo hortatore, et adjutore turris magna in hostes præcipitatur cum ingenti exitio; 451—468. Describitur, et comparatur Pyrrhi ferocitas sævientis ad portam: illum alii comitantur: ipse vero princeps omnium limen rumpit, postes vellit, fenestram in portis aperit; 469—482. Apparent interiora regiæ: auditur luctus; et clamor fœminarum: Pyrrhi furore, et pulsu arietis janua postesque concidunt; 483—493. Perfractis jam omnino portis, irruunt in regiam Danai: horum furor comparatur cum flumine abripiente quicquid est obvium, ac devastante omnia: ad aras confugit imbellis senex: concidunt thalami

liberorum Priami, postesque regiæ superbissimi; 494—505. Rex ipse, capta urbe et regia, armis induitur, morieodi studio. Describitur deinde ara, ad quam Hecuba, et filiæ confugeraut; 506—517. Hecuba Priamum a congressu hostium dehortatur, et aræ applicat; 518—525. Ante aras, et parentem utrumque, Polites cadit interfectus a Pyrrho, qui eo usque evaserat hostem fugieus; 526—532. Invehitur Priamus in interfectorem, quem deturpat reprehenditque a dissimili patris ingenio, bonitate, moribus; 533—543. Priami vocem sequitur teli jactus, sed debilis, ut qui a seoe: ridet Pyrrhus omuia, et ad aras Jovis regem cædit, et occidit; 544—553. Excitat affectus, movetque commiserationem de nece Priami; 554—558. Cujus calamitate, admouetur de paterna, deque tota domo, præsertim a suis desertus; 559—566. Videt Æneas Helenam, quæ omnium pavida ad aras coufugerat: æstuat præ iracundia illam interficere; 567—576. Comparat gloriam Helenæ cum calamitate Trojana, inde deliberat illius cædem: occurrunt argumenta, ne faciat, solvitque; 577—587. Fertur cum furore ad cædem: apparet illi Venus cælesti forma spectabilis, quæ natum contiuet, revocatque ad curam domus; 588—600. Illustrat meotem nati, eripitque ab oculis mortalem caligiuem, quo sciat, non Helenam et Paridem in noxa esse Trojani excidii, videatque Deos Neptuuum, Junouem, Palladem, qui urbem quatiunt, evertunt, diruunt: demum suadet illi fugam, ad quam opem suam pollicetur; 601—620. Discedit a filio Venus; videt ille Deorum vultus Trojanis inimicos, ruinamque urbis, quam explicat ruina ingentis arboris; 621—631. Inter flammas hostesque illæsus demum ducente Venere: vult patrem inde tollere; negat senex; nam fuga juniorum est; 632—640. Adducit Anchises ratioues, quibus nolit fugere; 641—649. Nihil suorum aut precibus, aut lacrymis concedens hæret in pervicacia, quam Æneas conatur perviucere, partim dejectis argumentis illius, partim objectis dirioribus; 650—663. Quum nihil adhuc proficiat, querelas ad matrem jactat; furit; armatur; rapitur ad bellum; 664—672. Obsistit uxor Creusa; pedes complectitur; hæret iu limine: patri natum objicit; urget rationibus: in harum rerum medio, flamma divinitus incidit Ascanii in caput, quæ nullo nocumento comas pererrat, lumine se molliter vibrante; 673—686. Ad felix omen Anchisea exhilaratur, petitque a Jove, ut illud firmet: annuit Jopiter, firmatque, et lævo tonitru, et face coruscantis cometæ, quo futura Æneæ præsignantur; 687—698. Cedit omnino, et filio se comitem parat; 699—704. Æneas fugam ita disponit, ut illa et facilior sit, et occultior hostibus; 705—720. Fugit tandem, patre sublato humeris; filio manui inhærente; conjuge sequeute vestigia: fugæ comes est pavor; 721—734. Amittit in fuga uxorem Creusam; tota oratio excusatiouem facti continet; 735—746. Redit solus ad pericula eam quæsiturus, atque obiter multa narrat de Trojana clade sibi oculis perlustrata; 747—767. Inclamat sæpe uxorem, adest illius umbra; ipse horret, illa loquitur; 768—775. Aperitque, se voluntate Deorum raptam: viro labores prædicit, deinde futuras felicitates · redit iterum ad se, et in cælo a Cybele

detiueri affirmat, eoujugi demum uatum commendat; 776—789. His dictis abit: illam Æneas quum velit compleeti, uon potest. Redit deiude ad snos, ubi plures confluxisse invenit, paraios illum ducem sequi: demum luee albeseente, deploratis jam rebus Trojæ, eadem, qua prius pietate, paire humeris sublato, ad montem Idam eum omnibus contendit; 790—804.

EXPLICATIO.

1. Conticuerunt, non, tacuerunt, quia omnes: et quidem conticescunt ad rem maximam, plenam admirationis, magnitudinis, et variorum successuum, qualesque fas erat expectari ex narratione Trojani excidii. Secundo, Ænea narrante, novo hospite, filio Veneris, Deique simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale, putas, silentium esset? Tertio accedit silentii forma nova ad præsentiam reginæ, quæ avidissime audire cupiebat, et, qua audiente, nemo vel hiscere auderet. Hæc omnia procul dubio poetæ animo obversabantur, quum versum hunc extulit plenum non tam silentii, quam stuporis: et, quo audito, putes te præsentes cernere, non tam ut homines, quam ut simulacra. *Intenti tenebant ora*, est phrasis mire poetica, pro tenebant ora intenta. *Toro ab alto*, a summo lecto.

3. Exordii hujus versus divini sunt, in quibus omnia apta ad indicandam calamitatem supra omnes atrocem, ac proinde ad eliciendam misericordiam reginæ: nec minus narrantis dolor acerbissimns, ubi, quum dolor sit infandus, fari tamen illum jubetur Trojanus homo. Sed cur *infandus dolor?* Primo, quia opes Trojanæ, quæ magnæ, erutæ sunt; eversum regnum; omnia vastata. Secundo, quia jubetur fari, quæ ipse vidit, et quorum ipse fuit pars magna. Huic rationi adnectit,

NOTÆ.

1. *Conticuere.* Quia dixerat: « Fit strepitus teetis »: et, « eythara erinitus Iopas Persouat aurata »: et, « ingeminant plausu Tyrii. » Conticuere partim, propter ejus honorificentiam; partim, quia mens hominum eupida est audiendi uovas res, et regina indixerat sileutium. *Donat.*

8. *Infandum.* Quia viro forti victum se dicere, et doloris est, et pudoris. *Serv.* — Quia uou alieua mala, sed sua uarrabat. *Donat.*

4. *Et lamentabile regnum.* Id est, magnum, quasi dignum multa lamentatione: ut, « Hi multum fleti ad superos. » *Serv.*

6. *Pars magna.* Quia perdidit regnum. Vidit miserandam Priami et Politæ mortem: amisit uxorem,

quid facturus esset hostis, si hæc narraret. Ea enim fuit Trojana calamitas, ut Æneas putet, ipsos etiam Græcos excidii auctores effuse ploraturos. Tertio, quia est noctis serum: nox enim se præcipitat, et sidera, quæ appetente luce cadunt, somnos suadent: hæc sententia. Considera vocem *opes*, quæ vox includit omnia, quæ pertinent ad humanam felicitatem. Quid non his concipis? duritatem Ulyssis possis referre ad insitam ejus ferociam, vel ad tolerantiam laborum, ut Horatius dixit, *proles patientis Ulyssi.*

10. Insinuat se præclare in gratiam Didonis, quum illius jussis obtemperet, ubi triplex est ratio efficax ad avertendam memoriam a dira clade. In illo versu: *Et breviter Trojæ supremum audire laborem*, est locus docilitatis, et attentionis. Quid enim aptius ad docilitatem, quam breviter se dicturum rem integro decennio gestam? Quid grandius ad attentionem, quam supremus labor Trojæ? Absolvit: quanquam animus horreat diram memoriam, divinctque luctum, ac perinde refugiat narrationem acerbissimam, tamen incipiam. Adverte in verbo *Incipiam* celeritatem pedis dactylici, ad indicandam celeritatem obtemperantis.

13. Incipit a Græcorum fraudibus: harum duplex causa; videlicet, longa belli mora, qua illi fracti; adversa fata, quibus victi: ideo ergo conversi ad dolum. Sed quis hic dolus? Audi. Græcorum *ductores* (intellige non solum Agamemnonem, et Menelaum, sed duces reliquos, quorum opera enituit in Trojano bello) *ædificant labentibus tot annis, equum di-*

et denique patrem. De principio hujus libri, et de iis qui *res Trojanas* scripserunt, vide luculentissimum *Excursum I*, vol. II, pag. 301—320. — *Quis talia.* Quæris me narrare, quæ etiam hostis si audiret, non abstineret a lacrymis. — *Fando.* Dum ipse dicit miles: alibi dum dicitur; ut, « *Fando* aliquid si forte tuas pervenit ad aures. »

9. *Præcipitat*, pro *Præcipitatur:* verbum pro verbo; et duas causas prætendit, quibus dicit non posse universa narrari, dolorem et tempus. *Serv.* — De noctis per cælum transvectione vide *Excursum II*, vol. II, pag. 321.

11. *Supremum.* Postremum, ultimum dicit; eversionem enim Trojæ tantum, omissis superioribus, narrat. *Serv.*

13. *Incipiam.* Deest, *tamen:* quia quum præponitur *quanquam*, necesse est subjungi *tamen.* — *Fracti bello.* Bene defendit causam suorum, quod in bello non impares fuerint. Duplex ergo est in hoc libro intentio, ne vel Trojæ, quod victa est; vel Æneæ turpe videatur esse, quod fugit. *Serv.*

15. *Equum.* De hoc equo varie

vina arte Palladis: cur, *labentibus tot annis?* quia *fracti bello longo*: cur, *divina arte Palladis?* quia *fatis repulsi*: quasi vellent nova sibi fata condere ope Palladis. Itaque hæc duo, *tot jam labentibus annis et divina arte Palladis* respondent illis *fracti bello, fatisque repulsi.* Pergo; docet equi hujus magnitudinem, videlicet *instar montis*: et, quia *ædificant*, ideo sequitur *sectaque intexunt abiete costas.* Sed in quo fraus posita? *votum pro reditu simulant*: ubi enim simulatio, ibi fraus. Quæ vero hæc fraus? enormis, et insolens; nam *votum pro reditu*: specie quippe religionis deceperunt Trojanos. Sequitur, *ea fama vagatur*: nam ductores sparsere in vulgus, illud esse votum, quo scilicet plebs militaris decepta esset, et consilia belli omnino laterent. Circa numeros duo nota: in illis *fracti bello, fatisque*, observa gravitatem incipientis narrationis ex mora spondæorum, qui studiose quæsiti: alterum in extremo versu, qui totus dactylicis convolat ad signandam vagantem currentemque per omnes famam: adeo in omnibus vigilat hic vates!

18. Fortissimi Græcorum huc inclusi sunt: nam *delecta corpora virum* sunt delecti viri; nisi mavis duces delectos fuisse corporum procritate insignes, in quibus, ut plurimum, est virtus animi. Sed quomodo *delecti viri*, si per sortes? ubi enim est sors, abest delectio: intellige post delectum, factam sor-

in historiis dictum; ut enim Hyginus et Tubero aiunt; machinamentum bellicum fuit, quod *equus* appellatur, ut *aries* et *testudo*, quibus muri discuti, vel subrui solent: unde est: « Aut hæc in nostros fabricata est machina muros. » Ut alii; porta, quam eis Antenor aperuit, equum habuit pictum: nonnulli signum equi datum, ut internoscerent Græci suos, vel hostes.. A quibusdam dicitur, facta proditione prædictum, ne quis eas domos violaret, quarum ante januam equus esset depictus; unde et Antenoris et cæterorum agnitæ sunt. Aut quia equestri prælio victa est Troja. Aut a monte Hippio, post quem se absconderant Græci: unde et alludit: *Instar montis* « quum *ædificant*. Aut revera hoc fuit, quod Virgilius sequitur: sed melius machinamenti genus accipimus. *Serv.* — De Trojano equo legendus est *Excursus III*, tom. II, pag. 322, et seq.

16. *Abiete*. An i in *abiete* sit vocalis, an vero consonans, contenditur inter Grammaticos: iis, qui consonas fieri putant *i* et *u*, assentitur H. Stephanus in lect Virgil. idem statuendum in *parietibus*, *abietibus*, *arietat*, *tenuia*, *genua*, *omnia*, et similibus. A controrio argumentatur, per diæresin enim *siluæ* dicitur pro *silvæ*; *suaves* pro *suaves*. Versum autem esse *προκελευσματικὸν* osserit Nobiliss. Heins. Metamor. VII, 151: « Custos erat arietis aurei. » *Emmen.*

titionem: itaque primum delecti sunt, qui sortiendi; mox sors assumpsit ex delectis hos præ aliis. His omnibus complentur ingentes cavernæ equi, ingensque uterus. Poeta quippe, ut explicet equi magnitudinem, conjungit, *latus cæcum*, *ingentes cavernas*, *uterum*: est hic *penitus* idem quod interius, *cæco lateri*.

21. Subjicit locum struendis insidiis aptum; insula enim; quæ erat in conspectu Trojæ, fecit ne longe Græci abirent, quo paratiores essent ad remigrandum: prædicat de hac insula famam, et opes; sed has manente imperio Priami. Hic versus superiori opponitur. Quasi dicat: quid non potest fortuna, et casus? quanta est rerum vicissitudo! Ea jam non est insula, ut fuerat manente Priamo, sed sinus quidam, et statio male fida carinis: adeo cum Rege concidit regni status! Est *sinus*, ait Servius, reductus quidam secessus litoris; est *statio*, ubi ad tempus stant naves.

24. Ita a poeta res componitur, ut hinc Græcorum dolos, atque insidias; inde Trojanorum candorem, et simplicitatem animi intelligas: nam illi condunt se in insidiis, isti putant abiisse ad Græciam: hic quippe Mycenæ pro Græcia: a parte totum.

26. Unico verbo multa inclusit: *omnis* enim *Teucria* signat omnem sexum, ætatem, conditionem: omnes quippe se luctu solvunt, et *longo*, nam per decennium. Sequuntur signa pacis, videlicet expassio portarum; libera extra muros evagatio, qua absque metu perlustrarunt loca insessa hostibus. Commemorat poeta plura loca, videlicet *castra Dorica*, *desertos locos*, *litus relictum*: nam eo ipso indicat effusam currentemque per loca omnia lætitiam.

29. Videntur Dolopes in Trojano bello una cum militibus

25. *Nos abiisse*. Quum et litus reliquissent, et malefida esset statio, non mirum, si crediderunt abiisse. *Donat.*

27. *Dorica castra*. Conjunge, ut poeta, *Dorica castra*, et observa genus non κακέμφατον, ut male Ursinus; sed leporis, et venustatis, ut bene Pontan. in Actio; talia illa, « fama malum » : « date tela » : « Oceano nox » : « stupea flamma manu » : « ipsa satis tellus » : « glauca canentia fronde Salicta » : « huic a stirpe pedes » : « neque te tenent » : « siliqua quassante » : « adverso sole » : et plura alia. Mulcet hoc aures sua complosione. Hom. λευκὰ κάρηνα. Op. Hal. I: δόρπα πάσασθαι; quo loco Rittershusius Grammaticos reprehendit, qui censent hoc esse cacophaton, « quasi vero », ait « si hoc vitium esset, non potuisset Virgilius, vel agnoscere, vel vitare. » *Cerda*.

Achillis pugnavisse; nam et supra quoque illos conjunxit cum Myrmidonibus. In hac locorum distributione animadverto quidpiam non obvium, quod aperiam, ut esse poeta discas. Loca dividit vates; et ubi dividit, versum frangit, quo distinctior locus videatur. Quis hanc diligentiam haberet? Ergo, *Hic Dolopum manus:* nulla hic cæsura, sed de industria fractus versus, quo divisa loca intelligas: iterum simili fractura, *Classibus hic locus.* Quis non videt fieri hiatus in versibus, quo tu melius capias spatia in ipsa planitie.

31. Ab commemoratis locis transit ad mores vulgi explicandos visa equi mole: hi stupent; mirantur alii: nota oppositionem in illis *donum* exitiale: longe enim a natura doni exitium; sed amat poeta hæc acumina. Sed cur stupor? cur admiratio? stupor oritur ex dono; admiratio ex magnitudine doni. Quod pertinet ad stuporem, plusculis explico; procedit hic stupor ex poetæ animo rem scientis. Quis non stupeat *Minervæ innuptæ* dari in donum machinam fœtam armis, prægnantem, gravidam. Audiam si quis melius; nam attributum *innuptæ* pro alio otiose poni nolim: volo etiam liberare in hac parte poetam a calumnia. Admiratio, dicet aliquis, præcedere debuisset stuporem, non contra: nam quum majus quiddam sit stupor, oratio cresceret: ut vera hæc esse fateor; sic etiam dico necessariam fuisse mutationem in poeta ex natura animorum: quum res aliqua monstrosa admodum, insitata, prodigiosa cernitur, subito stupor cernentem invadit: si vero rei illi assuescas, senties paulatim stuporem remitti, et manere tantum admirationem rei visæ: sic defendo; tu ut mavis. Pergit: *primusque Thymœtes*, etc. Hic suspicio, Thymœtem a Græcis stetisse; unde poeta, *sive dolo* rem ambiguam relinquens. Quasi dicat; vel locutus cum dolo Thymœtes; vel fata Trojæ ducebant nos ad exitium. Post exitiale Thymœtæ consilium, sequitur salutare aliorum, et cum studio

30. *Classibus hic locus.* Magis ad equites debemus referre: ut Æn. VII, 716: Hortinæ classes; unde et *classica* dicuntur. *S.* — *Classibus.* Non navibus, sed exercitibus: veteres enim classem pro exercitu sumpserunt. Servius in Æneid. I: « Classis ἀπὸ τῶν κάλων, unde et calones, qui ligna, et fustes et καλοπόδια portant. » Et Turnebus *Classes* hic de exercitu pedestri, potius quam de navali, interpretatur: XXVI, 23.

31. *Innuptæ.* Quæ nunquam nubit: nam virgo potest et nubere. — *Donum.* 'Αμφιβολία, non quod ipsa dedit, sed quod ei oblatum est. — *Exitiale* Trojanis. *Serv.*

fortasse aliquo poetæ Capyn facit principem consilii saluberrimi, et fortissimi, cum allusione ad Capyn alterum, qui unus fuit inter majores Æneæ. Salutare autem consilium triplex fuit; aut præcipitandum equum in mare; aut urendum; aut perscrutandum, si quid intus lateret. Ergo ex tam incerta varietate sententiarum sequitur gnome, quæ posita loco epiphonematis, *scinditur incertum*, etc. Nota duo verba : Thymœtes in re mala *hortatur;* Capys in bona *jubet;* utrumque apte, et signate.

40. Ut urbis excidium fatale esse ostendat, aggreditur narrare, quæ Laocoon fecerit, dixeritve, cujus factum et verba secutus est miserabilis exitus tam ipsius, quam filiorum. *Primus ante omnes*, est omnium princeps : hic itaque cum magno comitatu, totus ira inflammatus ab arce descendit, imo *decurrit*, quo capias majores iras. Vide ardorem : vociferatur in medio cursu; aliud enim ira non permittit : initium abruptum est, ut fere iratorum omnium; ideo deest verbum. Reprehendit vero civium suorum imprudentiam, qui sint mente non sana; ideo enim *miseri*, quia *insani*.

43. Ratio superioris increpationis : o mente non sana, qui creditis hostes abiisse : sequitur, *aut ulla putatis*, etc. præclare; nam cum allusione ad Græcorum ingenia, qui vafri, subdoli, astuti, et vere vulpini. Danaum dona careant dolis? *sic notus Ulysses?* Ex omnibus unum assumit Ulyssem, cujus fallaciæ notissimæ in tota Iliade. Ergo; imprudentes estis satis, o cives, qui per decem annos integros nondum Ulyssem nostis? Istis, ut vides, assignavit triplicem rationem tantæ iusaniæ : primam, quod crederent hostes avectos; alteram, quod putarent dona Danaum dolis carere; tertiam, quod nondum Ulyssem nossent : his opponit, quæ sequuntur.

38. *Terebrare.* Quidam *aperire* ac *scindere* accipiunt : alii *terebrare* simpliciter accipiunt; quia adjecit *tentare;* et hic ostenditur adversa sententia, non enim ab omnibus creduntur insidiæ. *Serv.*

39. *Scinditur.* Præclare et ex natura vulgi, cui varietas et inconstantia; et crebra, tanquam tempestatum, sic etiam sententiarum, commutatio.

41. *Ardens.* Omnis affectus tribus rebus ostenditur, vultu, voce, gestu; sicut hic futura dicturo, primum iram et commotionem animi, quæ vultu ostenditur, dedit; dein celeritatem corporis : inde vocis magnitudinem. *Serv* — *Ardens.* Vel ingenio vigilans, aut vehementer pro statu publico commotus.

44. *Dona carere dolis Danaum.* Ordo est, *Dona Danaum :* non *dolis Danaum.* Non enim quæcunque sunt dona, Danaum sunt. *S.*

45. Mira oppositio, et nihil otiosum. Non avecti hostes sunt; nam hic *inclusi occultantur:* non carent dolis dona Danaum; nam *hæc machina fabricata est in nostros muros* : nondum vobis notus est Ulysses; nam hic *aliquis latet error.* Quamobrem, *equo ne credite Teucri:* utcumque sit, Danaos timeo etiam cum donis. Est autem *venturaque desuper urbi*, super ventura urbi, illamque oppressura, ut solent, quæ ex alto ingruunt.

50. Verba factis firmat Laocoon; torquet enim hastam in equum, ut alios ad similem audaciam concitaret: poeta latus et alvum nominat. Servius hic non placet: ego puto hac circuitione significari fixam hastam ea parte lateris, quæ ad alvum inclinat: vel, quod malim, dicit penetrasse istam ab latere usque ad alvum. Partes, quas nunc conjungit, iterum separat; nam infra, *tergo sceleratam intorserit hastam*, et *uteroque recusso.* Sequitur pulcherrima hypotyposis, *stetit illa tremens*, etc. Adhuc enim mihi in auribus insonat gemitus ille cavernarum ad fixam trementemque hastam. Hoc satis, nam quis expendat, nisi fœdans? Observa *cavæ cavernæ*, ut *serere sermones*, et similia in hoc vate. Vox *recussus* significat sonitum sæpe iteratum.

54. Prudenter culpam in fata conjicit, ut imprudentiam excuset Trojanorum: ad hæc excitatur novus affectus, qui ingens esse solet, quum dicimus Deos nobis esse adversos. Ergo, nisi fata nobis essent adversa, si mens non læva, id est, incogitans, et sinistra, satis nos ictu suo *impulerat* Laocoon *fœdare*, id est, concidere, vulnerare, aperire, *latebras Argolicas.* Sequitur in fine apostrophe nunquam satis laudata, ubi *Troja, arx, Priamus* (quis potuit plura unico versu?) omnia simul ante oculos viro optimo obversabantur: dolet quippe

45. *Ligno.* Merito, quasi dissuasor, affectavit Tapinosim, dicens *ligno*, non simulacro. Quum equum *lignum* appellat, animum procul dubio adjicit ad vocem Græcam: equus enim Trojanus *Durius* vel *Durateus* dictus, id est, *ligneus.*

49. *Quicquid id est, timeo.* Omnis subita liberalitas, et præcipue hostium, suspecta sit oportet. Hujus rei elegantem fabellam tradit Phædr. fab. I, 24; de *cane* et *nocturno fure*, cujus subita benignitas canem eo magis jubebat vigilare, ne sua culpa fur faceret lucrum. *Emmen.*

53. *Cavæ cavernæ.* Græca figura: *ut vitam vivere, mortem mori.* Serv. — *Cavæ.* Pulchre Homerus, Odyss. VIII.; de hac re loquens κοῖλον λόχον, dixit, id est, *cavas insidias.* Cerda.

56. *Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.* In antiquis

mala præsentia cum comparatione ad bona præterita; neque enim jam stant, quæ steterant; non manent, quæ manserant.

57. Apta omnia: trahitur, ut qui hostis, ut qui vinctus, et renitens; nam invite se trahi simulabat Sinon, quo omnes falleret: deinde hanc rem pastoribus attribuit poeta, quo intelligas Sinonis dolos; qui non se ibi locaverat, ubi ex industria positus videretur: sed per agros erraret tanquam fugiens, timensque capi, unde sic melius incidit in avios deviosque pastores, quam in alios: tertio cum clamore adducitur, ubi studium apparet rusticorum; et ad Regem trahunt, quo præmii aliquid accipiant.

59. Horum quatuor versuum perplexam structionem tibi enodo: *qui fidens animi, atque paratus in utrumque, seu versare dolos, seu certæ occumbere morti, ultro obtulerat se ignotum* pastoribus *venientibus, ut strueret hoc ipsum, aperiretque Trojam Achivis.* Posita ex studio intricata verba, quo intelligas quid intus lateret in animo Sinonis: an est quidquam implicatius doloso homine? Quod si id omnibus contingit, quid putas Sinoni? quid non animo volveret? ut cui proposita gloria apud Græcos, si victor esset; supplicium apud Trojanos, si quidpiam verbo peccasset, atque ita hæreret, ut illi dolos noscerent. Ergo ad hunc curarum æstum explicandum aptissime implicantur verba.

63. Nihil his vero similius: concurrit turba ad rem novam; et miles procax est ad illudendum.

65. Locus attentionis. Non solum vocem, sed vultum quo-

omnibus codicibus, quotquot habui, *maneres* persona secunda legi, non *maneret;* quamquam Servius timet τὸ ὁμοιοτέλευτον: quare nonnulli, *staret* potius legunt: et *maneres* in fine malunt: sed enim præter antiqua, uti diximus, exemplaria, quæ utrumque persona secunda legendum exhibent, apostrophen hic, et eum ingenti dolore animi factam Donatus ait. *Pier.*

57. *Ecce. Ecce*, ubicumque Virgilius posuit, aliquod malum repentinum et insperatum significat, auctore Donato: ut hic, et paulo post: « Ecce autem gemini a Tenedo, etc. » Notat etiam Asconius Verrina lib. II: « proprium fuisse Ciceronis, in rebus improvisis ponere hanc vocem, *Ecce;* idque Maronem cum cura et legisse et transtulisse. » Est autem hic transitio ad occasionem erroris et doli prodendæ urbis. De Sinonis Episodio vide *Excursum IV*, tom. II, pag. 324.

63. *Undique.* Expressit hominum morem: quis enim non cupiat hostem suum captum videre, et viso illudere? *Donat.*

65. *Accipe nunc Dan. insidias, et crimine ab uno.* Ab uno reo. *Cri-*

que ad fraudes composuit, nam *turbatus* est. Ait, *circumspexit*, duplici spondæo ad rem fixam indicandam : ipse quippe fixis vestigiis oculos tantum circumtulit. Sed quod orationis initium? Audi. *Heu quæ me*, etc. Quid fiet misero homini, cui neque in terra locus, neque in mari? Ista mox explicat : nullus mihi in mari locus, quia nullus usquam apud Danaos, qui jam navigant : nullus in terra; nam Trojani mihi infensi sunt, pœnasque poscunt, neque has leves, sed cum sanguine. Hic quæpiam expende : conjungit tres dictiones, *jam misero mihi*, in quibus singulis est, *m*, quæ littera apta lugentibus : viderunt hoc alii. Ait *Dardanidæ*, cum emphasi, quasi dicat; Trojani ipsi, quibus ego saluti sum.

73. Ad tam inusitatam doloris significationem, qui prius aversi erant animo, conversi ad benevolentiam sunt : qui prius capto illudebant, cessarunt ab impetu : itaque et animi intus proni ad benevolentiæ notas sequuntur verba blandissima; hortantur enim, memoret suum genus : *quid ferat :* quod explico, quid novi ad Trojanos afferat : demum, qua sit fiducia, captus quum sit. Vide, quam parvis verbis uberrimam materiam præbeant ad texendos dolos : hæc enim omnia miro artificio Sinon narrando amplificat. Ille tanta animorum commutatione, et notis benevolentiæ recreatus, tandem fari incipit.

men hic, ut *Vitium* pro vitioso. Martial. « Carcer vix carcere dignus » : Scalig. in Conject. Sed Æl. Donatus ad illa Terent. Phorm. « Unum cognoris, omnes noris », legit : *Accipe nunc Danaum insidias et crimen : ab uno Disce omnes ;* quam lectionem nec Serv. respuit.

69. *Heu, quæ nunc tellus.* Dolose queritur Sinon, se de communibus duobus elementis exclusum ; nec usquam sibi locum relinqui : quippe, quem Græci sui persequantur, ut mactent : Trojani, quibus tamen salutem præstiturus sit, vinctum ad necem jam deposcant : ut hos ad misericordiam, illos in odium adducat. *Taubm.* — Sane *tellus*, *us* longa est : et pauca sunt quæ *us* producunt ; ut *senectus*, *juventus*, *salus*, *virtus*, *palus*, *servitus*, *incus*, *tus*, *rus*, *mus*, *pus :* tunc scilicet quum genitivus in *tis* vel in *ris* exit, et habet penultimam longam. Ideo autem *tis* et *ris* dicta sunt : quia *palus*, licet *paludis* longa sit *lu*, brevis tamen nonnunquam invenitur, quia in *dis* exit genitivus : ut Horatius : « Sterilisque diu palus aptaque remis » *Serv.*

73. *Quo gemitu.* Bonitatem Trojanorum ostendit, qui pro supplicio ultimo, quod sperabat, solo gemitu ejus, pro pœna contenti sunt. *Donat.* — Tribuit poeta ubique pietatem simplicitatemque animi Trojanis ; ut contra, Græcis impietatem et fraudulentiam. *Taub.*

74. *Impetus.* Qui in Sinonis ferebatur interitum. — *Hortamur fari.* Bene : non jubemus, utpote miserantes. *Serv.*

77. Initium doli ducit a falsa veritatis specie, quam præ se fert: ante omnia genus suum aperit; hoc enim nequit negare, ac sic satisfacit primæ interrogationi, *quo sanguine cretus*, cui, *Argolica de gente* adjicit. Fortuna non tam in me erit improba, id est, non tam pertinax et obstinata, ut possit me pro arbitrio suo (nam hoc est fingere) mendacem facere; satis sit illi, fecisse me, finxisseque miserum.

81. Confirmatus jam ad loquendum incipit ab historia Palamedis, qui interfectus a Græcis, quod prudens Græcum militem abstinere a bello hortaretur. Hæc enim vera fuit diræ mortis causa, tametsi Græci falsam proditionem illi affinxere, quem postea luxere *cassum lumine*, id est, privatum carentemque vita.

86. Vult se Sinon commendare, ut avertat ab animis Trojanorum omnem insidiarum suspicionem: commendatio hæc quadruplex; ex genere; fortuna; ætate; rebus gestis: genus; nam propinquus sanguine Palamedi viro nobilissimo; ab ingenuis autem abest dolus: fortuna; nam pater pauper illum ad militiam misit; non ergo nocendi studio militatum advenit:

77. *Cuncta.* Promittit omnia vera dicturum. — *Tibi, rex.* Assumit fiduciam confitendi apud eum, qui et cognoscendi et ignoscendi facultatem haberet: commendat autem se, quod vera pollicetur: et quod regem appellat, captat benevolentiam. *Donat.*

79. *Primum.* Hoc maximum est, vel principale apud me, verum dicere: vel *hoc primum*, et subaudis *fatebor.* — *Nec, si miserum Fortuna Sinonem*, etc. Potuit eripere mihi fortuna priorem felicitatem, at non poterit me mendacem fingere. Hoc argumento persuasit, ut Trojani crederent reliqua: et ne videatur incredibile, quod ipse solus ex omnibus Græcis remanserit, ad hanc partem ducit ex alto principium, et narrat rem omnibus notam, et magna ex parte veram: qua exposita, subjungit falsa. *Donat.* — Accii Telephum vide.

82. *Belidæ.* Historiam copiose exsequitur Philostratus, Apollonius, Hygynus, Pausanias, Tzetzes, alii. — *Palamedis.* Eadem Sinon dicit, quæ Servius de Palamede. *Donat.* — *Inclyta gloria.* Propter delectum et frumentum. *Serv.* — De Palamede invenies nobilem *Excursum IV**, vol. II, pag. 325.

84. *Infando indicio.* Propter aurum clam suppositum. *Indicio* autem, delatione. — *Quia bella vetabat.* Jam hoc falsum est: sed dicitur ad Sinonis commendationem; nam aliam ob causam Palamedes periit. *Serv.*

86. *Illi.* Id est, qui bella vetabat; et bene *comitem*, non *militem*, quem ejus inimici velut subparem insequerentur. — *Et consanguinitate propinquum.* Excusatio a necessitudine: sed hoc totum falsum est: oratoria commendatio. *Serv.*

87. *Pauper.* Excusatio a fortuna,

ætas; nam primis ab annis comes fuit, adhæsitque Palamedi viro optimo, ex cujus frequenti longaque consuetudine non potuit fraudes addiscere: res gestæ; nam *nos aliquod nomenque decusque gessimus:* vide modestiam se prædicantis. Est *nomen et decus gerere* phrasis mire poetica, pro, nomen et decus gerendis rebus militaribus consequi. Sed quid illud de Palamede, *dum stabat incolumis regno?* dum *vigebat* illius auctoritas in *Regum* conventibus? An Palamedes Rex? non reperies, interpretes quippe hic ἀπιθάνως: ergo regem vocat, ut proceres alios belli Trojani, Ajacem, Achillem, Nestorem, Homerus. Hactenus suas felicitates Sinon.

90. Quid vero Palamede sublato invidia Ulyssis? Jacebam, inquit, in lacrymis, mœrore et tenebris; mecumque tacitus æstuabam, et ardebam: conjungit itaque duplicem affectum, qui in omni acerbitate potissimus, dolorem, et iram. Illud *haud ignota loquor,* est, etiam si velim, nequeam mentiri, loquor nota satis; et perspicua omnibus.

94. Erupi quoque in apertas iras, et verba per summam dementiam; interque iras, et verba excidit vox ultionis: dicebam enim, si alicunde mihi occasio illucesceret ulciscendi, arrepturum me illam, neque prætermissurum: atque ita, verbis Ulyssis animum exacerbavi, et contra me commovi.

97. Quum libere loquerer, indigna cæde Palamedis permotus, reddidi mihi Ulyssem hostem acerbissimum: terrebat me ille novis criminibus confictis; spargebat de me voces ambiguas; conscius quærebat arma. Dicit *nova crimina* cum respectu ad Palamedem: quemadmodum illi crimen proditionis affinxerat, ita quærebat quid mihi de novo impingeret. Alterum, sunt *voces ambiguæ,* perplexæ voces, dubiæ, hærentesque, nequedum manifestæ, sed quæ tantum indicabant grave aliquod facinus Sinonis. Tertium, est *conscius,* vel sibi ipse

hæc enim fuerat caussa militandi. — *Primis annis.* Aut adolescentiæ, aut belli: et est excusatio, quia patri parendum necessario fuit: ideo autem *misit.* Serv.

88. *Dum stabat regno incolumis.* Quia et ipse unus de regibus fuit: et bene addidit dignitatem ejus, quem fingebat propinquum, ut ei justa causa fuerit indignationis adversus Ulyssem. *Serv.*

90. *Invidia.* Propter advectum frumentum. — *Pellacis.* Per blanditias decipientis. *Pellicere* enim est per blanditias elicere. *Serv.*

92. *Vitam in ten.* Ideo lugentibus inimica lux est, quia caruerunt ea hi, quos dolent; ideo tenebras petunt, et atra veste amiciuntur, et capita velantur, ut videantur cum mortuis agere, imitantes tenebris inferorum faciem. *Serv.*

conscius facinoris, quod admiserat contra Palamedem, quod contra me aggrediebatur; vel, quærebat arma, conscius eorum, quæ ego dixissem.

100. Aposiopesis apte illata, et aliquo verborum ambitu supplenda: tam studiose contra me Ulysses pertentare omnia cœpit, donec usus ministro Calchante, quem ad hanc rem egregius scelerum artifex subornaverat, me aræ destinat: hoc Sinon: supplebis quod tibi lubitum. Sed quare hic inducta ea figura? an, ut interrupta narratione avidius Trojani rogent, audiantque? sic Servius: an vero ut indicet ardorem indignationis, quo æstuat, quum videat se ad mortem rapi Ulyssis fraudibus? dolet enim dari sceleri tantum juris.

101. Redit ad se, seque reprehendit, quod tamdiu Trojanorum iras, quas ipse fingit, contineat: *ingrata* sunt non grata vobis, nec mihi gratiam ullam conciliatura: ita Servius. *Quidve moror,* id est, quid moror ardorem vestrum, quo estis in me inflammati, ut in legitimum hostem? vel simplicius: quid tamdiu loquendo moror? *si omnes uno ordine habetis Achivos:* si pro hostibus omnes Græcos æque ducitis, ac me perinde, qui vobis tamen prodesse paratus sum; et si vos satietas orationis meæ tenet, pœnas illico sumite. *Hoc Ithacus,* etc. Hoc gratum erit Ithacensi Ulyssi; hoc pretio magno mercentur Atridæ duo, Agamemnon, et Menelaus. Quam hoc callide! donabitur procul dubio vita Sinoni, cujus mors gratissima futura erit Ulyssi, et Atridis acerbissimis hostibus Trojanorum.

105. Assequitur Sinon luculentam occasionem narrandi, et fingendi; rogari enim, et urgeri volebat. Sed quas causas ardent Trojani scitari, et quærere? duo dixerat Sinon, mortem suam gratam fore tum Ulyssi; tum Atridis: sciebant jam cur grata Ulyssi; cur Atridis, nondum: hoc ergo scire volunt, ignari scelerum, quæ Sinon fingebat arte sua.

107. Æque hominem et pavor, et dolor comitantur; ille se Trojanis commendat excitato affectu misericordiæ; his decipit; ergo prosequitur, et cum pavore, et cum dolis: est *fictum pectus* subdolum pectus.

108. Continent hi versus, et factum, et facti rationem: vo-

99. *Arma.* Modo fraudes, vel dolos. Nam *arma* sunt instrumenta cujuslibet rei: unde insidiantis fraudes *arma* nominavit. *Serv.*

108. *Sæpe fugam Danai.* Hoc secundum Homerum verum est, apud quem suadet Agamemnon Græcis, relicto bello, fugere, et ut ostendat propter bellum fugere, ait *cupiere*, non *voluere.* Serv.

luerunt, inquit, fugere; nam longa fessi obsidione: additque, *fecissent utinam*, ad gratiam Trojanorum. Sequitur, *sæpe illos*, etc. Est in his duplex causa, cur tamdiu tardati, quum abire magnopere cuperent: prior, quod hyems mare clausisset, et venti, quos hic per Austrum signat, terrerent: posterior, quod religio impediret: confecto enim equo, adfuit subitus e cælo terror; videlicet nimbi toto æthere insonantes: hoc sonitu signantur tonitrua, et fulgura, ac perinde nimbi isti fuerunt religiosi, ut qui in hyeme et clauso jam mari, quod raro per brumam accidit.

114. Volebant Græci decedere; mare, et Dii iter impediebant; ideo suspensi, solliciti exquirunt voluntatem Phœbi per Eurypylum, qui retulit horroris et pavoris plena.

117. Dixit oraculum emendos ventos cruore effuso, neque aliter posse placari numina, ut exitus belli responderet initio.

119. Præclare; aures tangit acerbus nuntius; et statim, vulnus sentitur in animis, nec leviter illos percussit, sed ad stuporem: et bene *animi*, non animus, ut omnes timuisse significet, ne, si ipse solus, aliquo scelere contaminatus videretur: ab animo vehementer perculso et stupente, *tremor* in intima ossa diffunditur; et is *gelidus*: subjicit rationem hujus stuporis, et tremoris, videlicet, *cui fata* exitium *parent*, et *quem Apollo* ad pœnas *poscat*.

122. Artificiose partes omnes nocendi Ulyssî attribuit, ut hosti suo, quo melius a Trojanis credatur: ergo Ulysses, ne quis in eo insidias suspicetur, ad medios trahit; sic enim tec-

109. *Moliri*. Parare. Et hoc verbo difficultatem rei ostendit. — *Longo*. Decennali. — *Fessi bello*. Favorem sibi conciliat, dicendo fatigatos esse Græcos virtute Trojanorum. *Donat.*

112. *Præcipue*. Contra illud, ne diceretur numina non esse placata: et bene aliud agens, equi mentionem introduxit. — *Trabibus acernis*, pro quolibet ligno posuit. *S.*

115. *Adytis*. *Adytus* est locus templi secretior: ad quem nulli est aditus nisi sacerdoti. *Serv.*

116. *Sanguine placastis ventos et virgine cæsa, quum primum*. Verum dicit de Iphigenia, falsum addit de præcepto Apollinis: miscet ergo vera, ut credantur falsa. *Donat.*

118. *Sanguine quærendi reditus*. Hoc falsum est, et bene Oraculorum naturam servat, ut a re ipsa semper incipiant. — *Animaque litandum Argolica*. Quia occurrebat occidi posse captivum: ergo ideo addidit *Argolica*, ne non esset triste oraculum. Ne crederetur potuisse litari alienigena; nec quærenda erat virgo, quum exercitus feminis careret. Et *litare* significanter dixit: quod est, facto sacrificio Numen placare.

riora omnia, quo clariora; flagitatque Calchantem, explicet, quis mactandus Deorum voluntate: addit Sinon; *et multi jam mihi*, etc. id est, prædivinabant, crudelia in mè Ulyssis artificiosi astutique scelera, exitus infelices mihi habitura. Voculam *hic* quæ est initio, explica, hoc rerum statu.

126. Extenuat Calchantis crimen, quo infestius in Ulyssem omnia redundent tanti sceleris auctorem: silet enim dies decem; abdit se domi; nam hoc est, *tectus:* recusat quemquam prodere; quemquam morti objicere.

128. Demum non sua sponte Calchas tam diro se scelere astrinxit; auctor fuit impulsorque Ulysses: itaque *composito*, id est, ex pacto quodam inito cum Ulysse, *vocem rumpit, me cædi destinat*, obligatque.

130. Grate omnes hoc audivere; assensere etiam, ut jam metu liberi, *et tulere conversa in exitium unius miseri, quæ quisque sibi timebat*, id est, contulerunt, et converterunt in exitium, etc. Sic enim phrasis hæc poetica explicanda.

132. Est *dies infanda*, in exitium meum destinata: *parari*, id est, parabantur mihi sacra ad mactationem: hæc sacra duo; primum *salsæ fruges;* alterum, *vittæ circum tempora;* omnia ex more sacrorum.

134. Ne puta, Sinonem fuisse jam cinctum vittis; tantum dixit, eas parari, sicut et molam: etenim si jam fuisset cinctus vittis, si jam sparsus mola in loco sacrificii, qui probabile illum potuisse fugere? An in eo puncto temporis inveniret fugam? Igitur rupit vincula, quibus ligatus erat in custodia, et servatus ad carnificinam: et inde fugit, invenitque latebras inter ulvas paludis, dum Græci vela darent, si aliquando tandem darent. Eodem modo capiendus Calaber lib. XII, qui

124. *Flagitat* Invidiose poscit; unde et quod flagitatione dignum est, *flagitium* dicitur. Non frustra hoc verbum Ulyssi datum, quem flagitiosissimum Sinon inducit: ergo non poscit, rogat, petit, sed flagitat. Et Grammatici ita discriminant inter hæc verba: *poscimus*, cum imperio; *petimus*, precibus; *postulamus*, jure; *flagitamus*, cum convitio.

134. *Eripui.* Non culpam criminis, sed innocens crudelissimam mortem, ne ea gauderet inimicus: et ne quis quærat, quomodo potuerit fugere, addit *vincula rupi*. Don.

135. *Limosoque lacu.* Ut verisimilem fugam faciat, circumstantiis utitur. Limus enim et lacus suffragabantur, ne possent insequentes intrare: posuit et *noctem*, nam tenebræ adjuvabant. *Donat.*

136. *Si forte dedissent.* Medium se præbet: nam nec negat, nec confirmat eos navigasse; ne aut eis demat securitatem: aut quod Si-

nit, Sinonem fugisse σπονδὰς οὐλοχύτας, *libamina*, *et salsas molas*. Vide vero, ut Sinon faciat fugam suam miserabilem a loco, ubi delituit; et a tempore, quia per noctem: *obscurus per noctem*, esse potest, per obscuram noctem, locutione poetica, et Virgilio frequentissima.

137. Confirmata jam fide, affectus excitat, quibus permoveat, jam ab spe, quæ nulla, videndi patriam, natos, parentem: jam ab metu, quo timet fore ut irati Græci sæviant in liberos, expientque illorum morte fugam patris.

141. Convertens se ad Priamum, excitat majores affectus: *oro te*, inquit, *per superos*, *per Numina veri conscia*: est hoc amphibolum, et ex techna impostoris: non enim explicat, verane, an falsa dicturus; sed tantum testatur Numina veritatis conscia. Hæc numina Varro vocat *certos Deos*, quod Servius notat. Pergit; *oro te per Fidem*, *si quæ adhuc fides restat*, reliqua est, *mortalibus intemerata*. Quid vero obsecrat, per superos, per Numina, per fidem? *Miserere laborum tantorum*; *miserere animi ferentis non digna*. Ad hoc unum tot obtestationes. Quid non consequatur? præsertim, quum tantum petat, ut Rex tueatur innocentiam laboribus oppressam: vide etiam, ut se obiter impurissimus Sinon commendet a laboribus, quos plures passus; ab innocentia; nam indigna patitur.

145. Videtur mihi poeta voluisse significare, quanta sit vis eloquentiæ, ejus præcipue partis, quæ consistit in affectibus movendis: nam post lacrymas Sinonis, qui Græcus, ac perinde hostis, quatuor sequuntur digna, quæ consideres. Vita datur his lacrymis; Priamus jubet vincula adimi; Græcum hominem facit suum civem; cum eo loquitur, ut cum noto amico, et ab eo doceri vult technas Græcorum: in quibus semper favor crescit, et gratia: magnum enim est vita; majus,

pra dixit, falsum sit, non posse navigare Græcos, nisi homine immolato: id est, quia jam scire non poterat, quid facturi essent, quum ipse fugisset, ut Trojanorum sit, quidquid elegerint: et artis est, in argumentorum angustia, incertis uti sermonibus. *Serv.*

137. *Antiquam*. Caram: et bene commemorat liberos et parentem; ut ostendat, se non deseruisse ut vilem, sed fugisse mortis terrore: bene etiam ignotos finxit sibi liberos et parentem; ut major miseratio ex pluribus nasceretur. Quidam sane non *dulces*, sed *duplices* legerunt, quia *dulces* lene esset et commune epitheton liberorum. *Serv.*

148. *Quisquis es*, etc. Licet hostis sis: et verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris transfugam recipientis in fidem: « Quisquis es, noster eris. » *S.* Vide Lucret. lib. III; Hor. Epod. II.

si hæc vita detur homini posito in vinculis ad mortem; majus adhuc, si huic vitæ addatur gratia civitatis; demum majus, si cum vita, et cum civitate accedat gratia, et amicitia principis. Itaque inter has lacrymas evanescunt infinita prope argumenta, quæ Priamum, et Trojanos debuissent revocare a Græco nomine. Itaque non placent, qui dicunt, notari levitatem, et imprudentiam Trojanorum, qui facile Græco homini crediderint: imo notatur eloquentiæ vis, ad eum modum, quo explicui.

150. Quinque rogat, quæ ad tria possunt reduci, causam, personam, rem: quæ tria in causis conjecturalibus argumentandi occasionem præbent: causam, quum ait, *quo molem*, etc.: personam, *quis auctor?* rem, *quæ machina belli* illa: *quidve petunt? quæ religio?* ad causam refert Nascimb. mallem prius ad causam; posterius ad rem.

152. Liber jam Sinon vinculis, manus ad cælum tollit, ut erat vaferrimus: convertit se ad sidera, quæ vocat æternos ignes, numen non violabile: ad aras, et enses Græcorum, quos jam fugit: ad vittas, quas gessit immolandus: sed qui gessit vittas Sinon, quum ex vinculis profugerit, ut supra jam explicui? Confugio hic ad tectorium Servii sic explicantis: *Gessi, pæne gessi: non enim vere gesserat; sed quantum ad Græcos pertineret.*

157. Quid vero petit? Audiverat Sinon ab Priamo, *noster eris:* ergo, qui jam non Græcus putatur, sed Trojanus, abjurat sacris Græcorum, concedit in sacra Trojanorum: ideo vult resolvere jura pristina, suos odisse, manifestare omnia.

160. Obligat se, et vera dicere, et parem salutis gratiam rependere, dummodo Troja servet fidem sibi, quando ipse illam servat, veritatem aperiens: ducit sermonem poeta a trutinantibus.

162. Omnia, quæ hic Sinon ait, vera sunt; quo facilius deinde pertrahat quo vult, ficto mendacio: vere cuim favit

149. *Mihi.* Scilicet regi, qui possem tormentis inquirere veritatem, et simpliciter quæro: vel *Mihi*, qui te servavi, et in meorum numerum recepi. *Donat.*

154. *Vos, æterni ignes.* Juravit sed subtiliter: nam Trojanos fallit, et non prodit arcana suorum. — *Æterni ignes.* Libentius hic sidera accipio, quam ignes ararum: hæc vocat ignes æternos, et Numen inviolabile: atque adeo initium testationis a cælo capit, et sideribus, ad quæ manus tetendit. Alii ignem Vestæ capiunt. — *Non violabile.* Græci ἀφθαρτον dicunt. *Serv.*

Græcis Minerva; vere Diomedes, et Ulysses subripoere Palladium, quod servabatur in Troja; et quo ibi permanente, putabant Trojani fatalem sibi semper salutem fore. Vide vero uti in narrando facto Diomedis et Ulyssis omnia sint plena magnorum criminum; adfert quippe poeta voces quæsitas ad rem exaggerandam: *aggressi*, in quo est confidentia: *ausi* in quo audacia: *contingere*, in quo sacrilegiom: *manibus cruentis*, in quo scelus: *cæsis custodibus*, in quo homicidium: *vittas virgineas*, in quo temeritas: *templo sacrato*, in quo nefas: *avellere*, quo innuitur id factum invito numine. Ab his tot criminibus præclare Diomedes dicitur *impius*, et Ulysses *inventor scelerum*. In vocula *sed enim*, hysterologiam agnoscit Servius; tu sic ordina, *sed enim ex quo Tydides*, etc.

169. *Ex quo* tempore ausi id facinus Diomedes, atque Ulysses, *ex illo* cœpit *fluere spes Danaum*, ac *sublapsa referri retro*; id est, cœpit sublabi, ac perinde referri. Demum ex illo tempore *fractæ* Græcorum *vires* ad bella; et, quod dirius omnibus, *mens Deæ aversa* esse cœpit.

171. Manifestavit iras suas Pallas, ut primum avulsa ab arce vestra posita est in nostris castris: sed quæ indicia irarum Palladis, mentisque aversæ? quatuor: videlicet *ardor oculorum; sudor salsus; erectio statuæ; concussio armorum*. Neque hæc simplicia; nam ardor flammarum extitit *ex arrectis luminibus*, id est, intentis, coruscantibus ad minas: sudor effusus est toto corpore, hoc enim satis indicatur, quum ait, *per artus*: erectio cum emicatione, saltuque in solum: concussio cum tremore parmæ, et hastæ.

176. Apte *extemplo*; nam vox hæc ad augures pertinuit; signate etiam *tentanda*, non aliud; debebant enim tentare, atque experiri, an possent fugere irata Dea. Quid præterea cecinit Calchas? Non posse everti Trojam, nisi auspicia repeterentur in urbe Argorum, ubi prius petita, quum profecti sunt ad bellum; et nisi Palladis *Numen*, id est, simulacrum,

164. *Scelerumque inventor Ulysses*. Propter se, et propter Palamedem, factione occisum dolosi Ulyssis qui nunquam invenit, quod probari potuisset. *Donat.*

165. *Fatale*. Τὸν μόρον est. Nam et quod custodit, et quod interimit, pro loco intelligitur. *Serv.* — *Fatale*. In quo staret fatum Græcorum: dixerat enim *Palladis stetit auxiliis*. Donat. — Excursus IV[us] de rapto Palladio legendus est, vol. II, pag. 328.

167. *Sacram effigiem*. Quasi de cælo lapsam. Et tres simul res dixit: quare numen irasceretur; quod Antistites cæsi; quod tolleretur; quod cruentis manibus. *S*

reduceretur, quod furati Græci Græciam usque avexerant. Est in poeta elegans vocum allusio, non posse exscindi Pergama telis *Argolicis*, nisi omina *Argis* repetantur.

180. Sententia est, eo animo ivisse, ut redirent, et armis redintegratis, et Diis jam placatis, quos secum Græci adducturi sunt in comitatu, præsertim simulacrum Palladis: nam eo fuga hæc Græcorum destinata ex mendacio Sinonis, ut Palladium reducerent. In illis *improvisi aderunt*, reddit Trojanos mire de futuro sollicitos et pavidos, ut festinent exequi Sinonis consilia.

183. Rogaverat Priamus, *quo molem hanc statuere?* his nunc satisfacit: statuere, inquit, pro furato Palladio, pro læso numine, ad expiandum nefas admissum in Palladem: ut *fas* de Diis, quod jam adnotatum est Julio Scaligero; ita *nefas* de injuria iisdem facta.

185. Huc doli Sinonis, huc ambages longissimæ orationis destinatæ; voluit ille duci hanc machinam intra mœnia: suadet hoc mentita causa duplici: ideo, inquit, moles ista facta est inusitata quadam magnitudine, *ne posset portis recipi;* en prior: *ne posset tueri populum antiqua*, ut solebat, *religione;* en posterior: est hic dolorum et fraudium cardo: nam Trojani persuadentur, tum machinam ducere intra mœnia, ut illa populum tueretur; tum muros diruere, quando illa recipi portis non poterat: utrumque æque perniciosum consilium.

189. Quæ sequuntur, continent longissimæ orationis con-

180. *Vento petiere Mycenas.* Hic ostenditur illos navigasse. *Serv.* — *Mycenas.* Ne te turbet, nunc dici, petendas Mycenas, quum præcesserit, repetenda Argis omina; nam quæ est potestas poetarum? Confugiunt sæpe illi ad loca vicina; et tam Mycenas quam Argos sumunt pro tota Græcia, utramque urbem κατ' ἐξοχήν.

181. *Arma deosque parant comites.* Ingenti arte de futuro sollicitos facit, ut videatur periculum denunciando, secreta Argivorum prodere, quatenus præsentem firmet securitatem, ut eos faciat incautos. *Serv.*

182. *Improvisi aderunt.* Sicut et factum est; et artificiose, neque enim mentitur, et tamen decipit: nam verum metum falso metu abegit; et dum reversuros timent, non timent, ne non abierint. *Serv.*

186. *Roboribus. Robur* hic simpliciter pro ligno quovis accipit Germanus ex usu Latinorum, qui pro qualibet materia dura accipiunt. Vide Georg. III, 420.

189. *Nam si vestra manus.* Quia occurrebat exurendum esse equum, si intro ferri, vel prodesse non poterat. — *Dona Min.* Quæ Minervæ data sunt: et minatur occulte, ne quis equum tentare audeat. *Serv.*

clusionem; quæ conclusio bimembris est: si machinam hanc violatis, magnum vobis exitium portenditur; en prius membrum: sin vero ad vestram urbem ducitis, convertentur in Græcos fata et exitium; en posterius.

195. Epilogus Æneæ ore, continens fraudes Sinonis, quibus capti Trojani: vocat *perjurum*, quia supra ille, *Vos æterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen*: perjurus ergo est sanctissimi hujus juramenti fractor: sed notanda diligentia poetæ in his quatuor versibus: quatuor res præcedunt, videlicet, insidiæ Sinonis, perjurium, doli, lacrymæ: et quatuor sequuntur, videlicet, Tydides, Achilles, anni decem, mille carinæ. In his semper crescit oratio: nam contra prima illa pugnat Tydides, qui potentissimus; et Achilles, qui potentior; anni decem, qui utroque majus quiddam; carinæ mille, quæ supra omnes.

199. Quæ sequuntur, divino quodam consilio excogitata, et hic inserta sunt; ut Trojani, si in quam stupiditatem incurrerunt, quod Sinoni credidissent prudentes homines, ea omnino liberentur, putentque mortales, exitium hoc referendum ad Deorum voluntatem, et Trojanos fuisse faciles citra insipientiam. In primo versu nota triplicem dictionem incipientem ab litera *m*, *majus*, *miseris*, *multo*; ad indicandum Æneæ dolorem in narrando; nam ea litera apta est ad complorationem.

201. Præmittit ante adventum anguium circumstantias signatas: non enim satis habuit Laocoontem nominare, et taurum: sed de illo *sacerdos*; et *ductus sorte*; de isto, *ingentem*, et *ad aras solemnes*, et *Neptuno mactabat*. In quibus omnibus sig-

190. *Quod di prius omen in ipsum*. Adeo se ostendit favere Trojanis, ut nomen etiam Græcorum exueretur. — *Ipsum*. Calchantem accipimus: nam quasi Trojanus detestatur, quæ in illos ominose dicta sunt. *Serv.*

196. *Credita res*. Fides habita, aut commissa respublica. — *Captique dolis*. Sicut dictum est, virtuti non cedit. Dolis dicit Trojam esse superatam, non quod Trojanis victos esse turpe non fuerit: sed quod Græcis turpius vicisse per dolos. *Serv.* — *Coactis*. Arte expressis, non autem sponte fluentibus. Propertius et complures alii pro lectione faciunt Serviana, eleg. I, 15. « Et fletum invitis ducere luminibus. » Juvenal. Sat. XIII, 133; « vexare oculos humore coacto. » — Vide Ovid. Met. VI, 628.

199. *Hic*. Tunc. — *Aliud majus*. Nam vehementer dolos poterat confirmare hoc monstrum. *Donat.* Vide luculentissimum Excursum V, de Laocoonte, tom. II, pag. 329—333.

nati mores attinguntur, ut solet semper in excursu hic vates.

203. Nihil vividius sequente hypotyposi, nihil horribilius: inde ipse narrans horrescit: in primis signat tria loca, videlicet, unde profecti, quo, qua, *a Tenedo, ad litora, per alta tranquilla*: deinde signat magnitudinem, per *orbes immensos*, et per *terga immensa voluminibus*: ita enim magni serpentes, ut carerent modo omni, mensura omni. Tertio, vide horrorem in *arrectis pectoribus, jubis sanguineis*. Quarto depingit naturam serpentium, quum natant; nam *pectora arriguntur inter fluctus, et jubæ undas exsuperant; pars cætera pone legit pontum sinuatque terga voluminibus*. Quinto indicatur in verbis prodigium immissum a Diis; nam *pariter incumbunt pelago, pariter tendunt ad litora*.

209. Quis putaret, addi posse præcedentibus affectus majores, et majorem vim? Finge, te superiores versus fecisse; et cogita, an potuisses addere majorem horrorem, et nihil fortasse invenies. Invenit Maro ingeniorum apex; nam cui non arrigant comas, quæ sequuntur de salo spumante ad sonitum anguium? quæ dicuntur de ardore, de sanguine, de igne, de sibilis, de vibrationibus linguarum? vide, quoties in his tribus versibus sparsa sit litera *s*, quæ serpentium. In illis *sonitus, spumante, salo*, ter conjunctim repetitur, ter in sequenti, ter in ultimo: *ora sibila* sunt ora sibilantia; vel, ora cum sibilis. *Linguis vibrantibus*, id est, mobilibus, propter celeritatem, ita Servius: *suffecti*, id est, infecti, vel suffusi.

212. Ut verum est, poetam nihil moliri inepte! quot hinc

203. *Ecce autem*. Per hoc significabatur hostes venturos a Tenedo. *Ecce* semper ponitur, ubi res horrenda et repentina significatur. Festinatio autem, et oculi ardentes, et linguæ mobilitas demonstrabant alicui illos laturos interitum. *Donat.* et *Emm.*

204. *Horesco referens*. Etiam referens, quod tum vidissem.—*Angues*. *Angues*, aquarum sunt: *Serpentes* terrarum: *Dracones* templorum; ut in hoc indicat loco: « Angues tranquilla per alta. » Paulo post in terra, « Serpens amplexus. » Item, « Delubra ad summa dracones. » Sed hæc significatio plerumque confunditur. Horum sane draconum nomina, Sophocles in Laocoonte dicit, quos appellaverunt *Porcen* et *Charibœan*, ut Turneb. XVII, 4; ex interprete Lycophronis. *Serv.* et *Emm.*

209. *Fit sonitus*. Ut ostenderet serpentum magnitudinem, quorum in lapsu fluctus movebantur, quia ait, « tranquilla per alta. » —*Salo*. Dicimus et *Salum*, unde est *Salo*: et *sal salis*; ut, « Et salé tabentes artus in litore ponunt. » *Serv.*

212. *Exsangues*. Timentes; nam ideo timentes pallescunt, quia an-

πάθη consurgunt! quam apte omnia! Serpentes duo magnitudine ingentes, parvos pueros arripiunt, amplectuntur, implicant, misere laniant: amplexus ille est non ad amorem, sed ad carnificinam: fit hæc laniena patre præsente: omnia hic miserrima, et omnia dolorem augent: numerus, quia duo: ætas, quia parvi: modus mortis, quia serpentes mordendo depascuntur pueros.

216. Ex his aliqua implicata sunt, credo ad atrox malum explicandum: solet enim poeta sententiam implicare ad indicandas res, de quibus agit; nam alioqui explicatissimus esse solet: novitius lector sententiam ita ordinet: *Post corripiunt ipsum* patrem *subeuntem auxilio* natis, *ac ferentem tela, ligantque* illum *spiris ingentibus: et jam bis amplexi medium* hominem, *bis circumdati terga squammea collo* illius, *superant capite, et altis cervicibus.* Sententia sic clarior est, serpentes amplexu suo cinxisse medium hominem, itemque circumdedisse terga squammea collo ejusdem: post quas spiras et orbes ita longi erant angues, ut magna pars illorum, totum nempe caput, et cervices eminerent supra Laocoontem. Particulam *bis* refero ad utrumque serpentem; ita ut quisque illorum cingeret semel Laocoontem medio corpore, et semel iterum medio collo: sed bis medio corpore, et bis medio collo, quia videlicet duplex erat serpens.

220. Commovent hæc affectum ingentem, non solum considerata miseri hominis calamitate, sed religione; nam neque vittæ, quæ sacræ, servatæ ab incommodo. Hoc deerat ad complendam tragœdiam. Unus tantum tollit; nam liberi jam extincti; sed ille unus *clamores*, non clamorem *tollit*, quia non satis ad exprimendum dolorem numerus singularis; et illos *horrendos*, et *ad sidera*. Quæ hæc αὔξησις!

223. Laocoon tollit clamores horrendos, ac tales, *quales*

te exsangues fiunt. — *Agmine certo.* Itinere, impetu. *Agmen* dicitur actûs serpentum. *Cursus* enim et *iter*, pedum est, quibus carent serpentes. *Serv.* et *Donat.*

216. *Post ipsum*, etc. Hoc ita Petronius: « Accumulat ecce liberum funus parens, infirmus auxiliator: invadunt virum. »

220. *Nodos.* Vide copiam veri poetæ: *orbes* dixerat, *spiras*, *volumina*, ad hæc, verba *sinuant*, *amplexi*, *implicant*, *circumdant*, jam *nodos*, quid plura potuit? Plinius VIII, 12, draconibus dat *nodos*.

222. *Tollit.* Bis hoc accipe: *tollit Laocoon clamores*, *mugitus tollit taurus.* De Laocoontis clamoribus lege, si placet, Excursum VI, vol. II, pag. 333.

223. *Quales mugitus.* Facta autem comparatio est propter sacer-

mugitus taurus, quum *aras saucius fugit*, excussa securi a cervice: vocat securim *incertam*, quia non bene libratus ictus ab ministro.

225. Facta cæde, dracones confugiunt ad Palladis templum, quod erat in summo; ideo postea *arcem* nominat, quasi explicans, quæ essent *delubra summa;* ibi vero teguntur Deæ pedibus, orbe clypei, ut qui in ejus tutela. Attributum *sævæ* ad rem pertinet; indicat enim sævitiam Palladis ulciscentis munus suum læsum: expende etiam, dracones ultos violatorem confugisse ad arcem, unde violator advenerat; supra enim audisti; *Laocoon ardens summa decurrit ab arce.*

228. Ad rem nunquam visam necessario sequitur non timor, non vulgare quidpiam; sed *pavor*, et hic *novus* ad novum spectaculum, et cum tremore: in verbo *insinuat*, subaudi, *se*, ut dicat, *pavor se insinuat.* Quid tum vero Trojani? conclusio duplex videlicet; merito Laocoontem punitum; ducendum simulacrum ad arcem urbis. Ratio primæ; merito Laocoon punitus, quia læsit Palladis munus: ratio alterius; ducendum simulacrum, ut Pallas placetur; nam hoc est, *orandaque Divæ Numina conclamant.*

234. Ecce præceps consilium, sed quod excuses præterito Laocoontis malo. Apertis muris, omnes pariter in opus incumbunt, et machinam pertrahunt duplici adjumento, videlicet et rotis, et funibus: illas subjiciunt pedibus equi; istos collo intendunt: verba illa de rotis ita digerenda sunt, atque ordinanda; *subjiciunt pedibus equi lapsus rotarum*, non *subjiciunt lapsus pedibus rotarum.* Hic tu expende, qua celeritate in perniciem suam Trojani ruerint; nam quasi remis velisque, ita rotis ac funibus in malum suum incumbunt.

dotis personam. Allusit ad taurum, quia sacrificabatur taurus. Duo attingit omina, quæ adversa in sacrificijs, taurorum mugitum, et fugam. *Serv.* et *Donat.*

230. *Socrum robur.* Non ut supra *lignum*: et notandum, quot nominibus hunc equum appellet, *lignum*, *machinam*, *monstrum*, *dolum*, *pinea claustra*, *donum*, *molem*, *equum*, *sacrum robur.* Serv.

234. *Dividimus muros.* Plena describitur Trojanorum dementia: nam quo tempore bellum nec positum fuerat, nec sopitum, muros dividebant. Nec Germanus putat, nec ego, ex abundanti *muros* et *mœnia* eodem spiritu a Marone contexta: nam etsi hæ duæ voces confundantur interdum, tamen *muros* proprie pro ambitu lapideo accipio, urbem cogente: *mœnia* autem, a *muniendo* et *mœniendo* dicta, non tantum urbis esse, sed etiam munitionem castrorum, et aliorum ædificiorum, ex illo Cæsar bel. ci-

237. Ita et rotis et funibus *scandit* ad *muros machina* illa, quæ esset extremum fatum atque exitium allatura. Neque vero defuit religio, ut in re sacra: adhibentur quippe pueri, et puellæ adhuc virgines (quæ ætas apta contingendis sacris propter innocentiam) quæ canant laudes in honorem Palladis.

240. Nihil grandius dici potuit ad explicandum exitium, quod machina illa urbi miseræ minabatur: etenim motum, quo equus agebatur, *minas* vocat, quasi non tam moveri, quam minari videretur. Placet etiam mens Donati hæc: subit machina, et illabitur, et nondum ingressa, adhuc enim in porta hærebat; nam infra, *quater ipso in limine portæ substitit*, jam mediæ urbi minari videbatur.

241. Mire narrationem abrumpit, inseritque exclamationem admodum patheticam ad excitandos affectus. Narrabat Æneas, et in ipso cursu narrationis dolore patriæ exstimulatus, non potuit non erumpere, ferens indigne eam urbem dirui, quæ semper fuisset et religione conspicua, et bello maxima: hæc enim duo elogia attingit, quibus nullum majus. In illis, *Divum domus Ilium*, magna est commendatio, quasi ipsa urbs non tam templa haberet Deorum multorum, quam ipsa tota sacrarium quoddam esset, et domus, ubi Dii culti. Pertinet vero exclamatio ad id, quod sequitur, *quater ipso*, etc.; quasi dicat: non nobis dii defuerunt, prodentibus se insidiis, quæ in equo latebant, armorum sonitu; sed cæcitas mentis abstulit usum aurium, quibus non credidimus.

244. Duplex causa unius effectus: *instamus*, et quia *immemores*, et quia *cæci furore*: etenim fatum et memoriam abstulit, et menti tenebras induxit. Quid vero facimus immemores, quid cæci? *sistimus arce monstrum infelix*.

246. Præter armorum sonitum, quo, nisi cæci, excitari debuissemus, adfuit quoque vaticinium Cassandræ, quæ tamen non credita, nihil minuit cladem. Roges, an Cassandra non credita? an, ora non credita? quod malis: in posterius inclino, quod exquisitius, neque vulgare: sed non pugno. Plena ista

vil. II, 16: « Quum pæne inædificata in muris ab exercitu nostro mœnia viderentur. » Vid. Cæs. T. II, p. 144.

238. *Fœta*. Nunc plena, ut in Bucolicis: « Tentabunt pabula fœtas. » — *Fœta armis*. Id est, impleta armatis viris. Respexit ad illud: « uterumque armato milite complent. » Unde et Tryphiodorus perstans in metaphora « Equi obstetricem » vocat Palladem. *Taub.* — Confer *Excursum VII*, de Trojano equo muros urbis scandente, vol. II, p. 334.

magnis affectibus : festa celebrantur ab miseris; et is dies habetur lætissimus, qui futurus extremus.

250. Vide, si quid tristius dici potuit ad signandum luctum illius extremæ noctis : syllabæ, numerus, verba, et verborum dispositio omnia metum afferunt, et animos contrahunt : verbo *ruit* signatur quam præceps ex Oceano nox erumpat in Trojanorum perniciem : ad hæc, monosyllaba *vox* servata ad finem, quid non meditandum relinquit? vere hic vates omnium princeps.

251. Tristissimus superior versus, hic jam tristior : non satis suppetit, qui expendam tantam tristitiam : tristitiæ adduntur doli; nam hos quoque nox involvit, ne quid discerni queat. Rem dicit, et rei causam : ideo fusi, quia fessi : ideo taciti, quia sopore correpti.

254. Transit a Trojanis ad Græcos : illi somno correpti; isti vigiles instruxerant naves, ibatque classis, a *Tenedo petens Litora* satis *nota* decem intervallo annorum : juvabat noctis silentium : navis regia facem e puppi extulit; quo puncto temporis, nam hoc signum convenerat, Sinon equum aperit, servatus in perniciem Trojanam : *reddit equus*, restituitque luci, quos habebat in utero et tenebris : exeunt illi *læti*, ut qui ad exitum vident perduci fatale Trojæ exitium : numerat poeta principes novem, qui ex equo exiverunt.

265. Describitur primus impetus illorum, qui ex equo descenderant, qui nacti sunt præclaram occasionem; nam urbs tota non oppressa, sed *sepulta somno et vino*. Cædes prima de-

248. *Nos delubra*. Tanta amentia fuit, ut quo tempore exitium immineret, lætis frondibus templa non coronaremus solum, sed tegeremus deorum, qui una nobiscum perituri erant. *Donat.*

251. *Involvens*. Nam quæ involuta sunt, non videntur. *Donat*. De nocte quæ ex Oceano erumpit, adi Excursum VIII, vol. II, p. 335.

254. *Phalanx*. Lingua Macedonum, legio : et synecdoche a parte totum : significat enim totum exercitum. *Serv.*

255. *Tacitæ lunæ*. Aut noctem significat, cujus tempore tacetur, quoniam nocte silentium est, ut : « Quum tacet omnis ager. » Aut certe *tacitæ*, serenæ, ut : « Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo »; vel ipsi taciti; ut, « Tacitumque obsedit limen Amatæ. » — *Amica*. Sibi grata. *Serv.* — *Tacitæ per amica*. Nullum est scriptoris vitium, quod nunc dicat *silentia lunæ*, et supra meminerit tenebrarum. Nam elegerunt eam noctem, quæ partim tenebrosa, occultaret insidias : partim adveniente luna, illustris esset, ut sine errore venirent. Ergo et notitia litoris, et luna suffragabatur. *Donat.*

sæviit in *vigiles*, qui *cæduntur*, ut pecora; quippe his sublatis, aperiuntur portæ, quibus jam *patentibus*, hi qui fuerant in equo *accipiunt socios*, qui veniebant a navibus, *atque jungunt agmina conscia*, ejusdem doli.

268. Aggreditur narrare, uti Hector in somnis Æneæ apparuerit, tantæ cladis futuro restauratori, et devictæ gentis reliquias in Italiam transportaturo. Describit vero primam incipientis somni partem; ideo signate *serpit*, et *gratissima;* nam quies prima dulcissima est.

270. Quinque primo intuitu visa Æneæ in Hectore, et ideo primo narrata : vidit enim illum mœstissimum; flentem largissime; bigis raptatum; atrum cruento pulvere; trajectum loris per pedes tumentes: expendere hos versus nemo satis digne queat.

274. Priusquam alias notas narrat in Hectore, interponit hæc ad excitandos affectus ex pristina Hectoris felicitate, quæ duplex : videlicet rediisse victorem cum spoliis Achillis, quæ detraxerat Patroclo: deinde ab ignium jaculatione, quibus naves Græcorum incenderat : tunc qua gratulatione, quo plausu ab Trojanis omnibus exciperetur? jam hæc mutata omnia, et mutatus Hector: nunc enim mœstus, flens, raptatus, ater pulvere, trajectus pedes, qui olim lætabundus victricia spolia in urbem intulerat, qui ignem navibus injecerat.

277. Redit ad notas doloris, quas vidit in Hectore, et superioribus tres adjicit; scilicet barbæ squalorem, crines concretos sanguine, vulnera accepta circa muros patriæ, per defensionem, et in raptatione. Sequitur, *ultro flens*, *ipse*, etc. : indicatur ab poeta tristitiæ habitus magnus : qui ad alterum venit, prior compellat et loquitur; hic contra fit; Hector enim tacet, et quum ipse veniat, provocationem exspectat.

268. *Prima quies.* Excusatur Æneas, si somnum ea hora capiebat, qua omnia animantia reficit somnus : cujus initia tantum ponderis habent, et tanta vi mentes opprimunt, ut omni cura submota, altius soporentur : et quum munus deorum sit somnus, ad refectionem nobis datum, crimen non est, si concesso tempore dormiatur. *Donat.* — *Ægris.* Quantum ad divina, tardis. *Serv.*

271. *Visus adesse.* Ostendit poeta non veras, sed verisimiles imagines videri, quum dormientibus offeruntur. Ex mœrore autem et squalore imaginis, etiam si nihil verbis nunciasset, conjectura colligeretur funesta portendere. *Don.*

276. *Phrygios ignes,* Flammas Trojanas, quibus Protesilai navis incensa est : constat enim naves Græcorum flammis oppugnatas ab Hectore. *Serv.* De his versibus

281. Verba affectus plena, in quæ erupit Æneas: vocat Hectorem lucem Trojæ, spem Teucrorum. Deinde nota acumen; est incerta omnis spes; atqui ad αὔξησιν, *spes fidissima;* non obvie sane, nec vulgariter. Interrogatio nihil objurgationis continens, sed tota plena amoris, et desiderii. Sequitur, *quibus Hector ab oris Exspectate venis?* Nihil frustra: ideo enim exspectatus, ut qui diu moratus.

283. Capio hic *ut* pro, qui; ut dicat leniter objurgans, qui te aspicimus! Subdit vero causas, cur objurget: prima est; ut aspicimus te *defessi;* quasi dicat, oportuisset nos invisere integros fortesque viribus, quum spes victoriæ; nunc jam invisis languidos luctu, defessos bello: altera, *post multa tuorum funera*, qua signate admonetur charitatis, quam habere debuisset in illos, qui illum genere contingebant: tertia, *post varios hominumque urbisque labores:* quasi dicat; cur tam serus, qui Trojanorum tuorum curam debuisses gerere, et urbis tuæ, ne caderet. Itaque Æneas, se primum nominat, qui *defessus:* deinde gentiles Hectoris, qui cæsi multi: ab his exit ad reliquos, qui laboribus vexati: a quibus demum ad urbem totam.

285. Vide ut omnia sibi consonent: lucem Trojæ dixerat Hectorem; ideo rogat; quæ causa tantam lucem fœdaverit, et vultus serenitatem: in illis, *aut cur hæc vulnera cerno;* ingens est πάθος! cur ego cerno, qui debuissem habere ea vulnera, qui debuissem mori? non tu, qui dignus vita.

287. Ut sapiens occasiones loquendi amputat tum non necessarias; sic causa ponitur, cur non Hector responderit: vana enim et otiosa interrogatio pereunte Troja.

288. Indicat gemitus habitum futuræ orationis: vide vero, ut heroi det gemitum ex decoro, non lacrymas: est exordium nullum; nam quod exordium rebus in arcto positis? ideo Hector moras omnes et προοίμια amputat, ut Æneas citissime saluti fugiendo consulat, Deosque auferat. Præclare autem præcedit particula *heu*, quasi doleat, fugam consuli, filio Deæ, heroi, et ab heroe. Ergo, *fuge, eripe te flammis*, etiamsi natus Dea;

adeundus est *Excursus VIII* tom. II, p. 336.

281. *O lux Dardaniæ.* Quasi dies noster per quem certi eramus de luce, id est, de vita; tanquam occiso Hectore omnes se extinctos credant. *Serv.*

288. *Gemitus.* Nec enim parvus dolor est, viro forti fortem virum fugam suadere: et notandum omnes suasoriæ partes hoc loco contineri. *Serv.*

289. *Fuge, nate Dea.* — Propositio est. *Serv.* — *Heu fuge.* Viro forti fugam suadet, quam non suaderet, si superesset aliquid, cui

et ait *his*, ut indicet jam instare flammas; et est tacita ratio, cur nullum exordium assumpserit.

290. Vide quam magna brevissime complectatur. Flammæ urbem cingunt, hostis muros habet, ruit Troja. Quæ potuit majora nuntiare, diriora, atrociora?

291. Apta hæc ad hortandam fugam: calamitas hæc tota est fatalis; ne ergo quidpiam molire in defensionem patriæ, tantum fuge: quid enim, o Ænea, contra fata tu poteris? diem hunc fata dederunt patriæ et Priamo, pro limite: addit; *si Pergama*, etc. Perinde ac si dicat: si Troja defendi potuisset contra vim fatorum alicujus dextera, certe tua, o Ænea, et *mea etiam hac*. Hæc mens Servii, quem nugari aiunt aliqui; nescio cur. Sane Virgilius in hoc opere perstudiosus est Æneæ propter Augustum, qui ab illo originem ducebat; et ideo nihil vult ab Æneæ gloria detractum; et quum se offert occasio, illum participem facit Hectoreæ virtutis, ut infra in Æneid. XI, 288;

> *Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,*
> *Hectoris Æneæque manu victoria Graium*
> *Hæsit.*

Qui locus similis huic, quem habeo in manibus. Mœnia, inquit, defendebantur manu Hectoris et Æneæ; ita hic, si Pergama possent defendi, defenderentur et tua, o Ænea, et mea etiam. Hæc pro defensione Servii.

293. In hoc versu Æneæ virtus commendatur, quasi nemini justius commendari numina, quam illi, queant, et una ea-

posset subveniri. Mox subnectit, causam, quæ omnem vim desperationis continet. *Donat.*

290. *A culmine.* Vel a dignitate sua, vel vere *culmine*, id est, a tectis suis: et ideo *culmina* dicta sunt tecta, quia veteres de culmo ædificia contegebant. *Serv.*

291. *Sat patriæ Priamoque datum.* Ecce et hoc honestum, nam contra fata venire, constat, neminem posse. Ergo, *Sat patriæ Priamoque datum*, vel regnasse; vel sat pro patria, id est, Priamo militasse. *Serv.*

293. *Tibi.* Merito *tibi*, quod religiosus es et pius. — *Commendat Troja Penates.* Ecce iterum a necessario, nam sacrilegium est non liberare commendatos penates: et non *Ego*, sed *Troja*, ut videatur patriæ præstare, quod fugiat. *Serv.* Non est ergo flagitium quod fugiat, quum patria suos deos fuga liberandos velit. Nimium etiam religiosum probare voluit, quum ipsis religionibus conservandis sit aptissimus, aut etiam diis potiorem. Nullus enim commendatur inferiori. De his diis meminit in themate: «Inferretque deos Latio.» Omni ergo culpa vacat fugiturus,

demque sint fata Æneæ, et Deorum comitum : in illis *his mœnia quære*, potest esse duplex sententia, ut *his* sit casus sextus, id est, una cum his, quod Græci σὺν θεοῖς; vel, ut sit tertius casus, nam Æneas non tam sibi, quam Diis urbem struxit. *Magna mœnia* Lavinia sunt, ut in III Æn. 159; *tu mœnia magnis Magna para* : Æneas enim Lavinium condidit.

296. Hoc dicto visus est Hector educere ex templi penitissimis adytis vittas, Vestam, immortalem ignem, et hæc tradere de manu sua in manum Æneæ : sed non secum per auras, et quasi *Trojam e terra cum sacris auferre*, ut male censuerunt nuper duo Gallicæ Academiæ clarissimi socii.

298. Verba mirifica ad signaudum primum illum luctum, qui simul in urbe erupit cognitis jam Græcorum insidiis! credibile enim sublatum ejulatum ab omni sexu, ætate, conditione; ideo *miscentur*, et *diverso luctu.*

299. Vocis iteratione terroris magnitudinem designat : ita vero magni erant sonitus, ita magnus armorum horror, ut distincte omnia et clare audirem in paternis ædibus, quamvis longe ab urbis commercio, interque arborum recessus, et secreto in loco.

302. Hi clari sonitus, hic ingruens armorum horror abrumpunt subito Æneæ somnos, illumque lecto excutiunt; ac statim festinus pergit ad summas ædium partes, ut attentius audiat clamorem, ut latius videat quæ geruntur. Nota illud *ascensu supero*, quod in re obvia non obvium : quæsitum enim *superare ascensu* pro ascendere.

si fugam suadet imago viri fortis : et patria concedit fugam, et deorum sacrorumque societas. *Donat.* — *Penates.* Id est, Deos Trojanos, quibus Romæ ædes post exstructa est in Velia, in colle Palatino.

296. *Vestamque.* De Vesta atque igne inexstincto videatur Cælius Rhod. Antiq. Lect. XV, 14.

297. *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.* Quod in templo Vestæ ignis æternus est : ecce ipse exposuit, quid sit Vesta. *Serv.* De Penatib. Pallad. et Vesta, vide Excurs. IX, vol. II, pag. 337—344.

298. *Diverso interea.* Hæc est proœconomia : est enim Æneam non fuisse proditorem, sed propter longinquitatem domus, et tarde bella cognovisse, et facilius evitasse discrimen. *Serv.*

300. *Recessit.* A frequentia se removit; et est speciosa translatio, quoties rei mobilis ad immobilem, vel e contra transfertur officium. *Serv.*

302. *Excutior somno.* Ut appareat terroris esse, non satietatis : clamoribus et sonitu interruptus est, ut non ipse somnum excuteret, sed somnus ipsum. *Serv.*

303. *Arrectis auribus.* Translatio ab animalibus, quæ ad omnem sonum erigunt aures. *Serv.*

304. Græcorum furorem, et pervagantem ubique cædem duplici comparatione extollit ignis et aquarum, quod utrumque vehemens: quam enim non calamitatem concipies per *flammam incidentem*, *Austros furentes*, *torrentem rapidum*, *flumen montanum*, *vastitatem agrorum*, *sylvas præcipites?* inde ad finem, rei pæne tragice descriptæ additur stupor pastoris epiphonematis loco; quo stupore res præcedens, quæ maxima, major redditur. Referenda hæc ad Æneam: sicuti pastor e monte audiens sonantis fluvii strepitum, stupet; sic Æneas ad diversos luctus, clamoresque horrendos, præsertim ignarus causæ.

309. Quales Græci essent, quam infami fide, tum demum apparuit: non jam conjecturis, aut divinando assequebatur illorum dolos; fraudem prodebat flamma, et Troja ardens undique; et patescunt quidem insidiæ lucente igne; dolus ad lucem deprehenditur. Sequuntur argumenta quinque hujus sententiæ: patuerunt Græcorum insidiæ; nam domus Deiphobi absumpta est incendio; arsit illi proxima domus Ucalegontis; reluxerunt Sigæa freta; hæc ab oculis: duo ab auribus, clamor hominum, clangor tubarum.

314. Ex visis sibi, atque auditis in id tandem erumpit consilium, ut arma capiat contra hostes; quæ summa fuit amentia: tum enim quid ipse opis ferre possit? Audiverat ab Hectore, *Heu fuge, nate Dea:* fuga nunc opportunior; non arma, a quibus nulla salus speranda: ideo addit, *nec sat rationis in armis.* Laudabat Jovianus collocationem hanc hiulcam, *arma amens*, hoc loco opportunam ad signandos Æneæ terrores, et vagos errores mentis: eamdem laudat Cæsar Scaliger; nam explicatur Æneæ anhelitus in iterata vocalis vastitate.

315. In illo æstu curarum quum esset, et amens, subito menti consilium adfuit; ardebat colligere militem peragendo bello, et cum omnibus pariter ad arcem concurrere, ad Priami tutelam. Docemur obiter, quod munus boni civis in omni discrimine, cui ante omnia salus principis observari debet, ex cujus salute pendet cæterorum. Sequitur, *furor iraque mentem præcipitant:* est hæc ratio et excusatio superioris sententiæ: ardebat ire in arcem ad defensionem; sed hic purus

309. *Manifesta fides.* Non somnii, ut quidam volunt, sed fraudis Græcorum: nam ei hoc sequitur. — *Jam Deiphobi.* Quia ipse post mortem Paridis Helenam duxit uxorem: unde ei graviter Græcos constat esse iratos, de quo plenius in sexto narratur; 494. *Serv.*

furor, pura ira, quæ mentem rotabat : nam quid ipse faceret, tanta hostium multitudine affluente, flammis jam dominantibus, grassante undique et ubique cæde? Sed sistit tandem, firmatque errores mentis pulchra sententia, ut se hostibus objiciat, ut fortiter in bello cadat, quo nihil gloriosius : nam quid ipse mortuæ patriæ supervivat?

318. Hic primus omnium fuit Æneæ obvius; inde alii adjuncti, et exigua manus collecta ad inferendum nocumentum qualecumque Græcis : vide vero, ut omnia sint et plena affectuum, et indicia magnæ calamitatis, Panthus sacerdos, qui arci præest, qui templo Phœbi, fugit elapsus telis hostium, nullum habens præsidium in templo : fert manu *sacra*, ne una ardeant cum templo; fert *victos Deos;* quale hoc ad excitandum affectum! crescit hic ex nepotis comitatu. Finge ipse virum religione conspicuum, elapsum ex cæde et telis hostium, una cum parvo filio, nam reliqua contempsit præ sua et filii salute; ac simulacro aliquo religionis onustum, quod ex incendio eripuit; et videbis te ad commiserationem et pietatem inclinari. Hæc omnia, quidni hominem præcipitem ac pæne amentem faciant?

322. Mira brevitas multa supponit; exordium nullum; tantum de summa rogat. Vide ut explicem : quum sermones multi ultro citroque habentur, tandem rogari solet de summa rei : ergo, vice sermonum, qui hic nulli præcedunt, spectatur sacerdos fugiens, Deos secum ferens, et nepotem : his intelligit Æneas rem agi incommodissime : ideo rogat de re summa. Pergit : quam arcem ad defensionem habemus? nullam credo, quum tu inde fugias, Panthu.

323. Indicat gemitus, qualis futura responsio. De re summa, Ænea, rogas, nulla hæc nobis; tantum dies summa, et tempus, cui nequeas resistere etiam luctando. Fuimus, jam non sumus : nulli jam Trojani; nullum Ilium; nulla gloria. Sed

318. *Ecce autem.* Adventu Panthi spem conceptam arcis defendendæ amittit. At ille non metu hostili deterritus erat, ut non ferret secum quicquid deorum in arce colebatur. Portabat enim sacra, et deos victos, ut ostenderet humanum auxilium adversus eam vim non fuisse necessarium, cui ipsi dii resistere non potuerant. *Donat.*

322. *Quo res summa loco, Panthu.* Respublica, id est, universus status quo loco positus : et bene civis utilis, de Repub primum sollicitus est, sed hoc totum admirantis est, non interrogantis : et *Panthu* vocativus est Græcus. *Serv.* Græca crasis, Πάνθοε, Πανθοῦ.

324. *Venit summa dies.* Hunc locum Macrobius V, 1, copiosissime

quidem nulla in nobis culpa residet; ferus est Jupiter, et immitis; ille rem nostram transtulit in hostium potestatem: dominantur Græci in incensa urbe. *Hic pietatis honos!*

328. Qui exitium et summam diem esse dixerat, narrat jam qui exitium istud geratur, adducitque notas quatuor extremæ calamitatis. Equus armatos e ventre fundit; Sinon miscet incendia; portas alii irrumpunt; vias Trojæ alii cum gladiis obsident. Amplificat quatuor ista ad terrorem verbis maximis, et plenis formidine. Primum ex equo, qui *arduus*, qui *astans*, qui *fundit*, quo copiam armatorum intelligat, et *mediis in mœnibus*, ut signet hærere intus malum. Alterum ex Sinone, qui *victor*, et *insultans*. Tertium ex ingenti numero, nam *millia*. Quartum ex signatis ad terrorem verbis; audis enim et legis *ferrum*, *aciem*, *mucronem*, *strictionem*, *coruscationem*, quæ omnia speciem exhibent multorum militum, qui vias obsident cum gladiis cruentis, evaginatis, prætensisque cuspidibus, ex quibus fulgor ad horrorem. Quæ autem vis contra hanc vim? Nulla pæne: nam *vix vigiles tentant prælia*, adeo omnia desperata! *vix resistunt cæco Marte*, id est, tenebricoso bello; adeo omnia victa jam et prostrata!

336. Dicta hæc ad Æneæ commendationem, cui nullam adducunt formidinem, quæ proponit sacerdos longo et formidando verborum ambitu: quin potius tunc vir fortis ferocius ruit in incendia et gladios, quo illum vocant Furia, fremitus, clamor. In extremo trium versuum nota syllabas præcipitatas, rotatas, volantes; quo capias Æneæ impetum.

339. Narrat eos qui obvii facti Æneæ, quinque in modicum agmen conjuncti; eo certe clarius facinus in Græcis adoriendis,

orationis citavit exemplum: quis enim fons, inqnit, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot Maro verbis hic inundavit? *Taubm.*

326. *Ferus Juppiter.* Summæ necessitatis est, qnoniam qunm esset sacerdos, in convitia ruit deorum: quod servat Virgilius, ne unquam tradat Æneæ. *Serv.*

330. *Insultans.* Non dicit illis Græcos insultare, sed Sinonem, qni illis muros patefecerat dolis: et *insultare* est in alienum dolorem gaudere; *exultare* vero gaudere. *S*

339. *Addunt se socios.* Non dixit, quæro socios; sed *addunt se*, ut ipse ab illis videatur esse quæsitus. *Serv.* — Ne narratio multorum nominum, ex similitudine fiat odiosa, hanc mirifice distinguit interpositione verborum. *Donat.*

340. *Oblati per lunam.* Agniti per Lunæ splendorem. *Serv.* Nam principium hujus noctis Luna caruit; ideo *silentia tacitæ lunæ*, quæ deinde orta est, et ad cujus splendorem præcipue armati bellatores dignosci possunt.

quo magis exigua manus. Quinque numerat, et sistit in Corœbo, de quo præclara et illustris mentio, quia gener Priami: dicit, quo patre natus fuerit, videlicet Mygdone: deinde quo tempore Trojam venerit; illo nimirum, quod proximum ad hanc ruinam: tertio, qua causa, ut Cassandram duceret: quarto, quid tum faceret; ferebat gener auxilium socero, quod pium et debitum. *Infelix!* Debita conquestio; quid enim dignum magis miseratione, quam mori juvenem, ante nuptialem thalamum, in ipso nubendi ardore?

347. Percurram hos octo versus unico tractu. Sciat primum Lector, illorum structuram esse perplexam, confusam, turbidam, utique ἀσύστατον, respondentemque omnino affectui, qui erat in Ænea: rapitur ille incensus ad flammas, furibundus ad arma, cui nihil pensi de salute: nihil ergo mirum turbata sint verba, et sententia: sed quæ hæc tandem? *Quos ubi vidi confertos audere in prœlia, incipio his super*, id est, incipio his verbis. Est autem *super* hic insuper, quia jam ipsi audebant, et ego insuper animos addidi; inde postea sequitur, *furor additus*. Pergit Æneas; *juvenes, pectora firmissima, videtis, quæ sit fortuna rebus* nostris; itaque frustra *succurritis urbi incensæ*, a qua præsertim *Dii, quibus hoc imperium steterat, omnes excessere, relictis adytis atque aris*. Quare, *si cupido certa est vobis sequi*, me *audentem extrema, moriamur et ruamus in arma media* (sermo hysterologicus, pro, *ruamus*, ut *moriamur*); nam quid aliud sperandum ab urbe, in qua non jam Dii? Hanc vagam animi mentem firmat solida sententia; *una salus est victis, sperare salutem nullam*. Est scopus hujus orationis concitare milites, non ad ferendum auxilium patriæ, nam cujus auxilii illa capax, quæ jam incensa? sed tantum ad fortem et virilem mortem: ideo initio, vos fortes estis, sed frus-

341. *Corœbus Mygdonides.* Hic filius Mygdonis et Anaximenæ fuit: ergo nomen patronymicum; nam si gentis esset, *Mygdonius* diceretur: nullius enim gentis nomen in *des* exit. *Serv.* Vide Excursum X, de Corœbo, tom. II, p. 344.

345. *Infelix.* Quem mox manebat interitus, vel infelix causæ suæ, vel qui sponsam non audierat. — *Furentis.* Vaticinantis. *Serv.*

351. *Excessere.* Quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia. Inde est, quod Romani celatum esse voluerunt, in cujus dei tutela Urbs Roma sit, et jure Pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint.

354. *Una salus victis, nullam sperare salutem.* Plerumque desperatione robur augetur, ut Statius: « Est ubi dat vires nimius timor. »

tra fortes; nam frustra succurritis urbi, quæ jam incendio data præda consumitur.

355. Ardebant jam ipsi; sed oratione Æneæ facti sunt concitatiores; ideo *furor additus:* sequitur comparatio apta ad rem. Lupi ferociores sunt, quum et ipsi fame, verius ventris rabie, agitantur; et quum eorum catuli sicco sunt ore, ac jejuni, tunc enim magno furore ad prædam convolant: tales Trojani, ut qui pro se pugnabant, et pro liberis; in hoc enim vis tota comparationis. Sed sunt etiam alia, quæ ad idem pertinent: nam quia Trojani e domibus exeunt pugnaturi, ideo lupi dicuntur exigi e suis lustris; quia bellum hoc nocturnum fuit, ideo *atra in nebula:* adeo omnia videt Maro!

361. Incipit Æneas narrare, quæ ipse viderit facinora; cædes; vim; atque adeo deinceps luculentior est, et uberior sermo de Trojana calamitate: hactenus enim narrata tantum, quæ vel in somnis nunciata ab Hectore, vel per summam audita a Pantheo. Initio sermonis apta est ad conquestionem exclamatio, quam adjuvat repetitio, redditque acriorem.

363. Mira brevitas, et aliis jam expensa: nihil potuit grandius dicere, et nihil dixit brevius.

364. Dilatat cladem, primo a multitudine cæsorum; nam *sternuntur plurima corpora:* obiter nota elegantem periphrasin cadaverum. Quid enim est cadaver, nisi corpus iners, et jam stratum? Dilatat deinde a locis; nam nullæ viæ, nullæ domus, nulla templa immunia tantæ cladis. Est in his omnibus *αὔξησις* elegans. Ruere urbem, magnum et dirum: sterni cives, majus et dirius: versari cladem in ipsis templis; hoc maximum, et dirissimum. Dictum vero hoc procul dubio ad invidiam Græcorum, qui ne templis quidem parcerent.

366. Non sibi desunt in hac re Trojani; ut possunt, pugnant. Dictum hoc ad dignitatem Æneæ, qui, qua rueret cum

Item scimus mortem captivitatis esse remedium. Hoc ergo suadet, ut aut desperatione vincant, aut vitetur morte captivitas. *Serv.* — Ita suos Æneas, ut apud Justinum Leonidas II, 12, suos firmabat, « ut ire se parato ad moriendum animo scirent et meminissent, qualitercunque prælientibus cadendum esse. » Tale quibus sedet consilium, et quisquis ita contemsit suam vitam, is alienæ dominus est, teste Seneca Epist. IV.

361. *Quis.* Etiam Græcorum: ut, « quis talia fando. » Et bene interrupta narratione exclamavit, ut affectum moveret. *Serv.*

363. *Urbs antiqua.* Vel nobilis: vel quia duobus millibus octingentis annis regnasse affirmatur: et quod sit *antiqua*, ipse subjunxit, « Multos dominata per annos. »

parva illa manu, stragem edebat: in verbis acumen duplex, *virtus redit victis, victores cadunt*: nihil enim magis alienum a victis, quam virtus; et a victoribus, quam cadere; nam qui in acie cadit, non victor: et quia tam victores quam victi cadebant, id est, tam Græci quam Trojani, ideo sequitur *ubique luctus; ubique pavor; ubique plurima imago mortis.*

370. Narratio hujus excidii postulat, ut successibus discriminetur; tum ad varietatem, sine qua omnis narratio insipida; tum etiam ad fidem faciendam, quæ plurimum pendet ex distincta rerum descriptione, et peculiaribus successibus. Inde multa illata in hoc libro; et primum omnium successus Androgei, qui magno globo militum stipatus amice Ænean compellat ad rem gerendam, putans scilicet illum, et parvam illam, quæ cum illo erat, manum, esse Græcos.

373. Admonet, ut festinent: nam cur sint segnes, et seri, quum alii jam rapiant Ilium, secumque auferant, quasi dicat: crimen est, vos nunc primum venire a navibus, quum alii jam redeant ad easdem pleni spoliis. Acumen est in verbis; primum ire dicuntur, qui sunt postremi.

376. Vix hæc dixit, quum statim sensit incidisse in hostes, quia nihil illi locuti ad gustum, nec satis fide. Primo itaque *obstupuit*, ut par erat hominem ita insigniter deceptum, deinde et vocem et pedes continuit; vividius poeta *repressit.*

379. Adducit comparationem negotio mire congruentem: contingit sæpissime, uti viator serpentem terat, latentem inter senticeta, ignarus scilicet; qui tamen trepidus statim refugit, simul ac coluber orbes explicat, caput attollit iracunde, et tumet toto collo: non aliter Androgeus pedem præ stupore retulit.

383. Irruunt statim Trojani, ne abiret, qui fugam cœptabat; armis opprimunt, et sternunt tam illum quam socios: cædis facile succedentis duplex ratio, erant enim et locorum ignari et capti formidine.

386. Præclare hæc oratio datur juveni Corœbo juveniliter

Sane hoc dolentis est, non narrantis. *Serv.*

368. *Victoresque cadunt Danai.* Generaliter dixit *victores*, et ad fortunam partis retulit, quæ vincebat, neque enim victores erant, qui cadebant. *Serv.*

377. *Fida satis.* Bene addidit *fida*, ut ostenderet symbolum, quo utebantur in bello: ergo non dixit *fidelia*, sed quæ ad fidem habendam pellicere non possent. *Serv.* — Hunc locum et sententiam imitatus est Statius, Thebaid. lib. II, 535.

exultanti, non Æneæ, non alteri ducum, in quibus scientia rei militaris: ad hæc, hoc sermone doli adstruuntur, qui indigni Æneæ: tertio consilium hoc præceps fuit, et male cordatum: recidit enim postea in ipsos auctores. His omnibus jure ista oratio Corœbo tribuitur, cujus fatuitas in proverbium etiam abiit.

387. Ad mutanda arma, et struendas insidias hortari quum velit socios, ab honesto rem gerit, videlicet ab occasione ultro oblata, non quæsita, et ab favente fortuna.

389. Consilium Corœbi est, ut mortuis detrahantur arma, clypei, galeæ, jubæ, et reliqua insignia, atque adeo incogniti Græcos cædant; occurritque per prolepsin objectioni; nam nihil turpe, ubi legitimus est hostis.

391. Persuasio a facili: si Servium tamen, et alios sequaris, alia erit sententia, hæc videlicet: *Arma? ipsi dabunt.* Quæ oratio est hominis perturbati, et respondentis sui ipsius interrogationibus: vix hæc Corœbus, quum exemplo voluit præire, ut non solum verbo hortaretur. Tria sibi aptavit, quæ præcipua in milite, galeam, clypeum, ensem: inde alii sequuntur, *Hoc Ripheus*, etc. ubi tamen nulla mentio Æneæ ad decorum tanti ducis: neque enim ubi res fraude geritur, is nominatur, qui sæpe in hoc opere repræsentat Augustum.

396. Indicantur varii conflictus et minuta prælia, quibus pugnatum a paucis Trojanis; immisti enim Danais, et tum armorum similitudine, tum, quia per cæcam noctem, non cogniti, multa passim prælia conserebant; adhibeturque triplex effectus Trojanæ virtutis: nam, aut occiduntur Græci, aut confugiunt ad naves, aut petunt latebras equi. In his recensendis Trojana gloria cernitur, et Græca indignitas; nam *demitti in orcum, diffugere, turpis formido*, indigna omnia.

402. Præclare sententia hæc interponitur in ipsa narratione: exultabant successu Trojani post interfectum Androgeon, quum subito illis objicitur deforme spectaculum Cassandræ regiæ virginis, quo fœdatus cursus illius victoriolæ: ait ergo cum dolore, neminem posse confidere boni aliquid Diis invitis, atque abnuentibus.

403. Hanc partem raptæ Cassandræ ita vivide exprimit, ut

403. *Ecce trahebatur.* Bene dissimulavit de stupro Cassandræ. *Serv.* — *Ecce.* Id est, dum bene ac prospere nostra certamina procederent, repente apparuit, quod multiplici indignitate et scelere, nostros actus turbaret. Trahebatur per publicum, quam paterno

maximam conquestionem moveat, et lacrymas eliciat, ab invitis etiam. Ergo excitatur affectus a conditione; nam regia virgo, filia Priami, et deinde Cassandra, hoc est, vates Apollinis, et plena numine, tam dirum malum patitur: a loco; nam rapitur a templo, et Minervæ adytis, ad quæ confugerat; hic jam spernitur religio: a modo; nam *trahitur*, quod indignum, qua voce captivitas innuitur, et *passis crinibus*, ac *vinctis manibus*, quæ *teneræ;* cui insuper *flagrantes oculi sublati ad cælum*. Quæ hæc species! Quid si rationem addas? Tollebat, ait, tantum oculos; nam manus non poterat, ut illigatas funibus. Tollebat vero oculos ad cælum *frustra:* quid hac re miserius? est enim infelicissimum vexari contumeliose a mortalibus, neque opis aliquid adesse a cælo.

407. Qualis hinc exsurgit affectus in amante juvene! inde ad mortem ruit in medios hostes; atque omnes simul, nam hoc est cuncti, ad necem advolant; nec terrentur densissimis hostium armis.

410. Cessit dolus infeliciter Trojanis; nam qui erant in summo templo Minervæ, unde extracta est Cassandra, decepti facie insignium Græcorum, in suos, ut in hostes, tela omnia conjiciunt: inde nullo discrimine miserabilis cædes exorta: est *telum* quicquid eminus jacitur. Per faciem armorum intellige εἶδος ὅπλων; nam videlicet decepti *specie* Trojani sunt.

413. In conflictu isto Trojani victores fuerunt: inde Græci ægri amissa præda, et avidi recuperandæ invadunt; multi undique collecti. Tu hic deforme spectaculum considera, cædes mutuas, clamores dissonos; et reputa tam turbidi prælii prædam esse unicam virginem, quam hinc inde Trojani, et Græci certabant rapere.

416. Comparatio a ventis, qui quum adversi pugnant, acriter pugnant: estque duplex effectus hujus certaminis ventorum, videlicet agitatio sylvarum, et maris: illæ strident; hoc movetur ex fundo imo, sæviente Nereo cum tridente.

merito, ac suo, non nisi cum honestis quidem officiis multorum decuit efferri. *Donat.* — De Cassandra raptata, legendus est Excursus X* tom. II, pag. 345.

411. *Oritur.* Quasi aliud initium calamitatis. — *Cædes.* Non prælium. — *Miserrima.* Quia inter cives infando errore deceptos. *Serv.*

416. *Adversi.* Contrariis e partibus flantes: unde et sævior turbatio existit in pelago. Examinat autem hanc comparationem J. C. Scaliger V, 3, ad Homericam Iliad. IX; et in ea Homerum pro discipulo, Virgilium pro magistro laudat: quem, quæso te, vide. *T.* — Hanc pariter laudibus exornat Servius.

420. Narrat jam quemadmodum concursus factus fuerit in eumdem illum locum a Græcis illis, qui fugati per urbem fuerant Trojana fraude: isti primi omnium agnoscunt fraudem, tela mentita, clypeos non Trojanos: præterea *signant*, id est, notant atque animadvertunt *ora discordia;* alia enim arma, alia corda gerebant: animadvertunt vero ora esse discordia ab armis *sono ipso:* quod referendum vel ad tesseras militares, vel ad locutionem et linguam; aliter enim Trojani, aliter Græci loquebantur.

424. Attingit jam infelicem exitum fraudis Trojanæ, edita miserabili strage, in qua enarranda ita poeta studiosus est pro Trojanis, ut Græcos adducat in omnem invidiam; tanquam qui nullam rationem habuerint recti et justi, sed provecti fuerint in omne nefas, et in religionis ac virtutis ludibrium, per summam temeritatem et dementiam: sic Corœbus cadit, qui confugerat ad aram Palladis: Ripheus, qui justissimus, et æqui servantissimus: Panthus, qui sacerdos Apollinis. Vide vero apostrophen plenam conquestionis, qua excitatur misericordia in Trojanos, odium in Græcos, indignatio in Deos.

431. Hac ecbasi animum paulum avocat a sæva clade, ut amorem suum erga patriam indicet, quo mori sæpius pro illa voluit, devovens se periculis, nec ulli parcens occasioni, aut pugnandi, aut moriendi, sed fata aliter destinarunt; nam, in tam acri pugna cædiumque prodiga, nusquam mortem invenit: quo verius credatur, extinctam patriam testatur, conversamque in cineres; tum etiam exitialem illam flammam, qua Troja arsit. Itaque ille nullam occasionem cadendi aufugit; fata illum servarunt; præ audacia meruit occumbere. Pergit; *divellimur inde*, etc. Ex numero illo coalito et parva manu tres

424. *Ilicet.* Confestim, mox: sed apud veteres significabat, *actum est.* Olim enim Judex, si dare finem agendis rebus voluisset, per præconem dicebat *Ilicet;* hoc est, *ire licet:* id est, acta et finita res est.

431. *Iliaci cineres.* Quia videbat vel crimini, vel esse posse dedecori, quod tot tantisque cadentibus evaserit, jurandi religionem ultro ante objectum, quod metuebat, opposuit: habet enim majorem fidem, si ante quam exigatur, offertur: habet et bonæ conscientiæ firmum testimonium, non exorta, sed oblata purgatio. *Donat.*

434. *Meruisse.* Id est, fortiter dimicasse: hi enim merentur occidi. — *Divellimur.* Inviti, necessitate adacti impellimur abire: ostendit autem meruisse manu mori, quum prius cum paucis, nunc vero solus pugnaret. *Don.* — Sic censuerunt Servius, et Turnebus XI, 19.

tantum fuerunt superstites, Æneas, Iphitus, Pelias. Primus servatus Deorum voluntate; alter ævo grandior; tertius tardatus vulnere, quod accepit ab Ulysse.

437. Divulsi a templo Minervæ, pergunt ad Regiam Priami, vocati clamore oppugnantium propugnantiumque pro illa: adeo ille magnus, ut longissime exaudiretur, quod mirum in tanto pugnandi ardore, sonantibus ad aures vicinis gladiis, et flammis horrendum crepitantibus: ibi vero adeo ingens pugna, ut nihil cum ea posses conferre in reliqua civitate: ibi Mars indomitus; eo fervidi ruebant Græci; ibi obsessum limen militari testudine.

442. Constituit ante oculos vivam imaginem oppugnatæ regiæ: quippe oppugnatores, qui per scalas ascendunt, proteguntur clypeis, quos gestant sinistris manibus ad excipienda missilia; dextris contra prensant summa, hærentque.

445. An aliquid morte et extrema necessitate potentius? hac instante, omne opis genus advocatur: turres ipsæ, et valida alioqui propugnacula diruuntur, ut præsenti fato occurratur. Hæc procul dubio mens poetæ, nimirum everti ad salutem, quæ saluti quoque necessaria erant: prætcrea diruunt omnia, *extrema jam in morte;* nam cui illa reservarent?

448. Superiora ad salutem pertinuerunt: jam hic alia est ratio ad maximam doloris significationem. En quid potest necessitas (libens hanc vocem pro morte usurpo, quæ Tacito frequentissima) qua instante diruuntur, quæ ornamento sunt et dignitati; quæque facta ad jactantiam et ostentationem.

449. Regiæ ergo defensio bipartita: alii in summo turres convellunt, et convulsas devolvunt: in imo alii præsidio sunt foribus, ubi assistunt nudis mucronibus, et denso agmine, ut rem gerant, si hostes irrumpant. Hi enim sunt, de quibus poeta infra, patefactis jam portis, *Armatosque vident stantes in limine primo.*

451. Innuitur propugnatores defecisse a virtute; nam instaurati, id est, renovati animi Æneæ ad succurrendum tectis, ad levandos viros auxilio, ad addendam vim victis. In verbo *instaurati* considera magnum ducem Æneam. Trojani alii, aut cadunt, aut resistunt suo quisque loco: hic unus totam urbem pervolitat; et a conflictu templi Minervæ, unde ex-

442. *Hærent parietibus.* Quod illæ, quæ feruntur ad pugnam, clavos habeant, vel uncos, et figantur, ideo hærent. *Serv.* — *Scalæ.* Non solum quia in plurali declinantur, sed quia plures essent. *Donat.*

tracta est Cassandra, quo labore alius defecisset, se parat ad novam defensionem regiæ; ac tanto abest, ut deficiat, ut etiam novas vires capiat, semper alacris, semper paratus.

453. Explicat, unde habuerit aditum ad regiam, quum hæc obsessa, occurrens προληπτικῶς objecto : per *cæcas fores* intelligit pseudothyrum : *postes relictos*, relictum spatium relictum, quum domus ædificaretur, ubi ostium fieret : per *usum pervium inter se*, ædes Priami et Hectoris non discretas, qua facta consideratione, tecta bene dicuntur esse pervia, non ita bene, si diversæ sint ædes. Explicat postea quam ad rem fuerit iste usus pervius, ut videlicet per eas fores ferret se Andromache cum parvo filio, quem manu trahebat, ad soceros, ut illis nepotem exosculandum daret, qua una re, perfundi ingenti lætitia avi solent.

458. Ergo per pseudothyrum viam invenit Æneas, et ascendit ad fastigium regiæ. Dicta omnia cum emphasi; nam *miseri*, et *irrita*, et *jactabant :* quibus ostentatio quædam defensionis, non vera defensio indicatur, mera utique jactantia.

460. In versibus qui sequuntur, docet me Virgilius, qui debeam similes narrationes exornare circumstantiis, affectibus, aliisque, ne illæ insipidæ sint et inefficaces; sed vigentes, acres, vividæ. Placet itaque latius quam soleo, versus istos expendere. Ergo hanc turris convulsionem præcedit locus, ubi sita; stabat enim in præcipiti : altitudo; nam educta summis tectis usque ad astra, ὑπερβολικῶς : usus; nam inde Troja omnis solebat conspici, Græcorum naves, et castra. Hoc habito, signatur instrumentum, quo convulsa, videlicet ferro : deinde pars illa, qua vis facta, scilicet, tabulata summa dabant juncturas labantes, id est, faciles jam ad solutionem, sic enim facilius negotium : demum convellitur sedibus; impellitur in hostes; edit sonitum; trahit ruinam; incidit in

454. *Tectorum inter se Priami.* Per quod iter ad utramque domum Priami commeabatur; ut appareat duas domos fuisse, alteram regiam Priami, alteram Hectoris, inter quas illi aditus. *Serv.*

455. *Infelix.* Non quum regna manebant, sed ad præsens retulit tempus, quo marito viduata, mox in servitutem ventura natum lugebit interfectum, quia fatis prædictum fuerat, Astyanacta, si supervixisset, ultorem patriæ et parentum futurum.

462. *Solitæ naves.* Participium est sine verbi origine : *soleo* enim neutrale est : quod caret præterito. *Serv.*

465. *Inpulimusque.* Quidam notant, quod non sit expressum, ubi stantes summum tectum impulerint. *Serv.* — Hic junctura litera-

militum agmina. Quæ hæc diversarum rerum imago. Hæc præcipua sunt: sed adhuc adjice res duas; primo laborem in evertendo, deinde affectus magnos: laborem; nam omnes aggrediuntur, et funduntur circum, operam partiti, omnes convellunt, omnes impellunt: quantus hic sudor! affectus; nam turris ea concidit, quæ ipsi regiæ præsidium, quæ spectanda altitudine, fundamentis firmissima, Regibus et uni Priamo frequentata, unde ille spectare urbem suam solebat, naves, hostes; demum convellitur non ab hostibus, sed ab ipsismet Trojanis, qui opes suas diruunt, præsidia evertunt: quid his miserius? Est in fine, *ast alii subeunt*, etc. quo unice repræsentatur militaris ardor: non enim terrentur Græci; nam tot suorum millibus sepultis, tanquam nihil illis simile possit accidere, ascendunt supra præcipitatam turrim, gloriosi quum se videant lucratos spatium aliquod, altiores a terra, et fastigio Regiæ propiores: demum expende recte istum conatum et ardorem induci, quia scilicet homines evertunt. Laudo itaque Nonnum qui lib. II, Jovem inducit evertentem scopulos modico tantum flatu, Ζεὺς ὀλίγον φύσησε.

469. Maximum facinus apertæ regiæ, ac perinde expugnatæ, nulli potuit melius attribuere, quam Pyrrho propter paternas inimicitias et ultionem: in hoc vero explicat ardorem, et animi et armorum: animi; nam *ante ipsum vestibulum*, et *primo in limine*, et quidem exultabundus: armorum; nam totus coruscabat *telis*, *et luce ahena*, id est, luce ahena telorum, est enim ἓν διὰ δυοῖν.

471. Apta comparatio ad explicandam tum ferocitatem Pyrrhi, tum lucem armorum: nam anguis, senecta posita, tum ferocior est, tum nitidior. Comparationem ita digerit: talis est Pyrrhus, qualis coluber, qui, per hyemis frigora, sub terris interioribus veneno tumens latuerat; et qui, adventante vere, in lucem exit; quique herbas noxias pastus, exuvias

rum, et pedes ipsi, qui dactyli sunt, ita repræsentant ruinam turris impulsæ, ut poeta videatur celeritate numerorum ipsam ruinam antevertere voluisse.

469. *Vestibulum*. *Vestibulum* est prima janua: dictum, vel quia januam vestiat; ut dicimus cameram duabus sustentatam columnis: vel quoniam Vestæ consecratum est: unde nubentes puellæ limen non tangunt. *Serv.*

471. *Qualis ubi*. Hanc comparationem expendit Scal. V, 3; deque versuum horum venustate in genere magniloquo agit, IV, 6. *Taub.*

473. *Exuviis*. Bene *corium* quo serpens exuitur *exuvias* dixit. Græci appellant λεβηρίδα: modo noster Georg. III, 437. — *Nitidusque ju-*

ponit; juventutem recuperat, convolvit terga; attollit pectus ad solem; micat lingua; hanc, ex velocitate motus, triplicem vocat ac trisulcam; ideo signatius, *linguis*.

476. Adjungit comites Pyrrhi, et omnes cum elogio : aderat illi una *Periphas*, qui *ingens :* deinde *Automedon*, qui *Achillis armiger*, ejusque *equorum agitator :* tertio, aderant Pyrrho, qui e Scyro insula illum in bello comitabantur : hos elogii loco *pubem vocat*, ad illorum audaciam signandam, roburque juventutis. Quid vero isti? *Succedunt tecto;* id est, per scalas parietibus innixas ascendunt ad tectum, ad regiæ fastigia; quo facto, *jactant flammas ad culmina*.

479. Quatuor hic fiunt a Pyrrho; rumpuntur limina; velluntur postes a cardine; cavatur robur portarum excisa inde trabe; aperitur ingens fenestra lato ore. Quo vero extremum clarius et illustrius sit, in tribus primis præcedit difficultas, quæ victa : limina enim sunt dura, postes ærati, robur firmum, ad hæc quam proprie limina dicuntur rumpi, postes velli, robur cavari! poeta e vulgo mire ineptiret, stante Pyrrho præ foribus, cum ingentibus animis, et militari ardore.

483. Cum affectu omnia : quale est videre regiam toti Asiæ formidandam, unde jura pacis bellique pendebant, in religione habitam, ut omnes regum veterum, subito unius noctis incursu labefactari, dirui, everti, et veluti profanam fieri, quum, quæ intus latebant, hostibus fierent manifesta! Qui stant armati in limine, sunt hi de quibus supra; *alii strictis mucronibus imas obsedere fores*.

486. Qui proxime viros laborantes constituit, stantesque in armis pro regia, jam fœminis gemitum, plangores, et clamorem attribuit : gemitum sequitur plangor, qui altior; hunc clamor, qui sonantior; ideo hic *ferit astra :* vocula *penitus* respondet τῷ *interior*.

venta. Novus; constat enim serpentes innovari virtute, pelle deposita. *Serv.*

477. *Armiger Automedon*. Pyrrhi armiger : nam Achillis auriga fuit. *Serv.* Cerda opinionem aliam secutus non dedit hunc Pyrrho, sed Achilli; Ruæus, Heynius et multi alii nodum haud solverunt.

480. *Vellit*. Non dejecit : nam sequitur paulo post : « Labat ariete crebro : » sed movet; ut; « Cynthius aurem vellit, et admonuit. » Vel certe vellere vult, ut : « Ipsumque trahunt in mœnia regem : » nam quare facit fenestram? *Serv.*

484. *Penetralia*. Ideo domorum secreta dicta, ab eo quod est penitus, aut a Penatibus. *Serv.* — *Veterum regum*. Ut ostenderet regnum Priamo a majoribus suis provenisse. Quantus autem dolor, ut

489. Ab gemitu, plangoribus, clamoribus, transit ad pavorem, quo trepidæ fœminæ occupant quæ possunt remedia, cassa omnia et frustranea; errant per ædes, adhærent postibus. Vere scripsit Tacitus III, hist. loquens de Vitellio, naturam pavoris esse, ut metuenti præsentia omnia displiceant, ad alia atque alia remedia occupanda : ita Virgilianæ fœminæ præ pavore huc et illuc errant.

491. Notant interpretes dicta hæc invidiose in Achillem, atque in Pyrrhum, quasi filius, nihil unquam nisi more patris violenter gesserit, et crudeliter. Adeo autem incubuit Pyrrhus, ut nulla res ejus impetum et impressionem sustinuerit. Sequitur *labat ariete*, etc. Ruina procedit ordine : supra vulsi tantum postes a cardinibus; jam ab iisdem emoti procumbunt : janua supra excavata est, et fenestra facta; jam hic cadit, addito novo machinamento, videlicet perpetua arietis pulsatione.

494. Ista omnia παθητικῶς : nam quæ hic carnificina custodum? quis ille armatorum globus irrueret in regiam? via ferro aperitur; rumpuntur aditus; trucidantur miseri; regia occupatur externo milite.

496. Apta comparatio : *non amnis furens cumulo sic fertur in arva, trahitque armenta cum stabulis per campos omnes, quum spumeus exiit aggeribus ruptis, evicitque gurgite moles oppositas.* Apta, inquam; nam amnis furens cumulo, Danai sunt : rupti aggeres, claustra regiæ fracta : moles oppositæ, custodes milites cum ferro : armenta, Trojani miseri : stabula, tota regia : spumans aqua, spumans cruor. Itaque qua licentia amnis furens ruit, trahit, rapit omnia; pari furore Græci : et signate poeta *amnis*, non fluvius, aut flumen : amnis ab circumnando dictus; *am* enim præpositio ab ἀμφὶ ducitur; et tunc amnis dicitur, quum varie errat tortis flexibus. Sic Græci non directo cursu regiam pervadunt, sed errant per totam regiam, atria, cubicula, explorantes omnia.

una nocte conciderit, quod per infinitos reges, multis etiam sæculis servatum fuerat? *Donat.*

491. *Vi patria.* Secundum fidem generis sui : ut, « Stirpis Achilleæ fastus. » Item de Hercule : « Salve vera Jovis proles. » *Serv.* — *Vi patria*, Non. Marc. hoc loco *fortitudinem* et *virtutem* significare docet.

496. *Non sic, aggeribus ruptis.* Vult ostendere gravius vastatam Trojam, quam agri fluviorum eruptione vastantur. — Fluminum multas fecit Homerus comparationes : noster semel tantum, illis omnibus anteponendam. Scalig. V, 3. *T.* — Hanc tamen ex Homero desumptam docet Macrob. Saturn. V, 5.

499. Ab initio ibi fuerat Neoptolemus, idem qui Pyrrhus; non Atridæ, ut ex superioribus liquet: sed quidem omnis moles belli ad regiam confluebat, ut ex qua directa victoria penderet.

501. Existimo quæsitam artificiose oppositionem ad excitandum affectum: videt enim Hecubam, nurus, senem Priamum, qui prius viderat Pyrrhum furentem cæde, et Atridas geminos: vide quantum distet ab horum furore illorum imbecillitas: ait *Neoptolemum cæde furentem*, alludens ad comparationem, *amnis fertur furens cumulo:* uterque enim furit, amnis cumulo, Græcus cæde: ait de Priamo, *sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat ignes:* quod nimirum, ait Turnebus, ad eam aram sacratus esset ignis pervigil ac perpetuus: hunc ignem fœdat Priamus suo sanguine, quia turbat maculatque; aut, si mavis, extinguit: inde jam dirum omen.

503. Vix capias affectum, ita eximius! ruinam thalamorum sequitur spes prolis et nepotum, quæ futura erat magna ex quinquaginta liberis: ergo spes quoque prolis ruit. Quid si adjungas emphasin, τὸ *illi*, ut dicat, ruunt thalami illi magnificentissimi, celebratissimi, superbissimi. Potest esse hæc vocula, vel in tertio casu cum relatione ad Priamum; ut dicat; erant illi Priamo quinquaginta thalami: vel in primo casu multitudinis, ut jam explicui; ut dicat, procubuere quinquaginta illi thalami.

504. Nihil reliquum fortuna fecit: ruunt postes ædium magnificentissimarum, superbi tum auro barbarico, tum spoliis devictarum gentium: demum eo res redacta est, ut multa igni conciderint, quibus vastatis, ignis perinde cessabat, sed non ideo malum; nam statim locum occupabant Danai, hostes sævissimi.

506. Jecerat jam semen sermonis hujus in calce libri primi,

499. *Vidi ipse furentem.* Ut: « Quæque ipse miserrima vidi »: sane *vidi ipse*, hac particula addita, miseriorem se ostendit, cujus ante oculos casus patriæ suorumque fortuna constiterat. *Serv.*

505. *Tenent Danai, qua deficit ignis.* Ignis potuit deficere, Danai non potuerunt. *Serv.* — *Qua deficit ignis.* Omnia occupaverat ignis; sed quum, rebus consumptis, ignis extingueretur, Danai occupabant ea loca, in quibus non dixit; non fuit ignis, sed jam deficiebat. *Don.*

506. *Forsitan et, Priami fuerint quæ fata, requiras.* Bene de Priamo obtulit narrationem, quia breviter perstrinxerat: « Priamumque per aras Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes. » Et bono usus est ordine; ut ante reipublicæ; post regis; inde privati,

ubi Dido rogitat de Priamo. Reginæ itaque ut satisfaciat, incipit narrationem de illo; neque enim, everso florentissimo imperio, fas præterire narrando imperii principem.

507. Habet hæc oratio incrementum ad excitandum affectum. Vidisse urbis suæ captæ ruinam et casum, Priamo grave fuit, atrox, sævum: convulsa limina tectorum, gravius, atrocius, sævius: atqui jam grassantem hostem in ipsismet penetralibus regiæ, hoc scilicet gravissimum, atrocissimum, sævissimum. Quod vero ejus consilium ab hoc spectaculo? *Senior circumdat humeris præ ævo trementibus arma diu desueta;* sed hoc *nequicquam;* deinde *ferro incingitur*, id est, gladio (ponit materiam pro toto composito) sed *inutiliter*, et unus quum esset, *fertur moriturus in hostes densos*. Plena omnia παθῶν: illud *hostem medium in penetralibus* esse potest, ὑπαλλαγῇ, pro hostem in mediis penetralibus.

512. Describitur ara Hercæi Jovis: erat hæc *in mediis ædibus:* erat sub dio; nam hoc est *sub axe nudo ætheris;* nam hic *axis* cælum est, ut lib. VIII Æneid. *gelidique sub ætheris axe;* et in IV *axem humero torquet*. Erat *juxta* aram *laurus;* et hæc ipsi *aræ incumbens:* et quia *veterrima*, in tantam magnitudinem excreverat, ut umbram satis multam præberet, qua magnam ædium partem complecteretur.

515. Ad hanc aram jam Hecuba confugerat, una cum illa

hoc est, sua fata narraret Æneas. De morte autem Priami varie lectum est. Vide Excursum XI, vol. II, p. 347.

507. *Urbis uti captæ casum*. Bene omnia collegit, et captam, et dirutam, et incensam. *Serv.* — Quum jam nihil esset reliqui de urbe regiaque sua, nullaque omnino spes restaret, statuit sapiens et forti animo rex, quacunque morte captivitatem fugere. *Donat.*

509. *Arma desueta*. Ab hominis consuetudine, sensum ad arma transtulit; quia jam pugnare desierant. — *Circumdat*. Non apte sibi cohærere facit: sed potius oneri sumit. — *Inutile ferrum*. Ipse inutilis: *ferrum* enim de his est, quæ ex conjunctis sumunt epitheta; ut *venenum*. Serv. — *Ac densos fertur moriturus in hostes*. Mavult mori cum gloria Priamus, quam pati servitutem, et captivus duci. Eurip. Hecub. Τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς, μέγας πόνος: *Vivere enim non honeste, ingens est labor*. Liv. lib. XXII; de Æmilio Consule, ad Cannas mortuo: « Qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit. »

513. *Veterrima*. Usurpatum est: ergo, ut supra diximus, hoc tantum uti, si necesse sit, licet: et comparativum non habet, sicut *deterior* positivum. *Serv.*

515. *Hic Hecuba*, etc. Ad aram confugiebant veteres in summo discrimine; ut infrà vs. 523. « Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes. » — *Nequicquam*. Aut se-

natæ, sed *nequicquam :* nam averso numine, amplexabantur Deorum simulacra : obiter comparationem adducit, quæ auget commiserationem et infelicitatem : vocem *condensæ* refero ad natas Hecubæ, non ad columbas, tametsi cum aliquo ad has respectu.

518. Primus versus habet pulchram oppositionem; nam *ipsum* ἐμφατικῶς est senem, cui opponuntur juvenilia arma. Ergo Hecuba, viso Priamo, *quæ mens tam dira,* etc. quibus illum a pugna dehortatur, adjungens crebro miros affectus : dehortatur vero primum ab adversante omine : nam *dira te mens impulit telis cingi*, quasi dicat; adverso et diro omine egrederis. Ideo *quo ruis?* quasi dicat; vere tu ruis, adversa te omina ad ruinam ducunt : deinde dehortatur ab impossibili, *Non tali auxilio*, etc. Non tu satis es, o Priame, quum neque satis esset Hector meus, etiam si viveret; præstat ad Deos confugere; *hæc ara omnes tuebitur,* te et nos : aut nobiscum *simul moriere.* Hæc quum dixisset, videns nihil se verbis proficere, senem compulit, ut sederet; illum *ad se recepit :* hac voce innuit receptaculum; *locavit in sede sacra,* ut tutus esset prope Deos. Hoc ipso facto innuit imbecillitatem Priami inepti jam ad pugnam; nam vir et armatus, et fortasse repugnans, facile tamen trahitur ab una fœmina jam grandæva et seniore.

526. Hic jam prægustandam adducit futuram narrationem de morte Priami : quum enim Polites ante conspectum patris vitam funderet, tanti doloris impatiens Rex in Pyrrhum invehitur, unde mors seni. Sunt hic magni affectus : quod enim in venatu solet accidere fugiente lepore, et insequente cane, quibus voluptas et plausus captatur : hic accidit in Trojano principe, Græco insequente; in quo horror et sævitia inest, non voluptas, aut plausus : vere hæc mors Politæ, Pyrrhi audacia, parentum inspectantium miseria, τραγικώτατον quiddam sapit : in illis, *vacua atria,* emphasin quidam notant, qua

eundum Epicureos, qui dicunt deos nihil curare, aut propter vim bellicam. *Serv.*

522. *Non, si ipse meus.* Mire, *meus*, ut matris exprimeretur affectio. Animadverto hic aliquid occultæ eruditionis; cur Hecuba dicit *meus Hector,* non tuus, non noster ? Fortasse itaque allusum ad Hectoris natales : ferebat enim occultior opinio Trojanorum, illum fuisse Apollinis et Hecubæ filium, non Priami : sed non affirmo.

524. *Aut moriere simul.* Ut religio, aut pariter omnes servet, aut simul moriantur omnes. *Serv.*

529. *Infesto vulnere.* Bonum schema, *vulnus* pro *telo.* An vulnus quod inflixit; an quod infligeret?

532. *Vitam cum sanguine fudit.*

intelligitur effusa omnium fuga, ac perinde ingens metus.

533. Invicti regis virtutem explicari sub persona Priami ab eminentissimo poeta, jam alii dixerunt. Talem enim regem, neque extrema necessitas potest comprimere, aut ejus generosum ardorem extinguere. *Media mors* est, manifesta et clara, ut supra, *sensit medios delapsus in hostes.*

535. Ergo *exclamat*: hoc verbo indicatur habitus futuræ orationis: vulgaris poeta diceret, ait, inquit, fatur. Quid vero exclamat? *At Dii persolvant tibi grates dignas, et reddant præmia debita pro scelere, pro ausis.* His exitium imprecatur Pyrrho; nam quod aliud præmium sceleris, audaciæ? utitur sane sermone ambiguo, et hic in malam partem. Adhibet rationem, cur exitium imprecetur, *quia fecisti me cernere coram lethum nati*: neque hoc solum, sed *et fœdasti* illius *funere vultus patrios.* Itaque non tam Priamus de cæde (quid enim hostis in hostem faceret!) conqueritur, quam de atroci spectaculo: ait, fœdatos̆ vultus, quia fortasse sparsus senex natí cruore. Parenthesis de pietate, quæ inest in cælo, ideo interposita, quia nominati Dii; et movetur πάθος ab desperante pietatem cælestem.

540. Ab dissimili bonitate Achillis, et paternis moribus, atque ingenio crudelitatem Pyrrhi ferociamque coarguit. Achilles mihi cadaver Hectoris tumulandum tradidit; remisit me in mea regna plenum honoris; erubuit veritusque est me supplicem servato jure ac fide supplicum: tu ergo non illo es satus, qui dissimilis illi es, qui natales tuos mentiris.

Modo eos sequitur, qui sanguinem sedem vitæ volnnt; alibi eos, qui ipsum sanguinem vitam volnnt: nt, Purpuream vomit ille animam. » Potest tamen κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligi item vulneratum Politen. *S.*

535. *At tibi pro scelere*, etc. Particulam hanc excerationi præviam, ejusque usnm iu invectivis elegantem esse, asserit multisque adstruit testimoniis Hadrian. Card. de Serm. Lat. *Emm.* — *Ausis.* Quidam proprie sumptum tradunt, nec posse in prosa dici. — *Grates.* Pront res fuerit, vel in bonis vel 'in malis dicuntur, sicut *præmia. S.*

538. '*Qui nati.* Non culpat Pyrrhum, quod occiderit, sed quod cædem in conspectum paternum reservaverit: nam stulte reprehenderet, quod jure belli licebat. *Don.*

540. *At non ille, satum.* Tribus generibus parentes objicimus filiis, quum bonis eos negamus æquales, ut hoc loco: deinde quum malos objicimus, ut, *Laomedontiadæ;* item qnum non solum bonos adimimus, sed insuper malos objicimus: nt, « Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor. » *Serv.*

543. *Reddidit.* Quod injuste retinuisset: sola enim anima debetur hosti: corpus autem, quoniam in nullius est potestate, dimittitur

544. Vocem Priami secutus ictus, qui languidus et imbellis: versus quoque ipse ex summo artificio etiam est languidus et imbellis, et omnino sine ictu: sed redeo ad telum; conjectum hoc est; percussus umbo, sed ita tamen, ut cuspis ab repellente ære exsilierit, neque pependerit.

547. Sententia Pyrrhi capienda cum irrisione: nam qui degener ab Achille, qui regiam evertit? ex hac irrisione resultat mirus affectus natus ex contumelia; vide enim, uti regi maximo per ludibrium mors paretur, cujus eat nuntius ad Achillem interfectoris patrem.

550. Conclusio, in quam festinat: sed jam e verbis ad facta: quæ autem hæc facta? tristissima, et ex multis circumstantiis expendenda. *Trahitur* rex ille, qui honestissime tractandus fuit; et trahitur corpore *tremulo*, quæ quidem species servorum est, et supplicum: trahitur vero ad *ipsa altaria*, ut cædes exerceatur non longe a sacris, in quo jam inest sacrilegium: dum trahitur, lapsat miser in *multo sanguine*, qui sanguis nati fuerat. Quæ ista species? Quid præterea? *implicatur regis coma Pyrrhi læva;* quod vix de servulo audieris: *coruscus gladius dextra eximitur*, hoc ad terrorem miseri senis, qui supra se fulgentem gladium cerneret: *abditur ensis lateri*, quia ad cor illatum vulnus: non ille utcunque abditur; nam *capulo tenus*.

554. Res postulabat, ut post casum tanti regis affectus excitarentur; nec sibi in hac re deesse potuit vates; inflammat itaque commiserationem, quum rex magnificus, divitiis florens, Asiæ imperans, regno, fortuna, liberis, vita denique privetur, humi turpiter truncus jaceat, atque inhumatus. Novitius sic disponit: *hæc finis* fuit *fatorum Priami; hic exitus tulit*, abripuit *sorte illum videntem Trojam incensam, et Pergama*

sepulturæ. *Reddidit* ergo, quoniam contra humanitatis jura id tenebat. *Donat.* — *Remisit.* Comitatus est usque ad Trojam, quum potuisset per me mea regna capere. *Serv.*

544. *Sic fatus.* Est desiderium manifestum mortis, quod post contumeliam etiam armis juvenem senex provocet.—*Telum imbelle.* Confirmat, quod dixit: « Inutile ferrum. » — *Sine ictu.* Probat quod dixit: « humeris trementibus ævo. » *Don.*

550. *Hoc dicens.* Ostendit simul dum diceret fecisse. — *Altaria ad ipsa.* Unde sperabat auxilium: aut quia Achilles in templo occisus est, et ex similitudine vindicta. — *Trementem.* Non formidine, sed ætate. *Serv.*

554. *Hæc finis.* Servius velle videtur *finis* feminini tantum esse generis, quum tamen virilis etiam passim inveniatur. Virgilius: « Quem das finem, rex magne, laborum »; et, « Hic finis fandi », quod agnoscit Nonius. Præterea Probus in

prolapsa, regnantem quondam superbum tot populis terrisque Asiæ. Cur *hæc finis*, non *hic*, lege A. Gellium, lib. XIII, cap. 20.

559. Priami nece admonetur Æneas de paterna cura; atque adeo qui hactenus inter densos armorum globos, fulgentes cuspides, confertas acies, fumantes ignes, ut fortis, nunquam timuerat; jam nunc, ut vere pius, horret tremitque, ut subiit recordatio calamitatis, quæ instar Priami, poterat etiam Anchisæ contingere. Horrori stupor adjungitur: sed cur horret? cur stupescit? sequitur causa hæc, *subiit chari genitoris imago*, etc. Accumulat plura, ut videas, non aliter virum fortem a prælio cessaturum, nisi multiplici pietate avocaretur. Obstitit sane furori pietas; ille ad vindictam ducebat Æneam sponte et libere volantem; hæc avocabat, quo suis pientissime consuleret; aliter non desereret bellum vir fortis: inde omnia ornantur urgentissimis epithetis, quo efficacius Æneas moveatur; nam genitor charus dicitur, Creusa deserta, domus direpta, casus Iuli parvi. Sed nec si omnino; nam divina quoque accessit providentia Veneris.

Arte quærit, cur hoc loco *finis* feminino genere positum fuerit a Virgilio: quum veterum Grammaticorum regulæ nomen id masculini generis esse velint: « Poetamque ait metro consulnisse, ita enim plerumque rationem musicam appellat. Sane vero Comminianus solœcismum hic esse per genera nominum asseverat: *hæc finis Priami*, pro *hic finis*. Pier.

557. *Regnatorem Asiæ*. Quia imperaverat et Phrygiæ et Mygdoniæ. — *Jacet*. Sequuntur mortui ludibria. Itaque quod de Galba ille: « corpus diu neglectum, et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum », intueri in Priamo licet: signate *jacet*, quia non crematus Rex, qui honos tum dabatur vel vilissimis cadaveribus. Sic Seneca de illo, et Lysias de Atheniensibus.

558. *Avolsum*. Sic legendum ex Rom. Virgilii codice et antiquioribus aliquot. Vide Dausq. sic *convolsus, revolsus*. — *Sine nomine*. Sine agnitione, aut dignitate, aut simpliciter sine nomine, a capite enim quis nomen ducit. — Nomen sæpe pro honore: sic supra vs. 89. « Et nos aliquod nomenque decusque Gessimus. » Flor. III, 16: « homo sine tribu, sine nomine », id est, abjectæ conditionis.

559. *Sævus horror*. Quia est et bonus: ut, « Lætusque per artus Horror iit. » Est et amoris, ut Terent. « Totus, Parmeno, tremo horreoque, postquam aspexi hanc. »

561. *Æquævum*. Amabiliter locutus est; plus enim est *æquævum*, quam *longævum*. Pro eo Juvenal. Sat. IV, 94: Proximus ejusdem properabat Acilius ævi. »

562. *Vitam exhalantem*. Secundum eos, qui volunt animam esse ventum: ut, « Atque in ventos vita recessit. » *Serv.*

563. *Casus*. Aut interitus, aut captivitas, quod pejus est. *Serv.*

564. Post hanc rerum cogitationem, Æneas oculos circumjicit, ut videat, qui sibi comitatus ex conferto illo globo, cujus se ducem præbuerat: videt sese desertum a suis jam fessis, qui desperantes de victoria, aut se præcipites dederant, aut propria corpora tradiderant flammis. Duplex hinc commendatio exoritur: prior in Æneam, qui non prius pugnam deseruit, quam a suis ipse desereretur: posterior in Trojanos, qui mori ipsi fortiter maluerunt, et gloriosum finem antevertere, quam sub hostium potestate vivere. Similis fortitudinis redundant exempla: Saguntini plerique, apud Livium lib. XXI, se in ignem præcipitant.

567. Ut Æneas se unum superstitem videt, errare, atque oculos in omnem partem cœpit convertere, ac tum fortasse Helenam prodentibus flammis aspexit, quæ metu pavida ad Vestæ templum confugerat, ibique in secreto latebat.

569. Adhibet rationes, cur Helena se abdidisset, et prope aras, ad confugium: metuebat videlicet Teucros, propter eversam urbem; Danaos, propter mala, quæ secuta sunt ejus a patria fugam; inter hos summopere Menelaum, quem deseruerat, illecta amore Paridis: conjugem servavit ad locum extremum, ad incrementum orationis; nam quem illa præ illo timeret? Ergo hoc metu Trojanorum, Græcorum, Menelai, sese abdiderat, petieratque confugium sacrorum.

575. Dicit æstuasse se incendio irarum: ratio duplex; prima, ut patriam ulciscatur: altera, ut Helena pœnas det, *sceleratas pœnas*, id est, pœnas de scelerata.

577. Sequens oratio æstuat variis affectibus Æneæ, qui secum loquitur, tanquam cum altero, quadam argumentorum vicissitudine. His quatuor versibus continetur felicitas Helenæ, qua ipse ad vindictam acuitur: fuit Helena Spartana, Menelaus conjux Mycenæus, ideo utramque urbem apposuit. Cur aspiciet, inquit, Spartam, et Mycenas cum triumpho? in hoc alludit ad Romanos triumphos: cur famulitio Phrygum

565. *Deseruere omnes.* Defessi dolore, vox non accusationis: sic enim se purgat, ut alios non culpet: dicendo autem *defessi*, etiam illos excusat, a quibus desertus est. *Serv.*

567. *Jamque adeo*, etc. Sunt, qui sequentes XXII versus omittant, ut a Plotio Tucca, et L. Varo, quos Æneida jussu Augusti emendasse constans fama est, rejectos. Vide Var. Lect. et notas, vol. II, pag. 278; vide etiam Excursum XII, de *Helena recepta*, ibid. pag. 348.

573. *Trojæ et patriæ communis Erinnys.* Id est, fatalis calamitas: hoc emphaticum. Scalig. IV, 16.

comitata videbit conjugium, domum, patres, natos? versus præclarus, et non expensus: conjugium et nati, Mycenas respiciunt; domus et patres, Spartam.

581. Post enumeratas felicitates Helenæ, transit ad Trojana mala, ut conferens ardentius acuatur, hunc in modum: illa regina erit; et rex *Priamus occiderit*, ac *ferro*, quod noxiorum est? illa Spartam et Mycenas videbit urbes suas; Troja urbs nostra, *igni arserit? litus Dardanium toties sudarit sanguine?*

583. Deliberaverat Helenam interficere; adducit rationes duas in contrarium. Prima, nulla est gloria fœminam interficere? altera, ab interfecta non redundat laus ulla: itaque neque quum cædes patratur, neque post cædem ullum est nomen. Has duas rationes quadruplici solutione opprimit, semper in vindictam et cædem pronus: solutiones sunt istæ: extinguam nefas; sumam pœnas a merente; explebo animum inflammatum ad ultionem; denique satiabo cineres meorum. Explicabo ista, hærens vestigiis Scaligeri. Argumentum erat; non est laus fœminam interficere: solvit: ego nefas extinguam, et crimen, quod dignum laude; pertinet enim ad virum justum, crimen tollere, qui nefas nullum superesse pati debet. Hinc colligit Scaliger, vehementer errare Grammaticos, qui hos luculentissimos operosissimosque versus sublatos voluere: quos quum auferunt vulgaribus permoti affectibus, justitiam ab Ænea adimunt. Hæc de prima solutione, tres reliquæ claræ; sicut enim justi est nefas tollere; ita viri fortis sumere de facinoroso pœnas, et pro suis, et pro patria; huc enim tendunt tria illa. *Animus ultricis flammæ*, est, animus avidus ulciscendi inflammatusque, secundum Scaligerum, Poet. IV, 16.

585. *Nefas.* Helena jure *nefas* dicitur, cujus impuri mores noti. Rapta primum est a Theseo, deinde nupsit Menelao, hunc reliquit, secuta adulterum Paridem: huic non fuit fida, nam in Ilio cum privigno Corytho, Paridis et Œnones filio, incestum commisit: ejusdem amores cum Achille celebrat Philostratus in Heroicis. Eurip. in Androm. Helen. vocat ἄταν, *noxam, damnum, cladem*: neque enim, hic ait, Paris sponsam ex Græcia Trojam attulit, sed cladem: ibidem, πασῶν κακίστην, *omnium pessimam*: et in Troadibus ait sub persona Andromachæ, illam non natam ex Jove, aut Tyndareo, sed esse filiam ἀλάστορος, φθόνου, φόνου, θανάτου: *Dæmonis infesti, invidiæ, cædis, mortis*. Cerda.

586. *Animum ultricis flammæ.* Dulce mihi erit satisfecisse ardentissimæ ultionis desiderio.

587. *Cineres satiasse.* Pietatis tamen nomine laudabor, qui cæsorum civium manes, et umbras sanguine hostium expleverim.

588. Ait, *jactabam*, quasi inania omnia, et furoris plena, ac nullum exitum habitura. Ait, *furiata mente ferebar*, quia in illo æstu argumentorum vicit furor, quo ferebatur ad cædem Helenæ.

589. In hoc impetu, Venus se nato obtulit, confessa parentem et Deam, et qualis nunquam ante apparuerat; nam cum splendore, cum pulchritudine, cum præstanti corporis magnitudine, quæ omnes notæ sunt divinitatis : lux clare ponitur; pulchritudo indicatur voce *qualis;* magnitudo, voce *quanta.* Ita illa natum continuit comprehensum dextra, qua irruebat cum gladio in Helenam, ac locuta est roseo ore. Vocula, *dextra*, referri potest, aut ad Venerem, aut ad Æneam, ut dicat, tenuit me prehensum dextra sua, vel tenuit me prehensum dextra mea : in postremum inclino.

594. Incipit oratio Veneris ad Æneam, qua illum a furore revocat urgentissimis rationibus; nam aliter non fas, virum fortem a bello discedere. Ergo, quis iste, o nate, furor? cur nulla jam nostrarum rerum cura? Obversentur tibi ante oculos Anchises, qui pater, et ætate fessus; Creusa, quæ conjux; Ascanius, qui puer : credis hos vacare periculo? ne puta : errant circum illos non unus aut alter miles, sed acies integræ Græcorum; errant flammæ, quæ jam tulisseut; errant enses hostiles, qui jam hausissent, nisi ipsa ego adessem.

601. Sequitur oratio Veneris ad filium, qua avertit Trojanum excidium ab Helena et Paride, verius a seipsa, quæ nuptias illas conciliavit, confertque illud in Deos : ergo, ait, non facies Helenæ, quæ visenda pulchritudine, etiamsi tibi invisa; non Paris culpatus ab omnibus, quod faciem illam amaverit, everterunt Trojanas opes; straverunt Trojam a culmine; sed Dii, ut inclementissimi : nulla enim mortalium tanta esse vis poterat, ut tales opes everteret; Trojam sterneret, nisi Dii

593. *Roseo.* Pulchro : male quidam reprehendunt, non convenisse in ruina et exitio civitatis, Venerem roseo ore loqui cum filio, ignorantes hoc epitheton Veneris esse perpetuum. — *Insuper.* Super, quod continueral eum. *Serv.*

595. *Quid furis.* Aut quia furor est, virum fortem ruere in mulieris interitum : aut quid furis, quum extinctos socios vides, velle pugnare : et bono verbo usus est, virum fortem a prælio revocans. *S.*

601. *Tyndaridis.* Atqui Jovis est, non Tyndarei filia : sed sic dicimus *Tyndaridis* de Helena, ut de Hercule *Amphytrioniades* : nam de Jove et Leda nati sunt Pollux et Helena : de Tyndareo et Leda Clytæmnestra et Castor, qui solus mortalis fuit. — *Lacænæ;* quæ fuit a provincia Laconica.

hoc facerent, nec Dii utcumque; sed oportuit armatos esse inclementia.

604. Dixerat, Trojam everti ab Diis; hoc Æneas ut credat, ostendit illi numina, quæ contra Trojam pugnabant, jubetque illum, ut aspiciat: prius tamen natum cælesti virtute confirmat, ut possit intueri Deos, erepta nube, qua ille et hebetudine, et tenebris opplebatur. Itaque duplex affectus est mortalis, nubis hebetatio, et caligo: utramque adimit. *Tu ne qua parentis*, etc. Facit audacem ad intuendum: omnia ἐμφατικῶς, quasi dicat; tuto potes facere, quæ Dea et parens jubet.

608. Comparato jam nato ad intuenda numina, principe loco Neptunum ostendit, constituens effectum, deinde causam: effectus sunt, moles disjectæ, saxa avulsa; undans fumus; immistus pulvis: causa, Neptuni sævitia, qui non modo muros, sed ipsa eruit fundamenta, et urbem a sedibus.

612. Secundo loco Junonem indicat, quæ in hoc odio non secundas partes, sed primas tenet; vocat illam sævissimam; inducit ferro accinctam; dicitque, illam fuisse Græcis antesignanam; vocabat quippe illos, ut jam tandem e navibus omnes advenirent, Trojam direpturi.

615. Tertio loco Palladem diruentem arces, nimbo, id est, divina nube effulgentem, et cum insigni Gorgoneo, quod in hujus Deæ scuto. Expende hic, quam proprie omnia vigilantissimus hic vates; nam in ipsa ruina miras oppositiones quærit, quibus faciat rem omnino deploratam: fundamenta dicata sunt Neptuno, ideo a Græcis θεμελιοῦχος: portæ urbium Junoni, quia præsens regnorum habita: arces Palladi, quia illas prima construxit. Ergo in uno Trojano excidio (vide, quæ Deorum odia) diruunt Dii ea, quibus ipsi valent, et potentes sunt. Non potuit melius poeta cladem hanc insignem facere.

617. Culpam omnium Deorum in Jovem transfert, ex superiori illa sententia: *ferus omnia Juppiter Argos Transtulit.*

619. Conclusio omnium, quo destinata longa commemoratio sævitiæ Deorum: nihil moverat Æneam Hector, illo versu: *Heu fuge, nate Dea, teque his eripe flammis;* ideo accedit ma-

615. *Arces.* Ordinem tenuit; primum muros; deinde portas; post arces; a muris enim in arcem convertendus est totus impetus. Ob hoc autem arces Minervæ dantur, quod ipsa sit inventrix ædificiorum: ut, « Pallas quas condidit arces: » et quia summa quæque possidet sapientia. — *Insedit.* Adeo irata, ut ante sacerdotem ibi Cassandram defenderet. *Serv.*

617. *Ipse pater*, etc. Qui omnibus

tris præceptio: sic tandem vir fortis cessavit a pugna; demum promittit illi præsentissimam opem, quæ successum habuit; nam inter flammas et hostes viam illæsus invenit.

621. Non exspectat responsionem nati Venus, quo æstuantem et pavidum relinquat. Induerant ipsa numina torvitatem diritatemque, et quandam veluti sævitiam, quo formidabiliora apparerent.

624. Ita Trojæ culmina omnia constrata sunt, ut consedisse in ignes viderentur; ita concussa fundamenta, ut ex imo versa omnia. Ait, *Neptunia*, ad conquestionem; magnum fuit, Trojam ruere; majus, Trojam Neptuni. Quod hic, *verti Trojam ex imo*, supra, *Neptunus eruit urbem a sedibus.*

626. Comparat ruentem Trojam Deorum ferocitate, ruenti arbori agricolarum opera.

632. Descendit Æneas e regia, ubi gestâ, quæ narrata hactenus, ac duce Dea Venere, expedit se facile inter flammas; nam istæ recedunt; et inter hostes; nam tela dant locum.

634. Transit ad domesticam tragœdiam, incipitque a pietate sua erga patrem, quem voluit humeris attollere, ut illum abderet in proximos montes; sed senex restitit, nolens exstincta Troja ipse superstes esse, neque ire in exilium; conversusque ad juniores, hortatur, ut ipsi fugam capessant, ut qui sint integro ævo, integris viribus; nam ipse mori in eversa patria destinat, et una cum Troja cadere.

641. Causam, cur non debeat fugere, in Deos confert Anchises. Quid vivam, ait, invitis Diis? hi me perdunt: nam

unus esse consuevit: ut, « Rex Juppiter omnibus idem » : et bene honesta Æneæ causa fugiendi est. *S.*

626. *Ac veluti*, etc. Catullus similem pæne adducit comparationem ad casum Minotauri explicandum in Nupt. Palei: « Nam velut in summo quatientam brachia Tauro quercum, etc. » Seneca in OEtæo mire Maronem æmulans in labore cædendæ arboris, sic ait: « Stat vasta late quercus, etc. » Valer. Flacc. Argon. III; ita se exercuit: « Ac veluti magna juvenum quum densa securi Silva labat. » Eadem comparatione utitur Horat. Od. IV, 6; de Achille: « Ille mordaci velut icta ferro Pinus, etc.

638. *Exsilium*. Dictum quasi extra solum. — *Integer ævi Sanguis*. Plenam ætatem significat ex sanguine, qui non est integer, nisi in juvenibus: nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem: unde et in senibus tremor est. Hic *ævum* ad annos referre debemus, quamvis alibi tempus significet.

639. *Suo robore*. Sine alterius auxilio, quo egebat Anchises. Et duas res dicit; et juvenes estis, et sani, quorum utrumque mihi deest. — *Stant*. Perstant, solidæque sunt. *S.*

quid aliud est, illos mihi Trojam evertisse, et has meas sedes: deinde cum tædio vitæ adjicit, *satis una superque*, etc. Ubi sententia capienda est de excidio, quod Troja passa est ab Hercule, sub rege Laomedonte, quod excidium Anchises viderat; et satis esse, ait, si uni excidio supervixerit; duobus non vult.

644 Mortuum se effingit, componitque, ac si efferendus esset ad tumulum: et petit, uti affari velint ad se extrema illa, *vale, vale*, quæ mortuis vivi solent. Ipse, inquit, manu mea me interficiam. Si vero mihi non satis animi ad mortem meam, non deerit percussor, qui laborum, quos patior, misereatur; vel cupiditate exuviarum. Deinde occurrit sibi per prolepsin: quid si insepultus maneas? hæc mihi, respondet, jactura facilis erit, neque digna, quam reputem.

647. Subnectit duas alias causas, quibus ostendit, contemni a se vitam, optari mortem: prior est, ab odio Deorum, quibus invisus: posterior, a gravi ætate, qua jam est inutilis: utramque, ait, jamdudum se esse expertum, ex quo afflatus est vento, contactus igni ab Jove, quasi hac ratione soleat Juppiter invehi in homines sibi invisos, atque inutiles.

650. Verba *perstabat, fixus manebat*, signata omnia ad senis pertinaciam explicandam: et apte *memorans;* nam revocabat in memoriam præteritam historiam exscissi Ilii.

651. Oppugnatur senex lacrymis filii, nepotis, nurus, totius domus; accedunt ad lacrymas preces; nam *ne vertere secum*, etc. Sed neque expugnatur lacrymis, neque exoratur precibus; nam sequitur; *Abnegat, inceptoque et sedibus hæret in iisdem;* ubi addita tot verba, *abnegat, hæret, sedibus, incœpto*, ad prædicandam immodicam senis pervicaciam.

642. *Satis una*. Calamitas est patriam pereuntem vidisse, et dolor immensus, quod adhuc post ejus interitum vivimus, et adhuc de vivendo cogitamus. *Donat.*

647. *Inutilis annos*. Ideo quia debilis fuisse dicitur post fulmen. — *Annos Demoror*. Quasi festinantes, diu vivendo detineo. *Serv.*

649. *Fulminis adflavit ventis*, etc. Non jaciuntur fulmina, nisi cum flatu ventorum. Tria sunt fulminum genera: est quod afflat, quod incendit, quod findit. De hoc autem siluit. Fulminatus est autem Anchises, quia se cum Venere concubuisse jactabat. Sane afflati-tactique dicuntur capti membris; ut, « Tactus etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus. » *Serv.*

651. *Nos contra*. Quia fuga esset salus petenda, et sine ipso fuga non erat, orabamus, ne universam domum, dum negat se fugiturum, perderet. Ergo omnia ex illius voluntate pendebant. *Donat.*

655. Ortum consilium a patris pertinacia; nam quid aliud faceret vir fortis? omnia παθητικά.

657. Sententia est: sperasti, ut ego Troja abirem, meque in tuto locarem sine te? alludit videlicet ad illud Anchisæ, *Vos agitate fugam*: itaque non dicit, sperasti me posse efferre pedem domo, sed Troja: nam postea ipse domo exiret, nisi impediretur a conjuge: et nota verba: Anchises *fugam* nominaverat: ait Æneas, qui fugiam, qui ne pedem quidem efferam; pronomina *me* et *te*, emphasin habent magnam. Pergit libere Æneas, *Tantumque nefas patrio excidit ore?* Perdit suo consilio Anchises Æneam, nepotem, nurum, totam domum; inde filio licentia increpandi libere patris, et dixisse illum *nefas* clamat: sed una est excusatio in voce *excidit*, quasi nefas illud incogitanter pronuntiaverit senex.

659. Evertit Æneas patris ratiocinationem; dixerat ille, si Dii voluissent me vivere, servassent mihi has sedes; at everterunt patriam, ubi sedes meæ. Respondet Æneas, et concludit: si meus est Deorum, ut tu ais, ut nemo supersit patriæ eversæ, et id tibi quoque in animo sedet, ac proinde vis nos omnes addere ad Trojauam cladem, profecto janua patet letho, quod certissimum erit; nam aderit Pyrrhus, etc. Hæc omnia dicuntur ironia quadam sententiarum: mens enim Æneæ est; iniquum est existimare Deos nolle, ut victi cives supersint patriæ victæ, quum unicuique sit jus tuendæ salutis, etiam patria eversa. In illis, *isti letho*, subaudi, voluntario; in quod tu vis ruere.

662. Quo terreat senem, Pyrrhi ferocitatem proponit, alludens ad illa, *miserebitur hostis*: quasi dicat: non tibi vitam ad misericordiam eripiet ille, in quo sunt omnes crudelitatis notæ. Imbuet se tuo sanguine, sicut multo Priami. An, qui regi non pepercit, tibi parcet? Non agis eum hoste misericordi, et

655. *Rursus in arma feror.* Quasi quodam doloris impetu, quod pater liberari non acquiesceret. *Serv.*

657. *Mene.* Invidiosa dictio, sed quæ plena esset pietatis, et ex affectu religioso profecta. Habet autem gravissimum pondus in pronominibus, ME et TE: ME? scilicet filium tuum; cujus pietatem, officia, religionemque optime comprobasti. TE? qui sis pater meus, et probe noris quid patres liberis, ac patribus liberi debeant. TE? qui senectute et morbo gravis sis, et quem ita relinquere sit scelus, hoc tempore, et hoc loco, ubi hostes sint et flamma. Potuisti ergo loqui, quod me faceret parricidam? *Don.*

662. *Multo Priami de sanguine.* Quasi bis sanguinem fuderit Priamus, quia et filium ejus Pyrrhus occiderit. *Serv.*

pio : obtruncat quippe ille natum ante patrem sævissime, patrem ante Deos impiissime. Est itaque affectus et argumentum petitum a circumstantiis rerum, personarum, locorum.

664. Inflammati admodum affectus cum apostrophe, et conquestione ad Venerem; ideo me ab hostibus eripis in regia Priami, ut in meis ædibus hostem videam? ut cernam Ascanium, patrem, uxorem, omnes trucidari volutarique mutuo sanguine? quid hoc spectaculo indignius, sævius, atrocius? His procul dubio terror maximus Anchisæ injicitur, et pavor insolitus, ac mortis imago sævissima; nam eo sermonem hunc Æneas destinat, alludens ad cædem Priami, et Politæ.

668. Quum nihil videat prodesse, furit ex rerum desperatione, propter obstinationem patris : in verbis inest ardor militaris. Nihil hic expendo, quia non possum : id solum dicam, neminem hactenus æquasse istos affectus. *Reddite me Danais*, scilicet ex quibus me mater eripuit : ait, *sinite*, quia retinebatur. Sunt *instaurata*, renovata, et crudescentia, certe renovanda a me. Subeant, Lector, quæ sæpe nobis dicta de commutatione participiorum. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*, est, si aliqui jam mortui sunt inulti in hoc excidio, certe non omnes ita hodie moriemur : est *nunquam* nullatenus, nequaquam. — Πρέπον viri fortis : optaverat armari, et ad hostes tendere; utrumque hic perficit opere.

673. Ut conjux avertat conjugem ab efferato et præcipiti consilio, ipsa hæret in limine; complexu retinet; puerum objicit : et quia facta non satis, addit verba plena magnis affectibus; et quæ ruentem virum potius, quam complexus ipse, retineant. An ruis in exitium? an in spem salutis? si primum, extrema ego quoque tecum feram, et omnes simul; rape ergo nos tecum : si alterum, cur non salus paratur domui tuæ? ergo tutare hanc domum : nam cui deseris parvum filium, patrem senem, miseram conjugem, quæ jam non tua, sed quondam tua? Desinit sermonem in vociferationes, clamores, gemitus.

680. Peripetia idoneo loco inducta : nam inter miserabilem

664. *Hoc.* Ideo. *Serv.* — *Hoc erat, alma parens.* Ostendit materna beneficia converti in perniciem. *Donat.*

671. *Clipeoque sinistram.* Hunc versum explanat Cæl. Rhodig. X, 4; ubi docet, illud scuti lorum, aonuli vice, inter quod, et ipsum scutum, insertamus manum, *insertorium* dici. *Taubm.* — *Insertabam.* Cunctationem ostendit hoc verbo ejus, qui nec ire ad prælium velit, nec domum relinquere; sic et *ferebam*, dixit. *Serv.*

illam uxoris complorationem, senis pervicaciam, Æneæ furorem, prodigium adhibetur, quo omnia in melius commutata. Præparat verò, ut assolet in re simili, lectorem suum, verbis illis, *monstrum*, et *subitum*, et *dictu mirabile*.

681. Sed quod prodigium? *Inter manus*, inquit, *atque inter ora parentum mœstorum, ecce apex levis visus est fundere lumen de vertice summo Iuli, flammaque innoxia lambere comas tactu molli, et pasci circum tempora*. Expende hic aliqua: dicitur ignis ille *apex*, tum quia in capite, tum quia instar apicis acuminatus ex natura ignis: est *levis* ad discrimen ignis vibrati a fulmine, qui gravis et urens dicitur: ait, *fundere*, quia ignis hic instar aquæ placidum quiddam effundebat, et quidem non tam ignem, qnam *lumen*: ideo sequitur, *flamma innoxia*; et hæc non urens, sed *lambens*, et *tactu molli*. Quæ potuit aptiora, ad explicandum ignem illum fuisse sine noxa?

685. Longe aliter judicarunt, qui videbant, et ideo illis dat pavorem, trepidationem, metum; dicit enim; *nos pavidi trepidare metu*. Putabant scilicet verum esse incendium et periculum in Ascanio; ideo excutiunt ignem flagrantem; restingunt ignes; cui verbo vis major; quam *extinguo*; et *fontibus*, ad signandam vim aquæ, quæ adhibita contra sanctos, id est, cælestes ignes, sacros, religiosos, divinitusque immissos: dicit *trepidare*, *excutere*, *restinguere*, pro, trepidabamus, excutiebamus, restinguebamus.

687. Ex decoro magno infert, quid tum pater senserit, quid divinarit, supprimens Æneas ipse judicium suum, ut qui tum fatorum suorum non esset præscius: signa vero lætantis senis tria sunt, oculorum sublatio ad cælum, manuum, vocis; omnia ex ritu supplicantium et precantium.

689. Sequitur oratio Anchisæ ad Jovem, qua tantum duo petit, videlicet auxilium in posterum, confirmationem ominis

683. *Fundere lumen apex. Apex* pruprie dicitur in summo flaminis pileu virga lanata; hoc est, iu cujus extremitate modica lana est: quod primùm constat apud Albam Ascanium statuisse. Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, *apicem*, *tutulum*, *galerum*. Sed *apicem* pileum sutile, circa medium virga eminente: *tutulum* pileum lanatum, metæ figura: *galerum* pileum ex pelle hostiæ cæsæ. *Serv.*

687. *At pater Anchises.* Et hic et alibi Anchisen divinandi peritum inducit. — Donatus illi rerum cælestium scientiam pariter attribuit.

689. *Si flecteris.* Aut secundum Stoicos locutus est, qui fati asserunt necessitatem: aut secundum Epicureos, qui dicunt deos non curare mortalia. *Serv.*

in præsens. Orationem præcedit, tum captatio; nam *omnipotens*, et *precibus si flecteris ullis*, non dubitat, sed quasi id semper fieri soleat; tum ratio, cur ausit petere, *et si pietate meremur*, ubi præcipue mireris respectum ad unam pietatem Æneæ, quæ maxima, et notissima.

692. Duo petivit; auxilium, hoc deinde datum in ipsa fuga: et firmamentum ominis, hoc jam adest: nam statim auditum est tonitruum ex læva cæli parte, cum fragore subito, et visa stella, quæ lapsa e cælo, cucurrit per umbras, ducens facem cum multa luce.

695. Labitur stella super summa tecti Anchisæi culmina, seque condit in Idæa sylva, ac dum labitur et conditur, signat vias; demum sulcus ducitur in longum limitem cum magno lumine: designat his facem, et comantes crines. Absolvit denique, late tunc loca omnia fumasse sulphure. Aperiendum, quid ista significent: stella, Æneas est; ducit facem claritatis, pietatis, fortitudinis, virtutum omnium; cum ea ad Idam currit, viam signando; docet, qua debeant Trojani fugere, quoque cursum dirigere cum suo Ænea ad salutem; ille enim ad Idam contendit, ubi fabricatæ naves ad fugam; longus limes, errores sunt Æneæ; sulcus, navigationes, quibus sulcandum, et maris æquor arandum; sed semper cum luce; nam ubique sparsa virtutum lux.

691. *Atque hæc omina firma.* Secundum Romanum morem petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili: nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora. Unde est: « Quantum Chaonias aquila veniente columbas: » nam aquila sine dubio columbis plus potest. *Serv.*

693. *Intonuit lævum.* Sinistrum, prosperum; quia celeste est. *Sinistrum* autem a sinendo, quantum ad auguria pertinet; quod nos agere aliquid sinat; unde alibi: « Si quem numina læva sinant. » De Auguriis lævis ex consuetudine Romanorum Cic. de Divinat. XII, 39. Graiis vero et barbaris dextra auguria meliora.

696. *Idæa claram se condere silva.* Stellæ hujus cursus, significat Trojanos conglobatos ad domum Æneæ, Idam petere. Quod dicit: « Multa cum luce », ostendit claros. Quod « Signantemque vias »: scintillas quasdam dicit relictas, quæ ostendunt remansuros in diversis partibus socios. Quod, « Longo limite »: ostendit errorem. Quod « Sulcum » dicit, significat, « longum maris æquor arandum. » Quod ait, « Sulfure fumant »: divini ignis odor ostenditur: fulgura enim odor sulphuris sequitur. Ex fumo autem mors Anchisæ cognoscitur, sicut ejus oratio sequens indicat, « Et tenuis fugit ceu fumus in auras. » « Cedo equidem »: quasi dicat, Licet me sciam moriturum: et

699. Qui nullis precibus, jam tandem cedit religioni et prodigio Deorum. *Tollit se*, est, surgit : opponens illis, *et sedibus hæret in iisdem.*

701. Addit orationem Anchises, qua nullam in se inesse moram ad eundum profitetur : mox conversus ad Deos, domum illis, et nepotem commendat, ut servent : nam nemini melius potest commendare, quam illis, a quibus profectum augurium, et in quorum numine Troja est.

704. Demum conversus ad natum, illi cedit. Particula *tibi* posita ἐμφατικῶς : an non te sequar pater filium, quem Dii tot signis magnum fore jam nunc prædivinant?

705. Inter moras patris abnegantis ire, filii suadentis, Creusæ plorantis; inter moras etiam prodigii, jam Græci et ignis appropinquabant ad ædes Anchisæ, quamvis istæ secretæ ac remotæ. Nota elegantem commutationem sensuum : ignis enim, qui *clarior* est, *auditur.*

707. Hic exitus prætrepidus, et subitus fuit : inde nullus ad viam equus, nullus currus : præterea, etiamsi esset horum copia, non oportuit tamen uti, ne comitatus hostèm intentum redderet. Itaque res ita disposita ab optimo vate, ut daretur locus insigni pietati, qua Æneas patrem hortatur, ut ascendat in suos humeros; qui sane κάματος sibi erit (mira pietas!) εὐκάματος; ait enim, *nec me labor iste gravabit.*

709. Quo hærentem patrem (credibile est enim illum hæsisse ad tam nuvam pietatem) excitet, ait, unum utrique periculum fore, unam salutem. Occurrit vero brevissime difficultatibus quas posset tunc volvere mens patris : « qui omnes, præter te, imbelles expediemur? » Te humeris feram; natum dextra traham; conjux a longe vestigia servabit.

712. Deinde se ad famulos convertens, jubet illos, diversis itineribus, quo minus Græci fugam sentiant, pervenire ad templum Cereris desertæ, quod est in tumulo. Itaque *tumulus templumque*, nihil est aliud, quam, est tumulus, et in tumulo

bene quod divinarit Anchises, totum ei conceditur. Quidam *fumum*, bellum quod in Italia futurum erat, significari tradunt. *Serv.*

703. *Augurium. Augurium* est exquisita deorum voluntas per consultationem avium, aut signorum : perite ergo signum de cælo *augurium* dixit, ideo et adjecit *servate domum*, id est, genus, familiam. *Servate nepotem*, a quo certum Romanam prolem propagatum iri. *S.*

710. *Ambobus erit.* Ad filium et ad patrem potest, referri : melius ad patrem : quia de Ascanio post. loquetur. *Serv.*

templum : dicit hoc templum fuisse *vetustum*, cujus vetustatis signa duo; scilicet cupressus *antiqua*, juxta illud; et religio *per annos multos servata* a patribus.

717. Sacra et Deos commendat patri : cur? quia *nefas me attrectare :* cur vero hoc *nefas?* quia digredior e *bello et recenti cæde.* Itaque opus est, abluam manus, et has *vivo flumine*, aliter sacra non tangam : tradit Anchisæ sacra et Deos, quæ ipse ab Hectore acceperat. Hic enim versus, *Tu genitor cape sacra manu, Patriosque Penates,* respicit illum Hectoris ad Æneam, *Sacra suosque tibi commendat Troja Penates :* in utroque sunt *sacra* vittæ, et reliquus apparatus, quibus culta numina.

721. Adhibet Æneas humeris pellem leonis, qua patrem in tergo excipiat. Litteram subobscuram sic constitue : *Fatus hæc, insternor super humeros latos collaque subjecta veste, pelleque leonis fulvi*, id est, veste pellicea leonis : est enim ἓν διὰ δυοῖν.

723. Sequitur dispositio ad fugam : ea hæc fuit. Æneas patrem portabat humeris; ejus dexteræ Julius adhæsit; conjux a tergo sequebatur; famuli quippe abibant per diversa itinera. Hunc in modum feruntur per loca opaca; nam videlicet Anchisæ domus, *arboribus obtecta recessit*, ut habes supra. Itaque, quum exiverunt, necessario tenenda fuit via per sylvosum locum. In hoc tractu expende leviter, quæ pertinent ad Ascanium, plena magnis affectibus. Tenerior puer, anhelans, et ultra quam poterat patrem sequitur, ejus manu tractus potius, quam ductus : ideo implicatur, ut si velit cessare præ teneritudine, tamen non possit.

714. *Desertæ Cereris.* Utrum a sacerdote, qui in sexto extinctus inducitur : ut, « Cererique sacrum Polybetem » : An *desertæ* belli tempore, propter decennalem obsidionem? An *desertæ* a sua filia; ut, « Nec repetita sequi curet Proserpina matrem? — *Antiqua cupressus.* Ad vetustatem retulit. *Cupressum* autem funebrem arborem bene ante templum deæ lugentis induxit.

719. *Attrectare.* Verbum quod sacris competit, ut notavit Hadr. Cardinal. De abluendis manibus, cæde pollutis, Brisson. de Form. lib. I. — *Flumine vivo.* Non enim fas erat Pontificem sacra illotis manibus attrectare : neque adeo quavis aqua ad purificationem contenti erant, sed vivum et perennem et limpidum desiderabant.

723. *Succedoque oneri.* Pietatem in parentes Romani significabant simulacro Marci Herennii, patrem humeris impositum attollentis; alias Æneæ pari officio Anchisen efferentis, qui manus dextræ vola Palladium sustinebat. *Germ.* Vide Excursus XIII et XVII, tom. II, pag. 349 et 351.

724. *Implicuit.* Pueri exprimit timorem, ne manu excidat patris,

726. Hanc partem ita ferme explicat, et expendit Scaliger: virum fortem *non ulla injecta movebant tela;* at virum pium, *nunc omnes terrent auræ;* et addit, *sonus excitat omnis:* causa, *suspensum;* itaque, *sonus excitat suspensum;* deinde apponit causam aliam a se, *comitique onerique timentem.*

730. Alternantes affectus miram afferunt suspensionem: terrebatur primum omni aura, excitabatur omni sono; liberatur hoc metu in portis, visus evasisse viam omnem, et periculum; sed ecce subito ad aures videtur insonare strepitus pedum. Vide ut timenti nihil unquam certum: commutatio ista tralationum *visus est sonitus,* jucunda est: sed *visus,* quia *adesse;* et *sonitus,* quia *ad aures.* Adeo nihil otiosum in hoc principe! et eo ipso indicat, timentem non uno tantum, sed sensibus pæne omnibus deludi: in hoc autem metu partes præcipuæ Anchisæ sunt: ille adesse ubique hostem putabat, delusus metu, et noctis umbra; ideo *exclamat,* et cum geminatione, *nate, nate, fuge;* et, ut erat pavens, rectum adimit, tantum *propinquant:* adhibet pavoris falsi falsam causam, videlicet, *Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno;* quæ nec cernebat, nec micabant.

735. Aggreditur poeta narrationem de amissa conjuge, neque enim exhausti pii viri labores: ne vero videatur parum cautus in illa asservanda, factum excusat sapientissime; excusationes ad triplex caput reducuntur; aut ad Deos, et fata, quæ eripuerunt; aut ad Æneam, qui non potuit animadvertere; aut ad Creusam, quæ disparuit, subsistens, errans, sedens præ lassitudine: utcumque, inquit, illud certum, nunquam deinde a me visam.

cujus æquare passus non poterat Ascanius. — *Sequiturque patrem,* etc. Bene de præsente puero, qui, ut putabatur, inter manus reginæ erat positus, expressit adfectum. *Serv.*

726. *Et me, quem dudum.* Naturalia plus timet; quasi et vir fortis et pius non timet bellicum timorem; sed naturalem: propterea quia sequitur, « Comitique, onerique timentem. » *Serv.*

733. *Nate.* Hæc singula pronuncianda sunt: quia perturbatis, jugis non datur sermo; nec gaudentibus, nec dolentibus: quidam affectiose distinguunt. *Serv.*

735. *Nescio quod trepido.* Excusatio est conjugis longius derelictæ: et bene *nescio quod* ait, quia hoc postea a simulacro uxoris agnoscit. *S.* — *Male amicum:* iratum, quod non servavit universos. Vid. Excurs. XIV, tom. II, p. 349.

740. *Nec post oculis est reddita nostris.* Constat: nam umbram ejus vidit tantummodo: alioquin mentiebatur dicendo, *non vidi.*

746. *Vidi crudelius.* Bene se com-

747. Semper in hoc viro enitescit pietatis in Deos; et in suos cura, ad quam hic indicandam signata verba: non enim satis in cura Ascanii, Anchisæ, Deorum, verbum condere; sed *recondere*, et *valle*, et *curva;* et hæc, post *commendationem*.

749. Quæ præcesserunt, pietatis sunt; hæc fortitudinis; quæ par virtus in hoc duce. At, quam fortis! nihil excipit; omnia vult renovare; omnem Trojam lustrare: neque obversatur timor tot hostium, tot periculorum; neque vero timor capitis; nam hoc etiam objicit.

752. Remetiebatur viam suam Æneas, et oculos in omnem partem circumferebat. Itaque rediit ad murum, unde egressus; ad portam, qua egressus, relegens observata vestigia; et omnia lustrans lumine, id est, oculis suis; aliqui explicant, lumine incendii; non placent.

755. Duplex terroris causa, horror noctis, silentium omnium: hoc ipso innuit jam cessatum a bello, et vastata omnia.

756. Destinat paternas ædes revisere: iteratione illa, *si forte*, auget spem inveniendæ conjugis, et sibi animos ad quærendam addit. Sed quid ibi? *Irruerant Danai, et tectum omne tenebant:* ubi spes magna inveniendæ uxoris, ibi hostes.

758. Amplificatio παθητική: hoc enim additum malum ad ea quæ Æneas passus, ut ipse suis oculis cerneret domum propriam absumi: hoc scilicet deerat ad mala, quæ passus vir fortis.

760. Ab suis ædibus pergit ad sedes Priami, et arcem, in qua quia jam fuerat ea nocte, ideo *reviso*.

761. Narrat prædam, quam obiter vidit in asylo Junonis, cuique asservandæ præpositi Phœnix, et Ulysses: præda hæc duplex: prima, gaza erepta ex adytis; quam explicans numerat mensas Deorum, crateres ex auro solido, vestes et ornamenta simulacrorum: præda altera fuit imbelle vulgus puerorum, et fœminarum: itaque ibi tantum fuit præda per sacrilegium parta ex templis; nam civium bona omnia flammis periere: tantum imbelle vulgus puerorum et fœminarum; nam juvenes et viri aut occubuerunt ea nocte, aut fugerunt.

mendat futurus maritus, qui apud fœminam sic ostendit, priorem se amasse uxorem. *Serv.*

754. *Lumine lustro.* Oculos circumfero, non enim facem ferre poterat, quia proderetur. — *Ipsa silentia.* Ipsa quæ terrere non debent, præcipue inter hostes. Sed, ut diximus, naturalibus tantum cedit. *Serv.*

757. *Irruerant Danai.* Quos Venus ante prohibuerat: unde est, « et ni mea cura resistat. » *Serv.*

764. *Mensæque deorum.* Post-

768. Afferam verba Scaligeri explicantis et expendentis hunc locum : « ut profecto me horror capiat, atque etiam quatiat, ubi videre atque audire videor in nocte, inter hostes, fortem simul atque pium virum, etiam clamore charissimam uxorem quærere; talis ille suis. » Poet. III, cap. 11.

771. Non tam quærebat, quam furebat præ dolore, et *sine fine*. Ergo jam furenti homini simulacrum apparuit et Creusæ umbra, atque imago quædam augusta, et major quam mortalis fœminæ : non incidit poeta in vitium ταυτολογίας; in sermone enim mortuorum dissident simulacrum, umbra, imago.

774. Æneæ stupor ad hoc visum : stuporis duplex nota : prima, *comæ steterunt :* altera, *vox faucibus hæsit :* sed stupentem virum conjux lenit, verbis amicis curas amovens.

776. Aditus sermonis continet una cum sermone amoris notam : ait enim, *dulcis conjux*, *insanus labor* : est vero *labor insanus;* vel magnus; vel vere insanus; nam supra *sine fine furenti*. Pergit Creusa, et factum in Deos conjicit, *non hæc sine numine Divum Eveniunt*, ut desinat mœrere Æneas, qui putaverat sua fortasse culpa ablatam conjugem. Post mentionem Deorum in communi, signatius in Jovem factum conjicit: *Haud ille sinit superi regnator Olympi;* et *sinit*, ait, cum allusione ad auguria, aut omina.

780. Prædicit conjugi futuras primum calamitates, deinde felicitates : calamitates sunt exsilia, et vastorum transmissio æquorum, quibus ad Italiam perveniet, et signate ad eam partem Italiæ, ubi est Tyberis. Felicitates sunt, *res lætæ*, id est, res præclare ac feliciter bello gerendæ in Italia; *regnum* ibi comparandum; *conjux Lavinia* ex regio genere. Ideo absolvit, *lacrymas dilectæ pelle Creusæ*.

785. Sermo totus emphaticus : quæ *Dardanis*, quæ *nurus Veneris*, *ibo servitum Myrmidonibus*, *Dolopibus?* non ego superbas istorum ædes aspiciam.

788. Quanto melius mecum agitur, quæ una cum Deorum matre Cybele versor in cælestibus locis; quamobrem tu Æneas

quam excessere omnes adytis. Fortasse hæ sunt, quibus oracula reddebantur, quasque Græci τρίποδας vocant. Certe interpretes non ignobiles τρίποδας vertunt *mensas*.

775. *Tum sic adfari*. Infinitus modus pro indicativo, et hic versus in plerisque dicitur non fuisse.

783. *Regnumque, et regia*. Cur ergo Æneas horum non meminit, et considit in Thracia et aliis locis? *Serv.* Vide tom. II, pag. 350, Excursum XV, qui tractat de hac prædictione obscura.

vale, Ascanii cura tibi ante oculos obversetur; meus æque ac tuus est; ne patiare novercam aliquando in illum desævire.

790. Apparet in istis viri fortis πρέπον: solent alii terreri spectris mortuorum, etiamsi illi noti: non sic Æneas; parabat verba, quæ loqueretur, et brachia, quibus amplecteretur uxorem. Illa tamen et volentem loqui deseruit; et parantem complexus effugit, vento et somno simillima: hoc ter accidit.

795. Securus jam et certus de conjuge, et ubi illa esset, rediit ad socios, invenitque admirabundus magnum numerum eo affluxisse. Dares ter mille numerat supra quadringentos: in his erant *matres;* posuit nomen generale pro fœminis: erant *viri* bello apti: erant multi, qui puberes annos attingebant, collecti ad exsilium, ideo illos vocat *vulgus miserabile:* nam quam miseriam cum exsilio conferas? præsertim cum circumstantiis Trojani excidii. Omnes se et fortunas suas Æneæ commiserunt, ut quo ipse vellet, duceret per maria.

801. Albescente jam die propter ortum Luciferi, Græcis portas Trojæ cum armato milite obsidentibus, nulla spe salutis superstite, quid tandem Æneas faceret? cedit furori Græcorum, et petit montem Idam, sublato genitore in humeros.

789. *Jamque vale.* Recedentis significatio est: unde et mortuis dicitur, ut, « Salve, maxime Palla, Æternumque vale. » — *Nati serva communis amorem.* Quasi mater sollicita, quod dixerat eum aliam habiturum uxorem: bene ergo propter futuram novercam commendatur Ascanius. *Serv.*

799. *Undique convenere.* Videtur hoc loco tanquam omnium consensu regnum ad Æneam esse delatum. — *Animis opibusque parati.* Et volebant et poterant, vel fortes pariter et divites. *Serv.*

802. *Ducebatque diem.* Quia Lucifer lucis est prævius; hunc Plautus *diurnam stellam* eleganter vocavit. Vide Excursum XVI, de ortu Luciferi, tom. II, pag. 351.

804. *Cessi.* Hoc est, tantis difficultatibus vel malis; et proprie *cedere* dicuntur, qui patriam relinquunt. — *Sublato genitore.* Ubique inventa opportunitate pietatem suam erga patrem vult ostendere. *Serv.* Legendus est Excursus XVII, tom. II, pag. 351—356, qui fusius tractat de Æneæ discessu; de Anchise, Creusa, et Ascanio.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER TERTIUS.

(Vide Argumentum generale, vol. II, p. 357.)

ANALYSIS.

Eversa jam fumante Troja, Æneas Deorum auguriis, ædificata prius ad Antandrum et Idam classe, et contracta manu exulum, æstate prima a patria solvit; una secum sociis, et nato assumpto, tum etiam Penatibus, et Diis magnis; 1—12. Navigat primo in Thraciam, urbem condit, a se nominat, sacra facit parum prospera; 13—21. Nam quum verbenas colligit ornandis sacris, guttæ sanguinis ex radicibus fluunt semel, et iterum; inde Æneæ timor; 22—33. Nymphas adorat, putans læsisse; et Gradivum Thracum Deum. Convellit tertio, ac tum vox ex tumulo auditur, indicans ibi Polydorum sepultum; 34—46. Timet, et obstupescit Æneas: atque ex occasione narrat Polydori historiam, Polymnestoris perfidiam auri potentiam: demum rem ad proceres, et patrem refert; 47—59. Censent omnes inde abeundum, prius tamen Polydori justa celebrantur. Describitur apparatus horum sacrorum, fiunt inferiæ, anima conditur; quibus peractis, solvunt e portu; 60—72. Præmissa Deli chorographia, scribitur Æneæ in eam adventus: Anii regis, et sacerdotis comitas erga Trojanos; 73—83. Adoratio et preces Æneæ ad Apollinem Delium ex ritu vetere; 84—89. Fit tremor terræ ante oraculum, pavent Trojani, et procumbunt: auditur vox Phœbi admonentis, repetendum solum antiquæ originis, ubi regnaturi Æneæ posteri; 90—98. Exultant omnes ad vocem Phœbi. Anchises oraculum de Creta capit deceptus et Teucri incunabulis, quæ in ea insula; et terræ ejus ubertate: persuadetque illuc transmittendum; 99—117. Fiunt sacra ante cursum, ad quem etiam accenduntur milites fama pulsi e Creta Idomenei: ergo solvunt e Delo, legunt Cycladas, perveniunt ad Cretam; 118—131. Vix in ea pedem posuerant, quum urbem construunt, quam vocant Pergamum, naves subducunt, operantur sacris, accipiunt jura ab duce: sed subito immissa pestis homines et agros affligit;

132—142. Vult Anchises ad oraculum Deli redire, Phœbum consulturus: Penates apparent dormienti Æneæ; 143—153. Commemoratis prius officiis suis in Æneam, atque spe futuri imperii, oraculi mentem explicant, aperiuntque Trojanos ad Italiam revocandos, quæ et uberrimi soli, et Dardani patria; 154—171. Affirmat serio Æneas quæ viderat; sacrum perficit: refert omnia ad patrem, qui se male oraculum intellexisse ex locorum et parentum errore animadvertit; repetitque in memoriam, quæ ipse olim de Italia a Cassandra audierit, cui nulla tunc fides; 172—189. Solvunt e Creta, patiuntur per dies tres tempestatem fœdam, qua avertuntur a cursu Italiæ: quarto demum die terram e longinquo cernunt, quo cursum dirigunt, usi tantum remis, velisque complicatis; 190—208. Tempestate deferuntur ad Strophadas insulas in mari Ionio, quas Harpyiæ habitant, ex quo coactæ sunt relinquere mensas Phinei: in reliqua parte habetur illarum descriptio; 209—218. Ut pedem Trojani ponunt in insulis, boves sacros caprasque interficiunt, parant epulas, adsunt Harpyiæ, dapes diripiunt, fundunt proluviem ventris. Auditur illarum stridor, sentitur odor gravis; 219—228. Secedunt Trojani ad locum tutum, ut tuto edant, sed neque Harpyias fallunt. Deliberant bello confligere, parantur gladii, scuta. Adsunt illæ, signum editur, invaditur, sed recedunt tutæ, relictis iisdem fœditatis vestigiis; 229—244. Vaticinatur Celæno, fore ut Trojani ad Italiam perveniant; sed prius quam urbem condant, eo famis adigantur, ut mensas quoque absumant. His dictis abiit; 245—258. Pavent Trojani, precibus rem gerunt, non armis: Anchises inprimis manus tollit, Diis sacra indicit, et supplicat. Solvunt raptim incerti quo eant. Græcorum insulas, Ulyssis inprimis, vident, detestantur, fugiunt; 259—273. Adveniunt Epirum, ubi mons Leucates, ad quem Actium, et templum Apollinis, perficiunt sacra indicta prius in Strophadibus. Agitant ibi annum integrum, erigit Æneas trophæum armorum cum superbo titulo; 274—288. Solvunt inde, Buthrotum appellunt, ubi audiunt Helenum Priami filium regem esse in parte Epiri, ducta in matrimonium Andromache Hectoris vidua, expavescunt ad nuntium, ardent scire, eo contendunt; 289—300. Inveniunt Andromachen libantem inferias ad tumulum Hectoris, quæ visis Trojanis stupet, terretur, riget, labitur; 301—309. Jam ut loqui potuit, rogat, vivatne Æneas, an ipsa mortui simulacrum videat, in quod inclinans, quærit de Hectore. Respondet ille, vivum se esse: rogatque vicissim de pristina ejus felicitate, deque præsenti rerum statu. Indicat illa suam infelicitatem ex comparatione felicioris Polyxenæ; 310—324. Narrat deinde nuptias suas cum Pyrrho, repudium, Pyrrhi mortem, nuptias cum Heleno, hujus regnum: denique multa de Ascanio rogat; 325—343. In fletus desinit. Exit Helenus, Trojanos ad urbem ducit, convivio excipit. Tempus est navigandi aptum; 344—358. Scitatur Æneas Helenum de cursu in Italiam, harpyiæ prodigio territus; 359—368. Sacerdos juvencos cædit, solutis vittis, Ænea ducto ad limen oraculi, se ad longam futurorum narrationem accingit; 369—380. Prædicit longitudinem viarum, maris errores, at

pericula ante adventum in Italiam : suis Albæ omen, qua inventa, finis etiam viarum aderit; 381—393. Tria deinde monet : ne horrescat famem Harpyiarum : Græcas urbes effugiat, Locros, Salentinos, Peteliam : inter sacra caput tegat, qui ritus solemnis futurus posteris; 394—409. Loquitur jam de cursu, qui tenendus Æneæ : docet, ubi flectenda via ad lævam, ac tota Sicilia circumeunda. Cujus rei occasione narrat, Siciliam olim Italiæ cohæsisse, mox avulsam maris impetu inundante; 410—419. Sequitur descriptio Scyllæ et Charybdis ore Heleni; 420—432. Monet etiam, ut Junonem placet, Trojanis adversum nomen; 433—440. Ut Cumas veniat, Sibyllam adeat, (cujus obiter in canendo ratio describitur,) oraculum ab ea petat, quæ Italiam, bellique Italici aperiet principium, exitumque; 441—462. Vaticinio finito, Helenus magnis muneribus exornat Æneam, Anchisem, classem totam; 463—471. Jubet Anchises classem ad cursum comparari, ad quem sermonem dirigit Helenus, multisque extollit, a conjugio Veneris, a Deorum cura, a pietate nati; hortatur demum ad capessendam Italiam; 472—481. Affert Andromache dona Ascanio, quem quum videt, subit imago Astyanactis filii cum grata animi et sensus recordatione; 482—491. Discedit cum lacrymis Æneas, felicesque vocat, qui jam urbem condiderint : promittit gratum se fore, studiumque in Epirenses homines, et sui, et nepotum; 492—505. Solvunt Epiro, prætérlegunt montes Ceraunios, nocte adventante descendunt in litus, somnos capiunt, sed signum dante Palinuro, cujus diligentia hic commendatur, se iterum mari committunt; 506—520. Albescente cælo, Italiam a longinquo cernunt, salutant lætabundi, libat Anchises Diis, appellunt ad portum, hic describitur; 521—536. Ab equis visis omen sumitur belli futuri, et secutoræ pacis. Precantur Palladem, sacra faciunt Jononi : illam, quia ad ejus litus appulerunt; huic, quia Argiva; et velato capite ex rito. His perfectis, solvunt inde Græcorum metu; 537—550. Apparent inde Tarentum, Junonis Laciniæ templum, Caulo, Sylacæus, Ætna, Charybdis, Scylla : de extremis duabus fit a poeta mentio copiosior; 551—567. Appellit classis per imprudentiam ad portum Cyclopum. Describitur mons Ætna, tum igne et fumo horribilis; tum scopulis et saxis inde eructatis, formidandus; 568—577. Incendiorum Ætnæ causam petit a fabula Enceladi ibi sepolti : addit, quam inenmmode ibi noctem eam Trojani duxerint, audito Ætnæ fragore, et ex perpetuis horrendissimisque tenebris; 578—587. Albente die, fit illis obviam Græcus sordibus et squalore concitus : qui, visis Trojanis, primo timet, se deinde illis committit, fassus prius, quis sit, et nullum mortis genus reformidans, dum ne ibi relinquatur a Cyclopibus interficiendus; 588—606. Deinde supplex ad genua procumbit : Trojani ab eo tria quærunt, respondet ille; 607—622. Describit Achæmenides Cyclopis tum crudelitatem, tum ingloviem, duobus sociis Ulyssis interfectis, ac devoratis Deinde uti Ulysses ultus fuerit hanc cædem, perfosso gigantis oculo; 623—638. Monet Trojanos ut fugiant, quum non Polyphemus tantum, sed plures alii Cyclopes pari feritate ibi habitent. Deinde narrat ipse,

quod tempus ibi fuerit, quo pastus cibo, quo animo ad visam classem; 639—654. Inter hos sermones Cyclops ipse apparet agens pecudes; describitur ejus deformitas, adventus ad undas; ut lavet cruorem oculi. Trepidi fugiunt Trojani, persentit ille, horribilem tollit vocem, qua undæ tremunt, Italia terretur, Ætna confremit; 655—674. Adsunt statim e cavernis Cyclopes alii ad vocem Polyphemi: describitur illorum deformitas, et comparatur vastitas. Trojani præ metu quocunque volunt cursum dirigere, sed cavere tamen a freto siculo: quum subito Boreas classem in tuto locat: prætervehuntur illi Pantagium, Megaram, Tapsum; 675—691. Commeminit Arethusæ, et Alphei: et recenset loca, quæ classis legerit; 692—706. Classis appellit Drepanum, Anchises moritur, Æneas finem facit dicendi; 707—718.

EXPLICATIO.

1. Priusquam transeat ad errores suos, præmittit ἀνακεφαλαίωσιν, summatim attingens Trojæ casum, videlicet res Asiæ eversas; deletam Priami gentem; excisum Ilium; fumantem Trojam; in quibus omnibus miri affectus, crescente semper oratione. Magnum enim est ad dolorem, eversas esse res Asiæ, et gentem Priami; sed majus, occasus ipse, quo Ilium cecidit: multa enim everti possunt, quæ non concidant; sed adhuc eversio, et occasus nihil sunt, si Trojam fumantem consideres: quo verbo quid non calamitatis concipis? Crescit quoque extrema oratio circumstantia Numinis; nam fumare Trojam, quæ est Neptuni, luctuosissimum est: quasi dicat; nec Numen ipsum potuit urbem suam protegere, pugnante reliquorum Deorum turba; nam ideo supra, *visum superis*, qui nihil pendunt merita. Quale enim, et quam atrox est audire, *visum superis evertere gentem immeritam!* Nam quæ est ratio religionis et pietatis, si boni proterantur?

NOTÆ.

1. *Postquam.* Hæc particula connectendis adjungitur rebus: ut, « Postquam altos tetigit fluctus. » Sic enim dictis sequentia copulantur. — *Res.* Quamvis multa, prout locus exegerit, significet; modo tamen imperium: aut *res* hic pro universo statu Asiæ. Bene autem *Asiæ*, quasi orbis tertiæ partis: nam Phrygia in Asia est: Ilium in Phrygia Minore. — *Priamique evertere gentem.* Non est iteratio: nam potuit aliud sine alio fieri, ut vel Phrygia tota everteretur; vel solum Ilium. *Serv.*

3. *Humo fumat Neptunia Troja. Humo*, ab humo, id est, funditus: ut significet patriæ suæ solum quoque arsisse. — *Fumat.* Sane quæritur quomodo dixerit *cecidit*, et *fumat.* Sed aut per licentiam poeticam, tempus pro tempore posuit;

4. Necessarium hoc ex præcedente sermone; nam quid aliud facerent eversa Asia; conciso Ilio; fumante Troja? sed ecce in medio malo affulget lux; nam agunt illos Deorum auguria, quibus possis accipere jussa et imperia: vel vere auguria ex præcedente historia Ascanii in exitu lib. II, 680: nam flamma illa innoxia, et stella ducens facem eos compulit ad sedes mutandas: nam auguriorum nomine jam hæc omnia signantur, quæ scimus, doctore Julio Scaligero. Quid vero quærunt Deorum auguriis? *diversa exsilia, terras desertas*: dictum hoc, vel quod loca quæsivit Æneas deserta et vacua cultoribus, eaque condidit; vel respicit ad illud *hinc Dardanus ortus, huc repetit.*

5. Nam quo eant absque classe? hanc ad Antandrum et radices Idæ (suppetente ibi materia, quod jam loco Xenophontis illustravit Turnebus) compingunt cum magnis difficultatibus; ideo *molimur*, quo verbo inest vis difficultatis. Adjicit: *Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur,* quod magnum est ad dolorem: quid enim est calamitosius, quam exsules se pelago dare, et nullum habere locum, quo cursum dirigant, sed incerti ferantur per elementum tumidum et procellosum? Nautis sane laborem aut minuit, aut adimit spes portus obtinendi, quo si careant, qui adeant tam dirum monstrum?

8. Respicit ad id, quod dixerat ad exitum II lib. *Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum Invenio admirans numerum.* Hos itaque tumultuarie contraxit; est hæc forma militaris; et quamvis non commodo ad navigandum tempore, nam *vix prima æstas inceperat;* tamen Anchises fatis urgentibus, vult vela dari. Signate hic *prima æstas*, nam ea quoque, media, et extrema est.

ut, « Meminisse horret, luctuque refugit. » Aut certe naturam rerum expressit. Nam *ruina* fit brevi, *fumus* vero longo permanet tempore. *S.* Probus et Charisius solœcismum hic perperam notaverunt.

4. *Diversa exsilia.* Multi ad illud referunt: « Magnum quæ sparsa per orbem. » Constat namque diversas partes orbis tenuisse Trojanos, ut Helenus et Antenor. Sed melius est, ut specialiter hoc Æneæ daret, qui compulsus auguriis est, diversas terras, hoc est, in diversa regione positas; quærere: ideo, « Incerti quo fata ferant. » *Serv.* De variis Æneæ erroribus præstantem doctumque invenies Excursum I, tom. II, pag. 442—450.

8. *Contrahimusque viros.* Colligimus: eos scilicet, qui ad auxilium venerant. — *Prima æstas.* Accipe ver primum, id est, initium veris. Veteres, enim quum annum in duas tantum partes dividerent, eas nominabant hiemem et æstatem, abstinebantque a nomine veris et autumni. Vide Excursum II.

10. Quot hic πάθη! Rem tute expende. Incerti sunt de fine navigationis, certi de loco unde exeunt: patriam et Trojam deserunt, nulla spe redeundi: litora et portus cum mari commutant pleni dolorum et lacrymarum. In hoc hemistichio *et campos, ubi Troja fuit*, hærens Macrobius, *ecce*, ait, *paucissimis verbis maximam civitatem hausit et absorpsit, non reliquit illi nec ruinam*, quum illud tamen copiosissime dixerit II Æneid. Sequitur, *feror exsul in altum*, cujus verbi πάθος nemo capit, nisi qui magna capit. Qui vero comites in hoc exilio? humani, et divini: illi duo, *socii et natus;* isti item duo, *Penates, et Dii Magni*. Abjunge hæc: itaque non dicit, Magni Dii, Penates per appositionem; nam alii sunt Penates a Magnis Diis.

13. Prima navigatio Æneæ ex Antandro Phrygiæ per Hellespontum ad Thraciam fuit. Hujus duplex est commendatio; et quod Mavortia, id est, bello et armis potens; et quod frumentaria; nam campi vasti, et qui arabantur, et serebantur, frugiferi perinde intelligi debent: quæ sequuntur, annecti debent cum præcedentibus, in hunc modum: terra hæc fuit Mavortia; habuit quondam Lycurgum Regem acrem, militarem, sævum: et quia frugifera, fuit *hospitium antiquum Teucris, sociique Penates:* nam quo se melius Trojani reciperent? Sed addit ad πάθος, *Dum fortuna fuit*, ita scilicet humanæ res. Sunt hic *socii Penates*, tecta socia, lares socii.

16. Huc perlatus Æneas in ipso litore oppidum condit, quod a se primo conditum vocavit Æneadas; alludit quippe ad Ænum oppidum. Sed habuit fata parum æqua et propitia, imo iniqua: dicit hoc, propter historiam Polydori, quam statim subjicit.

19. Quo se muniret adversum fatorum iniquitatem, sacra

tom. II, pag. 450—456, ubi errores Æneæ in annos suos cum exquisita doctrina dispertitur Heynius.

12. *Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis dis.* Duo humana posuit, et duo divina: patris non fit mentio, quia secundum Virgilium ad Italiam non venit; vel quia jam eum nominaverat.

15. *Hospitium antiquum.* Aut carum; aut re vera antiquum: nam tanta inter ipsos familiaritas fuit, ut Ilione filia Priami, Polymnestori nuberet Thracum regi. *Serv.*

16. *Dum fortuna fuit.* Scilicet bona; et simul ostendit fidem cum felicitate deficere. Sane sciendum, quod quotiescunque *fortunam* solam dicimus, felicitatem intelligi. Quum florent opes et fortuna, amici suppetunt; illæ ut fugiunt, isti avolant.

19. *Sacra Dionææ matri.* Veneri, a matre Dione secundum Homerum. — Primo invocabam auxi-

vult perficere matri Veneri, Divis aliis, Jovi inprimis, cui vult mactare taurum nitentem, id est, pinguem.

22. Ut det occasionem sequenti prodigio, inducit Æneam accedentem ad tumulum, ubi nata *virgulta cornea*, ubi *myrtus horrens hastilibus*: tam corna quam myrtum, vocat *sylvam viridem*. Hanc voluit convellere eo consilio, ut ramis aras tegeret ad dignitatem et honorem sacrorum.

26. Comparat lectorem ad prodigium carmine pleno horroris. En prodigium: evulso enim primo virgulto, sic arborem vocat ad αὔξησιν, et fractis radicibus, sanguinis atri guttæ inde exstiterunt, quæ corrupto cruore (tabum vocat) terram macularunt. Sequitur duplex timoris nota, scilicet horror membrorum, et coitio sanguinis præ timore. Physice autem horroris causam exhibet, qui nimirum fit ab fugiente sanguine, fluenteque ad præcordia: ideo membrorum horror, quo concussus, frigidus dicitur, fugato jam inde sanguine: et sanguis ipse etiam gelidus quum coit: vere omnia, et docte.

31. Iterum aggreditur, et iterum terretur simili monstro. Notant interpretes impigrum Æneæ studium in causis latentibus explorandis: non enim ita terretur, ut cadat animo, nam bis, aut ter eamdem rem tentat. Dictum *penitus* cum respectu ad intus latentes in radicibus causas.

34. Æstuans Æneas sollicitudine successus formidandi, sese ad preces convertit, venerans Nymphas et Martem: illas, quia credebant veteres poetæ Nymphas Hamadryadas arboribus præsidere, et una cum illis crescere, ibique latere; atque adeo putare potuit Æneas sanguinem illum fluxisse ex corporibus Nympharum ibi latentium: Martem vero, quia is præses Thraciæ. Getica enim arva, Thracia interpretatur Turnebus; nam

lium maternum, deinde aliorum deorum, qui auspicio novorum fundamentorum essent necessarii.

20. *Auspicibus cœptorum operum*. Jovi, qui arcis deus est: Apollini, propter auguria: Libero, quasi causa libertatis: nam dii alii, si invocentur, ad privatam pertinent causam. Sed *auspicia* omnium rerum sunt; *auguria* certarum: *auspicari* enim civis, etiam peregre licet; *augurium agere*, nisi in patriis sedibus non licet. Peritissime ergo Virgilius veteris consuetudinis meminit, quum facit Æneam, quia peregre, id est, in Thracia agit, auspicantem, id est, « Auspicibus cœptorum operum. »

35. *Gradivumque patrem..Gradivum*, exilientem in prælia; quod in bellantibus sit, necesse est. Aut gravem deum patrem: aut ideo, quia apud Pontifices, Mars *pater* dicitur. Alii *gradivum*, quod gradum inferant, qui pugnant: aut quod impigre gradiantur. Alii *gra-*

Thraciæ partem olim Getæ tenuerunt, auctore Thucydide. Quid vero precatur? *Rite secundarent visus, omenque levarent;* id est, ut prospera facerent visa illa, et omen bonum ac leve.

37. Fortem, et virilem animum, et qualem in suo Ænea repræsentat Virgilius, nihil potest impedire, quo minus extrema omnia tentet. Est vero admirabilis hypotyposis in illis, *majore nisu*, et *obluctor genibus adversæ arenæ*. Putat enim lector, se non tam audire quam videre connitentem obluctantemque hominem cum radicibus alte defixis. Itaque possis sermonem hunc Virgilii, et plures alios, vocare ζωγράφον λόγον cum Nazianzeno, orat. VI, id est, *pingentem orationem*.

39. Finge similem tibi casum accidisse; nec egebis expensore alio ad capiendum poetam. *Reddita vox*, est data, ait Servius.

41. Oratio plena commiserationis, qua petit sibi sepulto jam parci, præsertim ab homine pio: quasi dicat; qui pius es, et piis manibus, cur miserum laceras? cur non parcis sepulto? cur inquinas pias manus scelere cruoris mei? Sequitur, *non me tibi Troja externum tulit*. Est hæc ratio, cur debeat Æneas abstinere ab illa laniena: non tibi externus sum, sed propinquus, sed cognatus, sed Trojanus: itaque hic sanguis a me manat, non aliunde.

44. Attingit duo crimina; quæ intervenerunt in hac cæde, crudelitatem et avaritiam: posterior priorem peperit. Rex enim Thraciæ Polymnestor auri cupiditate inductus in sævum facinus exarsit. Pulchre vero, quæ Regis sunt vitia, attribuit universæ Thraciæ; ergo fuge terras crudeles; terras avaras, ne tibi sævum aliquid accidat, ut mihi Polydoro, qui hic telis confixus sum, e quibus ista densissima jaculorum seges inhorruit.

47. Timorem ponit, et stuporem: hos affectus sequuntur cognati duo; nam stantes comæ, timorem; vox hærens faucibus, stuporem: quum enim tantum est timor, quivis experimento scit, tantum erigi comas; quum stupor; majus malum, vocem adimi.

divum, quia nunquam equester, a *gradu* dictum, quod huc et illuc gradiatur; unde Martem communem dici.

39. *Eloquar, an sileam?* Parenthesis notanda, qua magnitudinem monstri ostendit, et bene auditorem attentum vult facere. *Serv.*

45. *Polydorus ego*. Sive *ego* distinguas: sive *ego hic;* subaudias *sum* necesse est: et quasi *δεικτικῶς*, id est; Polydorus sum, non stipes. *Serv.* Excursus III adeatur de illo, tom. II, pag. 456.

49. Occasione auditæ ex tumulo vocis, narrat ipse historiam Polydori, qui furtim missus ab Priamo est ad Polymnestorem Regem Thraciæ, ut ibi aleretur in spem regni Phrygum: missus vero est cum magnis opibus, tum ne educatio juvenis Regi Thracio gravis esset, aut molesta; tum etiam, ut si de florentissimo imperio actum esset, pecuniæ ibi ad futurum eventum repositæ essent. Sequitur duplex causa, cur filium Priamus alio mandaverit, videlicet et Trojanæ potentiæ vires languidæ, et hostium virtus urbem obsidentium.

53. Cum fortuna, id quod assolet, mutatus quoque Polymnestor est. Fidem Trojanam deserit; sequitur Græcam potentiam; abrumpit fas omne, id est, omnia divinarum et humanarum legum jura perfringit; Polydorum obtruncat; auri pondus ad usus suos convertit. Inde occasio erumpendi in verba illa plena conquestionis; *quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Nam quod est officium, quod auri cupiditas non violet? quod facinus tam exsecrandum, ad quod non sæpe mortales impellat? Sed qui hic *obtruncat*, quum supra sagittis confixum innuat? Credamus confixioni illi adjunctam carnificinam barbarorum, qui misere Polydorum excruciarint decurtatione membrorum.

57. Reversus ad se Æneas ex pavore nimio et mentis consternatione, rem refert ad populi principes sibi jam ad consilium delectos, et parentem inprimis, idque ex summo decoro tum dignitatis, tum ætatis: dignitatis, quia pater; ætatis, quia senex; atque adeo in illo esset et amor ad consulendum, et senilis sapientia.

60. Sentiunt omnes, inde excedendum; linquendam Thraciam; incumbendum pelago : proprie *terra scelerata;* scelus enim cædem respicit : proprie etiam *pollutum hospitium*, propter jus hospitalitatis violatum : nam *polluo* de sacris dicitur, et *pollutæ cæremoniæ* passim in auctoribus : in illis *dare classibus Austros*, hypallagen agnosce; pro, dare classes Austris.

50. *Infelix.* Aut qui jam infelix esse cœperat; aut cui etiam provisa nocuerunt : aut *infelix*, quia superstes liberis fuit; aut quia illi perfidia non ab hostibus tantum est. — *Furtim;* ne Græci scirent. — *Mandarat;* est amoris signum. *S.*

53. *Ut opes fractæ, et fortuna.* Bene utrumque innexuit; sæpe enim alterum sine altero valet, aut opes, aut fortuna. *Serv.*

57. *Auri sacra fames. Sacra*, execrabilis : alii *sacra* devota accipiunt, unde et *ver sacrum* : alii *sacrum* pro *scelestum*, vel *sacrilegum*. Sane sciendum latenter Æneam hoc agere, ut Trojanos Didoni ex infelicitatis similitudine commen-

62. Ante abitum conditur rite Polydorus. Itaque instauratur illi funus, id est, renovantur funeralia, et de novo constituuntur, ut bene, et ex ritu condatur, qui male et tumultuario opere conditus fuerat. Sed quæ cæremoniæ hujus funeris? Primo *aggeritur tumulo ingens tellus :* ut quo major terræ copia, et densior aggestio, eo tutius sit cadaver : deinde *aræ stant Manibus*, id est, statuuntur aræ in honorem Manium Polydori; et aræ quidem tum vittis cærulei coloris cinguntur, adornanturque; tum etiam cupresso, quæ arbor atra est, id est, funesta ac feralis. Tertio adsunt Iliades, quæ mortuum lugeant, et illæ ex more solutis comis. Post hunc ornatum atque apparatum fiunt jam quarto inferiæ, et ideo signate *inferimus.* Constabant istæ inferiæ tum recenti lacte, et nuper expresso; tum etiam sanguine mactatarum hostiarum, quæ duo in honorem defuncti inferebantur, id est, effundebantur. Quinto, hoc facto anima putabatur jam rite esse condita : ideo signate, *animamque sepulcro Condimus :* quasi una cum lacte et vino infusis in sepulcralem fossam animus quoque prius vagans, eo adigi, atque includi putaretur. Sexto fit discessio illis vocibus, χαῖρε, οὖλε, *salve, vale :* hoc enim est, *magna supremum voce ciemus;* id est, commovemus excitamusque omnes simul magnis vocibus supremum vale. Aliqui hic intelligent voculam *ilicet*, de qua alibi.

69. Ubi jam tranquillo pelago fides dari potuit, cujus rei duplex signum : primum, et maria esse placata, cessantibus hibernis ventis; alterum, Austrum, qui lenis est, invitavisse nos suavi quodam flatu; non hoc est *crepitans :* ubi, inquam, hæc jam nobis fides ad navigandum accepta est, socii naves e sicco ad portum deducunt, et Thraciam linquimus.

73. Æneæ cursus fuit e Thracia in Delum insulam, quam Poeta non nominans ita describit per versus quinque, ut ea

det : nam et ejus marito frater, auri caussa intulit necem. *Serv.*

65. *Crinem de more.* Aut de more gentis, ut etiam in Ægypto est : aut certe de more plangentium. Erat hic habitus flentium fœminarum. Hunc ritum exemplis illustravit Kirchmann. de Funeribus Romanorum, lib. II, 12.

70. *Lenis crepitans auster.* Duo epitheta posuit vitiose, ut apud Latinos constat. Fecit autem hoc improprie in decem versibus. *Serv.*

72. *Terræque urbesque recedunt.* Physicam rem dicit : hoc enim navigantibus videtur, quasi ab his terra discedat. Hanc opinionem attingit Cicero in Lucullo; eodem autem verbo utitur Ovid. Met. XI, 466 : « ubi terra recessit Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus. » — Vide Ovid. Met. VI, 512.

necessario debeat intelligi, nulla alia. Præcipuæ partes descriptionis sunt; sitam esse in medio mari Ægeo; erravisse prius per pelagus circum oras et litora; mox revinctam cum Mycone et Gyaro, immotam constitisse, idque Apollinis opera. Duo primi versus continent poeticam, et amœnam dilatationem, qua Delos dicitur sacra et grata utrique maris numini, videlicet Doridi et Neptuno; illa mater Nereidum dicitur, hic Ægeus.

78. Ad hanc ergo Æneas delatus est insulam, cui portus erat placidus tutusque ab omni ventorum flatu. Egressi Trojani, venerantur statim urbem Delon. Ita interpretantur Germanus et Servius, quia videlicet idem erat nomen et urbi et insulæ. Vide Excursum IV de Delo, tom. II, pag. 456; et de Anio, ibid, pag. 445.

80. Describitur ornatus Anii occurrentis Trojanis: erat redimitus vittis, quia Rex; lauro, quia Apollinis sacerdos: sic explico: non me latet, vittas quoque ad sacerdotem pertinere; sed non video, cur non possim hanc vocem deflectere ad signanda Regum diademata; nam hæc nihil aliud, quam vittæ et fasciæ; est autem concinnius, ita poetam accipere, propter consecutionem rerum, quam ille sæpissime solet servare. Pergo; *veterem Anchisen agnoscit amicum;* hoc κατὰ σιωπώμενον, ait Servius; nihil enim præcessit, unde hoc sciamus. Certe credibile est, ad Trojam, ut totus Asiæ opulentissimam et magnificentissimam urbem, solitos commeare ex vicinis urbibus et insulis plures. Inde fortassis cognitio Anchisæ, atque Anii, nisi quid altius ex historia latet; sequitur, *jungimus hospitio dextras,* etc. inest in his nota hospitalitatis, videlicet manuum conjunctio ad invicem, atque innexio: hoc facto, jam ut veri hospites subeunt ad urbis tecta.

84. Ut ad templum Apollinis, procedit Æneas adorabundus. Hic verba *venerabar,* et *saxo vetusto,* signata sunt, et plena eruditionis, de quibus, ut mox de *Thymbræo,* vide, T. II, p. 367.

85. Orationem hanc Æneæ mire sibi in verbis respondentem ita explico: Da, o Apollo, domum, ubi sit genus nostrum; da mœnia, intra quæ sit urbs; et domum quidem *propriam,* id est, æternam, ut et urbem *mansuram.* Primum pertinet ad privatam uniuscujusque, alterum ad publicam omnium utili-

81. *Vittis et lauro. Vittæ* sacerdotis sunt: *laurus* vero etiam imperatoris victoris. *Serv.* Apollinis insignia erant vittæ et laurus. — *Occurrit.* Magna benevolentia, ut rex et sacerdos non expectaverit peregrinos ad se venire, sed ultro occurrerit. *Donat.*

tatem. Itaque quamvis conjungat, *da domum*, *da mœnia*, non dubium, quin domus respiciat genus; mœnia urbem. Pari innexu expendenda, quæ sequuntur: qui enim petivit domum ad retinendum genus, subjicit sibi respondens, *serva relliquias Danaum*, *atque Achillis:* hoc enim quid est aliud, quam Trojanum genus? qui petivit mœnia ad urbem, etiam consentanea subjicit, *serva altera Trojæ Pergama.* Quæ deinde procedunt, eadem ratione sunt explicanda hunc in modum: *Quem sequimur* Trojani? *quo jubes ire* Trojanos? en genus: *ubi ponere sedes?* en urbs et mœnia. Ergo, *Da pater augurium*, *atque animis illabere nostris;* quæ in verba Servius, *cum intelligentia oraculum postulat.*

90. Fusis precibus Æneæ, et ante auditum oraculum tremunt omnia; videlicet *limina*, *laurus*, *mons*, *cortina*. Hæc eo puncto temporis tremuerunt, quo *reclusis adytis* edendum erat oraculum: hæc enim veterum opinio fuit, ut semper cum strepitu audiretur, terrore, minis; ut pavefacti mortales, aliquid inesse divinum existimarent in his responsis: inde voces ad terrorem, *tremor* et *mugitus.* Ab pavore secuta consternatio; submissi enim terram petunt, et ita oraculum excipiunt.

94. Sequitur oraculum, quo monetur Æneas Italiam quærere; sed Italia non nominatur, tantum adducuntur signa, quibus intelligatur Italia, ex more oraculorum, quæ nunquam rem aperte, sed cum dolo et ambignitate signabant. Signa notatæ Italiæ sunt: primo vocari Trojanos *Dardanidas* ab Dardano, qui ortum habuit in Italia: deinde, dici *tellurem primam*, et *matrem antiquam*, ubi non est pleonasmus. Posset enim esse prima, et non antiqua; ac rursum antiqua, et non prima;

89. *Da, pater, augurium.* Paterno animo infunde animis nostris aperta et perspicua oracula. Usus est autem imperativo *da* et *illabere*, quod est deprecantis ex fiducia Apollinem, qui Trojanis favebat. — *Da;* ostende. *Donat.*

91. *Liminaque. Que* brevis, est pro longa posita: quæ hac ratione defenditur: aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, et his licenter uti possumus: aut certe, quia omne μόριον, id est, particula, quæ sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis; quod si est, *liminaque*, quasi una pars orationis est: et potest *que*, finalitatis ratione, vel produci vel corripi. *S.*

94. *Dardanidæ.* Ut diximus, obscura quidem, sed vera sunt omnia: nam dicendo *Dardanidæ*, ostendit Italiam, unde Dardanus fuit: quod si Cretam significaret, *Teucriadæ* diceret. — *Duri.* Vel futurum ostendit laborem: vel eorum arguit insipientiam, qui intellecturi non fuerant. *Serv.*

dicta hæc sunt propter eumdem Dardanum : tertio, elogium feracitatis, quod unice quadrat Italiæ : itaque non tam ut novi incolæ eo advenient, quam ut veteres et αὐτόχθονες, eo reducentur, ideo *accipiet reduces*. Vocem *duri* refer ad immensam laborum seriem, quibus Trojani vexati, afflicti, pressi : illud, *prima ab stirpe parentum*, habet causam et effectum; ideo prima, quia ibi stirps parentum.

97. Post laborem quærendi aderit quies : nam ibi erit *domus Æneæ*, intellige genus Cæsarum. Inde *dominabitur cunctis oris :* hac promissione quid splendidius? præsertim si expendas, illam attribui oraculo. Hæc vero tanta gloria in omnes posteros redundabit : hoc enim signatur extremo versu.

99. Poesin suam variis affectibus poeta discriminat, quos ante oraculum pavidos, jam post illud exultabundos vides : hæ peripetiæ mire alliciunt lectorem : fuit itaque *ingens lætitia*, et hæc non se intra pectus continens; sed cum omnium *tumultu :* nam simul *cuncti quærunt*, en tumultus; *quæ sint ea mœnia, quo Phœbus errantes vocet*, id est, revocet, *quo jubeat reverti*, respicit quippe ad vocem *reduces*, qua usus Phœbus.

102. Ex magno decoro dantur Anchisæ, quæ pertinent ad cognitionem vetustatis : ideo inducitur *volvens monimenta veterum virorum*. Præclare vero senex ad juvenes, *discite spes vestras*, quibus ipse destituitur jam capularis, et pæne ad ostium.

104. Adhibet Anchises argumenta, quibus ipse putaverit oraculum capiendum de Creta : oraculum, si consideres, duas præsertim continuit notas; videlicet, eam esse terram petendam, in qua esset prima stirps parentum; deinde quæ feracitate præpolleret. Ergo Anchises, Cretam, ait, Phœbus jubet, quæ est in medio ponto; nam ibi *mons Idæus, et cunabula nostræ gentis;* en stirps prima : ibi *urbes magnæ centum, et regna uberrima;* en feracitas.

107. Posuit stricte stirpem, jam late explicat : ibi, ait, natus

100. *Lætitia*. Propter promissam imperii æternitatem : fiois enim auspicii in demonstratione comprehensus, dedit petentibos lætitiæ optandam gratulationem. *Serv.*

104. *Creta Jovis*. Jovem in Creta natum, certum est : ideo Creta dicta ejus insula, et ipse *Creticus*. Non temere qoærit Servius, cur *medio ponto* dixerit Virgil. Neque insulse dobitationem solvit, dum tot maria enomerat, quæ Cretam insulam adluunt. Vide Excursum V, tom. II, pag. 457, obi narraotur Teucri et Teucrorum e Creta origioes.

107. *Maximus unde pater*. Fallitur : nam antiquior dicitur Dardanus. Alii *maximus*, *antiquissimus* tradunt; per *patris* autem appella-

est Teucrus; inde ad nos advectus est, eligens sibi locum futuro regno : nam tum, quum ille advenit, nondum Ilium erat, nondum Pergamus Ilium muniens; nam *habitabant imis vallibus.*

111. Posuit stricte feracitatem; jam et hanc late explicat. Cybele, quæ est Dea urbium, in Creta culta est : ibi æra Corybantum : ibi Idæum nemus, ubi habita hæc sacra : ibi fida in sacris silentia mire et rite servata : ubi leones subiere currum Cybeles, ibi gesta hæc omnia, et inde ad nos translata. Hæc, ut dixi, ad feracitatem pertinent; nam Cybele urbium Dea nullam sedem commodiorem sibi potuit eligere ad sua sacra, et ad suos Corybantes, quam eam insulam, ubi tot urbes amplæ, numerosæ, uberes. Hac luce Virgilium illustravimus, ne videatur loqui sine ordine : confusio enim non est hujus vatis.

114. Sequitur conclusio totius sermonis qua hortatur ad cursum; primo ab necessario et honesto; *Divum ducunt qua jussa, sequamur.* Hoc ut recte fiat, *placemus ventos* sacro aliquo, et sic *petamus regna Gnossia.* Deinde à facili, *nec longo distant cursu;* præsertim favente Jove; sic enim tertia ab hinc luce Cretam attingemus. Sunt, qui hic lucem non capiant pro die, sed proprie : nam qui permensi ea maria, experti sunt, biduo perfici cursum illum vento aspirante : ut dicat Anchises; biduo perficiemus cursum, ita ut ad exorientem diei tertii lucem ibi simus.

118. Parat Æneas ante iter militem suum sacrificio, ut cursus sit felix. Ergo, *mactavit honores meritos aris*, id est, sacrificia consentanea cujusque Dei aris : nam *Neptuno taurum mactavit;* taurum etiam Apollini; *Hyemi nigram pecudem, albam zephyris felicibus.* Sunt ista cuique horum numinum sacra consentanea, et merita.

tionem, majorum cognationem ostendit. — *Si rite audita recordor.* Bene dubitatione excusat errorem.

109. *Optavitque.* Elegit : ut, I, 429 : « Pars optare locum tecto. »

111. *Hinc;* de Creta, unde venerat Teucer. — *Mater cultrix Cybelæ. Mater* proprie; magna mater omnium; *cultrix* autem *Cybeli*, montis Phrygiæ, in quo colitur, a quo *Cybele* dicta est. Alii dicunt *Cybelum* sacerdotem ejus primum fuisse in Phrygia, et ab eo *Cybelen* dictum. *S.* — Legerem, si per codices liceret; *hinc matris cultus Cybeles.* — *Corybantiaque æra.* Corybantes ministri fuerunt Cybeles. Hi sonitu cymbalorum sacra Deæ hujus peragebant. Inde *κορυβαντιᾶν*, *furere*, ac insanire, et divino furore percelli.

115. *Placemus ventos.* Non quia tunc essent asperi, sed ut deinceps illis prosperis utantur. Facit autem rem facilem a brevitate navigationis. Nunquam veteres se mari committebant sine hoc munimine. —

121. Pertinent hæc ad excitandum alacritatem in animis militaribus : nam qui Trojani Cretam irent, ibi Græco hoste dominante? Deinde hac ipsa fama pulsi e Creta Idomenei, firmatur, quod Anchises dicebat, oraculo Cretam intelligi, quasi Dii eo ipso locum pararent Trojanis venturis. Placet vero distinctio hæc, ut legas Cretæ litora deserta esse hoste; non, hoste vacare domos : ait, Idomeneum cessisse regnis paternis, quia in Creta pater Idomenei regnaverat.

124. Hac fama excitati milites Delum protinus relinquunt; pelago, non tam navigant, quam volant : cursum tenent celerrime per medias Cycladas (harum poeta quatuor tantum adducit nomina, Naxi, Donysæ, Oleari, Pari, tres earum consentaneo, ut cujusque est natura, attributo afficiens) perque illa non tam maria, quam ex tot interjectis insulis *freta*. Cur hæc dicantur *concita* notis explicabo.

128. Nautæ suo se celeusmate (nam hoc est, *clamor nauticus*,) exhortantur in cursu, usurpato sæpius Cretæ nomine, et proavorum, ad quos irent. Ventus felicissimus fuit; nam hic *a puppi*, et tandem tranquilla admodum navigatione, (nam hoc signat verbum *allabimur*,) ad Cretam perveniunt.

132. Vix pedem in Creta fixerat, quum avidus condendæ optatæ urbis, sic quippe conjungit Servius, muros molitur, eamque urbem vocat Pergamum, ut eo cognomine Trojanos suos reddat lætos alacrioresque ad pristinam fortunam. Hortatur socios, ut *focos ament*, id est, ut quisque sibi domicilium paret, et privata tecta : ut *arcem tectis attollant*, acropolim signat, ut perfectissima sit urbs. Constructis enim domibus, restat arx attollatur, quæ præsidium sit tectis, atque adeo toti urbi. Deformant aliqui loci hujus interpretationem, quum poeta nihil aliud dicat, quam; hortor, ut domos construant, illisque arcem superimponant.

135. Omnes fere naves, inquit, subductæ jam e mari erant

Gnossia regna. Cretensia, a Gnoso civitate ejus.

127. *Legimus*. Præterimus : ut, « Litoraque Epiri legimus. » Tractus autem sermo a nautis, quod funem legendo, id est, colligendo, aspera loca prætereunt. *Serv.* — *Freta concita*. Multi *consita*, multi *concita*. His hæreo : certe illud genus epitheti insulis potius conveniret, quæ disseminatæ et sparsæ dicuntur per pelagus, quam fretis : ergo legamus *concita* cum Servio, Donato, aliis; et apte : freta enim tot insulis interjecta, non possunt non esse concitata crebris undarum reciprocationibus. *Cerda*.

134. *Arcemque*. Quæ præcipue amavit in Troja, hæc reparare cupiebat. *Donat.*

in siccum litus: jam omnis juventus sacris operabatur ad connubia ineunda, ad nova arva colenda: jam ego illorum princeps *jura domosque dabam*, id est, jura condendis domibus, dividendisque domiciliis. Clarius: dicebam quo jure quisque esse deberet; non enim principes debebant æquo esse jure cum plebe, neque æqua spatii parte ad condendas ædes, quum potius deberent excellere spatio loci, et ædium magnitudine. Pergit *subito quum*, etc. Sententiam sic concipe; *quum subito venit lues*, ac perinde *annus lethifer*: lues ista *tabida hominibus, miseranda arboribus ac satis*. Sic dispono, ut tabes respiciat homines, quos intelligit per *membra;* miseria et calamitas, agros: itaque hominibus fuit tabida, agris miseranda: adhibet causam pestis, *ab corrupto cœli tractu*.

140. Dixit strictim, pestem illam fuisse tabidam hominibus, agris miserandam: hoc jam explicat: fuit tabida hominibus, quia aut moriebantur, aut erant ægro corpore: miseranda agris, quia Sirio urente steriles fiebant; quia herbæ arebant; quia seges ægra, id est, tacta ab lue, victum negabat. In quo etiam sibi respondet; nam exustio agrorum est pro morte hominum, ægritudo segetis pro ægris corporibus. Nihil hoc vate concinnius.

143. Vult Anchises precari veniam oraculi male interpretati; ideo contendit redire in Delum, et remetiri pelagus, ut iterum adeatur oraculum. Ex duplici dictione disjuncta *ad*, et *ire*, conjunge verbum *adire oraculum:* nam hæc est phrasis Maronis lib. VII, *oracula Fauni Fatidici genitoris adit*.

145. Triplex petitio, quam cogitant deferre ad Apollinem: prima, ut modum statuat erroribus Trojanorum: altera, quod auxilium expiandæ pesti: tertia, quo cursus dirigendus ad quietem.

147. Consulit hic suo duci Virgilius, et semper credo cum respectu ad Augustum; nam hic ab illo se genus ducere credi volebat: et hæc fortasse causa, cur Anchisen in interpretando errantem induxerit, ut unus Æneas rem explicet, et dignus censeatur, cui appareant numina. Itaque ait Æneas, in nocte, et quum altior est somnus, visas sibi jacenti in lecto dormienti-

143. *Rursus.* Pater, qui prudentia alios præibat, primus sensit aliquid factum contra præcepta Apollinis. *D.*—*Oraclum*, pro oraculum, quod habent antiqui codices.

147. *Nox erat.* Virtutes animi sui et meritum, gratia deorum commendat: et ostendit, quod cæteris dormientibus, ipse acriter rebus publicis invigilaret. *Donat.*

que sacras Deorum effigies, videlicet Penates ipsos, quos Trojæ, ab incendio extulerat. Credidit autem vera esse quæ videbat, ab splendore, qui semper comes numinum; ideo, *multo manifesti lumine.* Hæc lux erat a Luna, quæ tunc plena suos radios fundebat insertim per fenestras.

135. Præclare *affari*, de Diis hoc loco, ut qui παραμυθίαν afferrent: ideo sequitur, *et curas his demere dictis.* Hic subaudi verbum, ut dicat, cœperunt affari, et demere; nisi malis recurrere ad morem scriptorum; quasi affabantur; demebant.

Locus attentionis, *canit hic Apollo:* atque etiam benevolentiæ ab officio Dei, qui Penates ultro mittat, ne iterum cogantur redire ad Delum.

156. Procedunt hæc jam non ex officio Apollinis, sed ipsorummet Penatium: qua officiorum commemoratione efficiunt, ut Æneas credat eosdem se in posterum erga illum futuros, quales jam fuerint: nam quantum est, Deos sequi hominem exulem, idque per maria tumida, et longis peregrinationibus, quæ indicantur voce illa *permensi!* Hæc qui fecerint, quantam spem injicient rei bene sperandæ!

158. Duo dicit; primum, *tollemus in astra venturos nepotes:* alterum, *dabimus urbi imperium*, illud dictum propter Julium jam in astra relatum, quum hæc scribebantur a poeta: alterum propter Augustum tenentem Romæ imperium: nam hic per *urbem* Romam cape: ait *idem* pro, iidem, ex usitata crasi. Quæ sequuntur, *tu mœnia Magnis Magna para*, respondent præteritis: quasi dicat; qui habiturus es cælestes posteros, et vere magnos; qui sub illorum imperio urbem orbis principem; age, ne laboribus frangere, mœnia para tam magnis nepotibus. Næ illi nauseam movent, qui vocem *Magnis* referunt ad Penates.

161. Continent hi duo versus summam mandatorum.

163. Hi quator versus explicati jam atque illustrati lib. I Æneid. ubi primum dicti ore Ilionei in sermone ad Didonem. Inde itaque petenda tam explicatio, quam illustratio.

167. Hæc, quia longiuscula, Vide notas, tom. II, pag. 377,

154. *Quod tibi delato.* Ne geminetur labor redeundo, Apollo facit, ut hæc referentibus nobis, hic audias, quæ apud eum esses auditurus. Magnus ergo numinis favor: non rogatur, et favet. Non navigas, neque domo egrederis; ei dei jussa, famulantibus diis, ad tuas aures veniunt. *Donat.*

161. *Mutandæ sedes.* Argumentum a necessitate: simul arguitur error Anchisæ. *Serv.*

et Excursum VI, ibid. pag. 458, ubi has origines dedimus.

169. Monet a somno surgat, lætusque rem ad patrem deferat, ne ille velit reverti ad Delum, neque dubitet quæ sunt firmata numinum auctoritate. Ac demum *require*, aiunt, *Corytum, et terras Ausonias; Juppiter* enim *negat tibi arva Dictæa:* ideo *require*, quia relicta semel a Dardano ejus posteri iterum quærunt: ideo *Corytum* partem provinciæ, ne error alter procreetur ex magnitudine locorum, ait Servius: ideo *terras Ausonias*, ne, si Corytum tantum audissent, putassent angustum fore et unius oppidi imperium. *Dictæa arva* ab Dicta, nobili urbe Cretæ, a qua manat in totam insulam nomenclatura.

172. Expavit Æneas, nam hoc est *attonitus* et ἐμβρόντητος: pavoris hujus duplex causa; Deorum visa; Deorum vox: refer visa ad splendorem, qui semper comes Deorum; nam visi *multo manifesti lumine:* vocem, ad eam, qua usi Dii; nam semper hæc major humana. Quæ sequuntur, referenda sunt ad idem: quasi dicat; attonitus sum visis; nam vere visus sum agnoscere illorum vultus, et comas, omnia splendida: attonitus sum voce; nam vere visus sum agnoscere illorum ora. Hæc est sententia: frustra enim repetat *vultus* et *ora:* faceret hoc vulgaris poeta; verba illa, *Nec sopor illud erat*, habent hanc sententiam: ne putate me deceptum, tametsi in somnis visi mihi Dii, et dormienti: dormiebam quidem, sed hoc tamen non fuit ludibrium somni: ideo postea subjicit, *Tum gelidus toto manabat corpore sudor:* si mihi non creditis, sudori credite, qui gelidus; et ex toto corpore. Hic effectus non ab inani causa: *velatæ comæ*, sunt, vittatæ, explicatore Turnebo.

176. Attonitus surgo celerrime; hoc enim indicant verba *corripere e stratis corpus;* tendo statim ad cælum vocem ac manus; libo focis munera intemerata, rite perfecta, ideo statim explicans ait, *perfecto honore*, quia sacrum illud intemeratum est, quod rite perfectum. Anchisen adeo; illi rem omnem pando: observa recessisse a vulgo; omnes enim, *facere certiorem:* huic placuit, *certum facere.*

180. Agnovit statim Anchises ambiguam prolem, id est, Teu-

172. *Talibus attonitus visis.* Hoc est, talibus deorum vultibus propter « Visi ante oculos adstare. » Unde sequitur, « Et voce deorum. » Nam et voce se dicit attonitum et visis. *Attonitus* vero est stupefactus. Nam proprie *attonitus* dicitur, cui casus vicini fulminis et sonitus tonitruum dant stuporem. *Serv.* — *Attonitus.* Duo erant miranda: et deos videre, et optata loquentes audire. *Donat.*

crum, et Dardanum. Est hic pulchra antithesis; nam utrumque et *prolem* et *parentes* nominat: ille proles Cretæ, hic Italiæ; et uterque tamen parens Trojæ. Non minus pulchra est antithesis in versu sequenti, *errore novo, locorum veterum:* sed quis hic *error novus?* diverse interpretes: ego rem capio respectu ipsius Anchisæ, ut dicat, de re vetere recens fuit Anchisæ error.

182. Revocat in memoriam, quæ à Cassandra audiverat: illa enim sola, nemo alius vatum, solita erat hos casus canere. Nunc, inquit, repeto Cassandram solere portendere domicilia hæc esse debita generi nostro; et sæpe vocare Hesperiam, sæpe regna Itala. Hoc loci *portendere* in bonam partem sumi monet Germanus. Verbum *vocare* hic pro, nominare, capio. Est *exercitus*, afflictus, prostratus, pessumdatus.

186. Sed quis crederet, Teucros venturos ad Hesperiam? Nam Teucri potius debuissent ad Cretam repetere originem, unde Teucrus. Quem moveret Cassandra, jussu Dei tum non credita?

188. Conclusio totius sermonis, qua ait credendum esse, id est, parendum Phœbo, atque ex ejus monitu sequenda esse fata meliora. Absolvit, *cuncti paremus ovantes.* Ex decoro ætatis obsitæ sæpe poeta inducit totam classem parentem Anchisæ; licet classis princeps Æneas esset.

190. Affectus doloris non vulgaris exprimens miseriam sedis toties relictæ, et perpetuæ peregrinationis seriem. Cretam quoque deserimus, ut Trojam, ut Thraciam, ut Delum. Sed ante abitum relinquunt paucos sociorum, qui Pergamum incolant, et retineant in Creta nomen Trojanum; nisi quis velit hoc ad mortuos referre, qui peste ceciderant.

192. Sed postquam provecti in altum sunt, nullis jam terris, cælo tantum et aquis, prospectui obviis, subito imber exortus noctem et tempestatem attulit, ac totum mare densissimis tenebris exhorruit. Observa definivisse poetam, quid esset mare altum, illud videlicet, ubi nullæ apparent terræ, tantum cælum, tantum undæ. Illud *supra caput* explicat Servius, perniciosus, exitialis: non placet; potius, ἄνωθεν, et κατ' ἄκρης: quod jam variis in locis a me. Τὸ *inhorruit* est, quod Græci ad verbum, διέφριττε.

196. Ab cælesti imbre et horrore maris transit ad alia, quæ

182. *Iliacis fatis.* Non proprio fato laborabat. Excusans igitur laborem irritæ navigationis ad Cretam, *Fatis* adnectit, ut invidiam, qua afficiebatur, quod illi frustra laborassent, purget excusatione, quum factum negari non possit; *Donat.* — *Exercite*, fatigate. *Serv.*

potissime in hac tempestate, ut in omni: venti volvunt, invertunt, mare; æquor surgit; dispergitur jactaturque classis; nimbi diem involvunt; nox cælum aufert; et in his tenebris solum micant ignes (signat fulgura), hique ex abruptis nubibus (signat tonitrua); nam hæc nihil aliud quam ruptæ nubes magno fragore: *verbum ingeminant* est, ingeminant se, ac duplicant; non, ingeminantur.

200. Ab tam diro malo quid passa classis? excutitur cursu, id est, avertitur a cursu, quem tenebat, erratque in undis obsitis ingenti caligine. Sed quid mirum classis reliqua erraret, quum densissimæ tenebræ vel Palinurum ipsum, ἐμπειρικῶς, scientissimum rei nauticæ reddiderint inscium diei et noctis? nequibat enim diem a nocte discernere, nec viæ aut officii sui meminisse; adeo malum præsens sensus omnes occupaverat!

203. Pendet ex præcedenti: quum nemo posset diem a nocte discernere, factum, ut classis erraret per mare tres soles, sed incertos ex cæca caligine; noctes totidem, sed incertas, quia sine sidere. Itaque nesciebant, quando esset dies, quando nox: erant enim incerti de die, ob caliginem; incerti de nocte, quia nullum sidus: nihil aptius ad exaggerandas has tenebras.

205. Ait Servius naturaliter hoc dictum: nam quoties appropinquamus litoribus, videtur terra exsurgere: ideo itaque, quarto die tellus visa est se attollere; visa etiam aperire montes; visa fumum volvere: hæc enim indicia terræ jam proximæ.

207. Consilium ab necessitate; proximi enim terræ vela contrahunt; incumbunt remis; quam rem ita vivide exprimit, ut putes te nautas cernere laborantes, toto pectore adnitentes torquendis remis; ac tum spuma albida excitatur, verruntur maria. Nota antithesin in verbis *cadunt, insurgimus.*

209. Non absque gravi doloris sensu; admonet hoc Servius; quasi dicat: ex diro malo tempestatis incidi in dirum aliud, quum perveni in insulas Strophadas, in quibus domicilium Harpyiarum. Sequitur descriptio Strophadum; sed hæc quia

202. *Viæ.* Mari dedit, quod proprium terræ est; ut alibi *sulcari* ait, unde et terra *æquor.* — *Palinurus.* Hic Iasii filius gubernator Æneæ fuit; qui, Ænea de Sicilia ad Italiam veniente, præcipitatus in mare, nomen in Lucania monti celebri dedit. *Serv.*

211. *Ionio in magno.* In magno mari Ionio: et sciendum *Ionium* sinum esse immensum, ab Ionia usque ad Siciliam: et hujus partes esse Adriaticum, et Achaicum, Epiroticum. Maria enim vel a provinciis, vel ab insulis, vel a civitatibus nomen accipiunt. Bene ergo *in magno*, quasi etiam in quo alia maria sunt. *Serv.*

pendent ab longa fabulæ narratione, ea retulimus, ut etiam quæ de forma Harpyiarum attingit poeta: vide igitur tom. II, notas, pag. 382; et Excursum VII, ibid. pag. 460.

219. Ab descriptione Harpyiarum tendit ad successum. In ipso Strophadum aditu vident *armenta boum;* et hæc *læta*, id est, pinguia: vident pascentes *per herbam* capras; et utrumque animal, *nullo custode.*

222. Irruunt statim ad certam prædam, Diis, et Jove inprimis, invocatis, cum voto communicandæ cum Jove ipso prædæ, quam cepissent. Succedit felix venatio, inde in litore mensas exstruunt, atque epulantur.

225. Adsunt subito Harpyiæ; alas quatiunt clangoribus; dapes diripiunt; sordibus ventris omnia contaminant; auditur vox avium dira; potius stridor.

229. Tuti ut sint Trojani, quærunt secessum inde longe distantem; nam hoc est, *longo secessu;* ibi *sub cava rupe, clausi arboribus atque umbris horrentibus*, id est, umbris arborum densissimis, mensas instruunt; aris ignem reponunt: quo verbo satis innuit prioribus quoque epulis ignem in aris positum.

232. Non satis longus secessus, rupes cava, umbræ horrentes; nam *rursum ex diverso* tractu *cœli*, atque etiam ex *cæcis latebris*, id est, ex obscura parte nemorum, ubi clausi Trojani, advolat cum magno sonitu turba Harpyiarum, quibus adunci pedes, atque ita dapes polluit ingenti oris vomitione. Hoc malo conflictatus Æneas, videns per latebras nihil boni succedere, bellum aperte indicit, jubetque ut omnes arma comparent.

212. *Harpyiæque colunt aliæ.* Ergo et Celæno Harpyia. Has Hesiodus dicit Thaumantis et Electræ filias, quas, sicut dictum est, quidam Furias putant, quum Furiarum mater, secundum Hesiodum Terra, secundum Æschylum Nox sit. *Serv.*

214. *Tristius haud.* Non potest ab inferis tristius quicquam excitari, quam Harpyiæ: tamen non dicit has de inferis esse natas, sed pejores esse omnibus inde procreatis.

219. *Delati.* Quod necessitatis est: nam voluntate aliquo non deferimur, sed venimus. — *Læta.* Pinguia: nam in animalibus, in quibus cognosci non potest sensus, lætitiam pingue corpus ostendit: non meus, ut in hominibus.

227. *Contactuque omnia fœdant.* Subaudiendum, *quæ relinquebant.* — *Tum.* Præterea: deest *erat*, vel *audiebatur:* et tria mala ipsarum posuit, vocem, tactum, odorem; sed sane hic versus, qui circumductus est, talis auditur, « Resonant magnis stridoribus alæ. » *Serv.*

235. *Dira.* Sabini et Umbri, quæ

236. Parent socii, et capiunt arma. Sunt in his versibus figuratæ locutiones: nam *disponunt enses tectos*, est disponendo tegunt: *et condunt scuta latentia*, est condendo faciunt latere.

238. Fingit poeta veluti hostile prælium, in quo utrinque tubis canitur, et parantur animi. Itaque Harpyis clangores sui pro tuba sunt, quibus dedere sonitum ad bellum; illis Misenus respondit ære, id est, tuba ærea, ab alta specula. Hoc facto concurritur; nam socii invadunt, tentant prælia nova: quid enim magis novum, quam cum volucribus pugnare? *fœdare ferro*, est violare ferro: volucres *obscœnæ* dicuntur cum respectu ad proluviem ventris.

242. Sed ecce e tam dira pugna nulla plaga; nam neque plumæ, neque tergus accipiebant vulnus: illæ enim præ mollitudine gladios fallebant: istud præ duritiâ aciem respuebat. Fugiunt iterum volatu altissimo, ideo *sub sidera*, relinquentes eadem, quæ prius, fœtoris signa: *semesum* est, semicomestum, ἡμίβρωτον. Hic tu expende Virgilianæ orationis sobrietatem: vulgaris poeta hic inaniter lasciviret, quasi in prælio ita novo, ut nullum simile; faceretque magnam moram in isto Harpyiarum et hominum conflictu, stupore ipso materiam præbente.

245. Omnia ad horrorem sequentis vaticinii: rupes, ubi sedet, præcelsa: et aspera vocis ruptio: quo Harpyiam non tam loquentem quam vociferantem intelligas: nomen ipsum Celænus: est enim κελαινὸς, *ater*, ut mihi videatur dici *infelix vates*, μάντης κακῶν, quia Celæno.

247. Exordium abruptum, ut in querimonia, ut illud, *tantane vos generis*, etc. Oratio semper crescit a tribus temporibus: occidistis nostra pecora, quod iniquum: nobis nunc bellum infertis, quod iniquius: cogitatis de nobis et regno patrio pellendis in posterum, quod iniquissimum. Ili enim estis, qui scelus scelere obruatis. Hæc est enim mens Harpyiarum, non aliter ac Livius dixit de Masinissa libr. 30, illum temeritatem temeritate alia luisse, quod videlicet nuptias Sophonisbæ male auspicatas obruerit nece ejusdem. Quum ait *Laomedontiadæ*, mire Trojanos deturpat a genere, ut qui ab perfido Laomedonte genus ducant: quasi dicat, pari vos perfidia in nos estis.

nos mala, *dira* appellant. Excusat crimen violentiæ, quam Celæno, faciens pro causa sua, plenissime exequitur. *Donat.*

Dixit *regno pellere*, non terra; nam *efficacius et magniloquentius*, ait Scaliger.

250. Non est tautologia: ut enim non solum accipiant, sed altius figant; illud ad attentionem, hoc ad terrorem.

251. Hoc personarum gradu maximam comparat attentionem. Quale enim erit vaticinium illud, quod Juppiter ad Apollinem, Apollo ad maximam Furiarum, id est, Harpyiarum.

253. Incipit vaticinium a prosperis et felicibus, ut desinat in adversa et tristia; sunt enim læta, ituros in Italiam, et ventis felicibus, hos enim innuit, atque ad portum tandem appulsuros, et hoc annuentibus fatis; ait enim *licebit*. Sunt tristia quæ prædicuntur de dira fame: nam quantum est, eo redigendos, ut etiam mensas devorent? Vaticinium de mensis ambesis fusius explicatur in Excursu VIII, tom. II, pag. 463; et in Excursu II, tom. III, pag. 356—360.

258. Abit; imo raptim aufertur, ut in æstu cogitationum Trojanos relinquat: verbum *refugit* signat volatum penitissimum, ut recessus intimum secessum.

259. Pavoris notæ duæ: sanguis gelidus præ formidine, et languor animi; posterior a priori oritur: et quia jam animi defecerant, nolunt bello et armis pacem, sed hanc votis et precibus ab Harpyis, modo illæ Deæ sint, modo volucres ominosæ atque obscænæ.

263. Quid vero Anchises? Placet mens Donati: dixerant socii placandas volucres: abnuit senex, et potius ait, placanda magna numina, a quibus origo feralis nuntii exorta: ergo Deos ipsos vocat, non Harpyias; illis indicit honores convenientes; petit ut minas prohibeant; avertant imminentem successum; sint placidi atque propitii erga pios, illosque servent. Juvo mentem Donati: placantur Dii, non volucres, quia Celæno, *Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit;* minæ ergo a Diis: sed redeo: præmissas preces consequitur opus festinantissimum. Quid enim amplius morarentur in illis insulis, ubi tot dira? Sed solventium celeritatem adverte: funis diripitur, non solvitur; laxantur, et excutiuntur

262. *Obscænæ*. Aliqui putant dici *obscœnum* ex *ob* et *cœnum*, et *cœnum* dici a Græco κοινόω, id est, *sordidum reddo*: unde nos dicimus in quinto. Ergo per *œ* diphthongon scribendum esset. Alii volunt ex *ob* et *cano*: et tunc careret diphthongo. Varro tamen ait ex *ob* et *scæna*: et sic habere diphthongon *æ*. Alii dicunt *obscænos* dici ab *Oscis*, qui essent populi malis moribus. *Donat.*

rudentes; tenduntur vela; fit fuga puncto temporis; non considerant, quo ituri; sed ventis, sed Palinuro commissi in incertum abeunt. *Rudentes excussos laxare*, est poetica locutio, pro, excutere et laxare.

270. Narrat, quas insulas in cursu viderint Trojani, et quia illæ hostiles sunt, ut quæ Græcorum : ita de illis loquitur, ut verbis ipsis etiam repræsentet formidinem Trojanorum : ideo Zacynthus *apparet* verbo gestuoso, et tragico, ait Scaliger : ideo Neritos dicitur *saxis ardua:* ideo aggeratio multorum nominum ad majorem terrorem : uno enim pæne ictu conjunguntur, *Zacynthus, Dulichium, Same, Neritos:* ideo de Ithaca *effugimus*, quum posset, prænavigamus, provehimur, et similia: imo hanc exsecrantur, quia *altricem Ulyssis sævi:* vocat hanc insulam *regna Laertia*, ab Laerte patre Ulyssis.

274. Signat Epirum, ubi mons Leucates altissimus; ideo ejus cacumina nimbosa; nam sæpe tecta nubibus : in hoc monte fanum Apollinis, quem vocat formidatum; quia locus vel hostilis, vel saxosus, vel in quo aliquis nautarum illuc appellentium immolari solitus. Triplex ratio Servii est, posteriores duas probat Germanus.

276. Subditur ratio, quare ad locum importuosum, et tot rebus formidatum appulerint, quia fessi nimirum salo et jactatione. Per *parvam urbem* Actium cape : hic itaque anchora jacitur; navium proræ prospiciunt mare, puppes litora.

278. Locus difficilis, et in quo mire variant interpretes, quos, si placet, adeas; mihi fere omnia illorum displicent: dicam, uti commode possit explicari : indixerat Anchises in Strophadibus sacra magnis numinibus; ea perfecturus lustratur inprimis Jovi; lustrantur quoque ceteri, qui in ejus comitatu; nam omnes soluturi ea sacra; incenduntque aras votis, id est, sacris, quæ jam voverant. Postquam jam lustrati sunt; postquam incensæ aræ; sequuntur sacra, nimirum ludi, de

268. *Tendunt vela noti.* Scalig. V, 3. « Diffluentiam, inquit, Homericam coercuit Maro duobus hisce mirificis versibus. Et divinus alter est, qui dat classem et vento et gubernatori. » *Taubm.*

275. *Aperitur Apollo.* Nauticum verbum, quotiens cedente eo, quo impeditur aspectus, aliquid patescit; ut, « Portusque patescit Jam propior. » *Serv.*

278. *Insperata tellure.* An quia saxosa loca, an quia per medios hostes navigaverant, an quia tempestate, an quia cum Græca natione? — *Tellure potiti. Potior* et *illa re* dicimus, et *illius rei* : sed per septimum casum in usu est,

quibus postea, in honorem non solum Jovis, sed Apollinis etiam : non enim uni tantum Jovi, sed magnis numinibus indicta erant ea sacra.

280. Sententia est : celebramus litora Actia, id est, ludos Actios, qui fiunt in litoribus : celebramus vero ea ratione, qua fieri solebant in Ilio. Explicans vero, quæ esset hæc ratio Ilii, et patriæ palæstræ, adhibet notas duas, videlicet nudata corpora, et oleum labile, quasi dicat : exercent palæstras Ilii et patrias, tum nudis corporibus, ut omnes fere, tum cum oleo labili, quod proprium Ilii, et ævi heroici. Fiunt vero hi ludi, non solum quia indicti jam ab Anchise, sed etiam εἰς εὐχαριστίαν, ideo subdit *juvat evasisse tot urbes*, etc. Itaque gratias agunt, ut qui incolumes liberati a Græcis, et per medias illorum urbes.

284. Transigunt in urbe Actio annum solarem, si non integrum, certe hyemem; quum undæ sævæ sunt Aquilonis rigore. Vide Excursum de annis errorum Æneæ, tom. II, pag. 453.

286. Attingit morem veterum, qui passim tropæa excitabant, appensis armis, et imprimis scutis, cum titulo glorioso rerum gestarum. Ex quo more Æneas Abantis scutum erigit, affigitque postibus Actii; et illud elogio et carmine insignit, satis superbo et glorioso. Vide pariter Excursum IX, de clipeo Abantis, tom. II, pag. 464.

289. Spirant hi versus miram celeritatem in cursu ipso; sic eadem supra expressa, sed in solutione : ita variatur poesis. Hic ergo, certatim mare feritur; verruntur æquora; arces absconduntur; leguntur litora; subitur portum; ascenditur ad Buthrotum.

294. Historia quam poeta inchoat, aptissima est ad retinendum lectorem cum omni admiratione : nam quid magis præter exspectationem Trojanorum, qui victi, qui fuga elapsi, quam

per genitivum figurate ponitur. *S.*

288. *Æneas hæc de*, etc. Scil. detracta consecravit; usitata hujusmodi inscriptionibus ellipsi : et ut magna brevitas est hujus tituli; ita intellectus uberrima latitudo. Æneas posuit, Æneas scripsit; idque in agro hostili, et quidem tutus. Habuit arma victoribus Græcis erepta; et in ipsorum sedibus eadem ostentationis caussa affixit : addidit epigramma, quod testaretur scribentis gloriam, et eorum qui superiores recesserant, ludibria demonstraret : superesse item Trojanos, qui Græcos ulcisei possint. *Taubm.*

294 *Incredibilis rerum fama.* Incredibilium rerum fama : et bene non credidit : unde et postea interrogat, « Pyrrhin' connubia servas » ? *Serv.*

scire, Trojanorum unum regno in Græcia potiri? continent vero versus poetæ miram αὔξησιν, quum explicat, cur hæc fama esset incredibilis; quia videlicet Helenus, qui Trojanus, qui Priami filius, regnat, quod magnum est: sed majus adhuc inter hostes regnare; maximum vero conjugio et imperio hostis potiri.

298. Ad hanc tantarum rerum incredibilem famam obstupescit; qui affectus hic idonee satis inductus. Redit ab stupore, et illum alius affectus excipit; flagrat quippe cupiditate videndi Heleni, rei cognoscendæ: ita ut erat avidus, statim progreditur e portu, linquit classes; linquit litora.

301. In urbe Epiri Buthroto, primum omnium occurrit pietas Andromachæ, quæ *ante urbem, in luco, ad undam Simoentis*, (in re quippe pia voluit poeta adhibere circumstantiam loci triplicem, attingens peculiares mores veterum) *libabat dapes sollemnes, dona tristia cineri* Hectoris: excitaverat præterea conjugis sui studiosissima *tumulum inanem ex viridi cespite*, ad quem *vocabat manes* conjugis: demum *sacraverat* in honorem viri *aras geminas, causam* suis *lacrymis*.

306. Expende magnos affectus, quibus oratio hæc plena: visis Trojanis, quos jam putarat exstinctos, amens fit; exterretur, ac si monstra, et prodigia cerneret; riget, eos quum videt; relinquitur vitali calore; labitur, animo certe, nescias an corpore, fortasse utroque: diu ita perstitit; hoc enim indicant tot voces *tandem, vix, longo tempore*, quo se recuperavit, et ad se rediit: expendi integros versus, sed recurro iterum, indicans quædam acumina, qui in illis latent. Obstupuerat Æneas

297. *Patrio marito.* Atqoi Thebana fuil de Thebis Phrygiis: sed aut provinciam pro patria posuit, ut, « Italiam quæro patriam »; aut certe secundom jns locutus est; quia uxor, viri domicilium sequitur: juncta ergo Hectori, facta Trojana est: nam et *cessisse*, de Jure est. *Cedi* enim *hereditas* dicitur; ergo merito dicta est Heleno civi nupsisse. *Serv.*

301. *Sollemnis.* Non festas, sed legitimas, anniversarias. — *Tristia dona.* Acerba: tale est illud, « Quem semper acerbum, Semper honoratum, sic dii volnistis, habebo. » *Serv.*

302. *Falsi Simoentis.* Qui vel sponte in alias terras migrant, vel pulsi patria novas sedes quærunt, eadem nomina urbibus, fluminibus, etc.; imponunt, quibus ea fuerunt appellata loca, in quibus ante habitarunt; ut ita amorem patriæ consolentur, vel id dent dignitati et reverentiæ natalis soli.

305. *Geminas aras.* Unam marito Hectori, alteram filio Astyanacti: sed Turneb. XXVII, 6; docet, veteres manibus honoratorum vi-

audiens ibi esse Andromachen : jam nunc Andromache obstupescit, videns Æneam : itaque hic obstupuit hac audita; hæc illo viso. In illis *diriguit visu in medio*, nota hiatum ex studio; quo hiatu signatur vox ad stuporem retenta : convolat versus dactylicis illis, *calor ossa reliquit*, ut celeritas languentis notetur. Nulla est cæsura in verbo *labitur*, ut cum labente pede animum quoque labentem consideres. De hoc Heleni et Andromaches occursu in Epiro legendus est Excursus X, tom. II, pag. 465.

310. Sententia integra hujus loci hæc est : tune mihi, Ænea, vera facie appares? vivisne? an potius simulacrum tui tantum video, et speciem quamdam? nam, ut existimo, recessit jam a te lux : quod si hoc alterum est, (inclinat quippe Andromache, se non videre verum Æneam, sed ejus mortui idolum aut simulacrum) ubi Hector est? quare non te comitatur? tu mihi appares, et non conjux; quæ ista fides? Extrema hæc possunt habere aliam sententiam : si non verus es Æneas, sed mortuus, ubinam est Hector? qua parte inferorum, vel qua Elysiorum? ubinam agunt illius manes? Aliquid mihi indica de meo Hectore; sciet enim mortuus quid mortuus gerat, ubi agat, qui valeat. Sequitur; *dixit, lacrymasque effudit*, etc. Quippe fœminæ amanti ad memoriam sui Hectoris lacrymæ ubertim fluunt: gemitus etiam, et clamores, querelæque erumpunt. Quod statim ex magno decoro, *vix pauca furenti Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco;* fœmina enim lacrymas effudit, clamore locum implevit : vir tantum turbatur ad illius lacrymas, atque hiscit, utens ad illam paucis verbis. Est *furenti*, vel impatienter amanti, cum interpretibus : vel vere furenti, mecum : hoc enim aptius, tum quia supra *amens* et *exterrita monstris;* tum quia Æneas ad illius furias nequit loqui, velut ipse exterritus; tantum hiscit.

rorum aras esse solitos consecrare duas; quæ vide ad Æneid. V, 48.

307. *Monstris*. Rebus scilicet insperatis, et hoc ad Andromachen refertur, quæ putat monstrum : aut certe *monstris*, quod tunc advenerat Æneas, quum illa Manes invocaret, et eum crederet esse defunctum. *Serv.*

312. *Hector ubi est?* Hoc ad Æneæ pertinet gloriam, ut ab Hectore nunquam discessisse videatur. Sensit autem hoc : si umbræ videntur in sacris, cur non eorum magis quibus sacrificatur? — *Dixit, lacrimasque effudit*. Bene, postquam ad mentionem Hectoris ventum est, tacuit et flevit. *Serv.* — *Lacrimasque effudit*. Hæc omnia provenerunt ex mariti recordatione : nec debuit de alio quam de mortuo, in tanto dolore quærere. *Donat.*

315. Respondet Æneas rogatis: *vivisne? vivo equidem: vera tua est facies, verusne Æneas? vera vides, ne dubita.* Addit et conquestionem: ita sum vivus, ut morti proximus: nam vitam duco per extrema omnia.

317. Tota oratio plena emphaseωn, et admodum commiserans: nihil Pyrrhus ad Hectorem: ergone fieri potest, ut quæ Hectorem habuit conjugem, Pyrrho nupserit? quis te casus dejecit? quæ fortuna posterior æquare priorem potest?

320. Monet Scaliger, lib. 3. Poet. cap. 14, ex his poetæ sumi posse speciem et formam pudicæ fœminæ: nam quum Æneas ita illam compellasset, ut memoriam Hectoris excitaret, statim illa *vultum dejecit;* et locuta est, sed ita locuta, ut *voce demissa*, quæ tamen antea clamore complesset locum. Germanus quoque ait, non temere hos affectus datos Andromachæ, ut quæ castissima fuerit, et viri amantissima, et proximis spatiis ad Alcestin accesserit. Potest etiam dici, dejectum vultum Andromachæ, ad indignitatem nominati Pyrrhi, ut quæ nuptias illas puduerit.

321. Non respondet ad rogata; tantum laudat virginitatem et mortem, ut ostendat se invitam Pyrrhi pertulisse connubium; et esse superstitem suis miseriis. Sententiam vero sic expendit Macrobius: quamvis jussa fuerit mori Polyxena, et ad tumulum hostilem, tamen felicior me est; felicior etiam aliis, quia non pertulit ullos sortitus, nec captiva contraxit nuptias cum hostibus; animam quoque effudit ante ipsam patriam, quod aliquid ad solatium: demum felix, quia virgo interiit. Ait *tetigit*, quia non cum fiducia conjugali secure ascendit, sed ut solent captivæ paventes dominorum toros leviter attingere; et *cubile* dixit, non ausa lectum genialem dicere.

325. De se tantum loquitur, etiam si numero multitudinis: dicit se ab incensa Troja vectam in Græciam; ubi quum in servitute esset, Pyrrho Achillis filio peperit (hoc enim est eni-

317. *Heu.* Disjungendum ab interrogatione, ut separatim luctuosa vox audiatur. *Serv.* — *Heu.* Et ipse incipit a gemitu propter Hectoris recordationem. *Donat.*

318. *Excipit.* Signate locutus est, quia *dejectam* dixerat: excipiuntur enim quæ cadunt. — *Digna.* Congrua et priori conveniens.

323. *Jussa mori.* Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum jussit occidi. — *Sortitus.* Quia captivi et præda inter victores sorte dividebantur; ut est, « Et prædæ ducere sortem. » *Serv.* Vide tom. II, pag. 467, Excursum XI, de Polixenæ immolatione.

326. *Stirpis Achilleæ.* Cum magno dolore dictum *Achilleæ;* quia ab eo Hector occisus est: et idem

ti) filium Molossum : sed Pyrrhus deinde captus amore Hermiones, quæ filia erat Menelai, et Helenæ Lacænæ, (Helena vero Ledæ,) repudiavit Andromacham servam, jussam nubere cum Heleno filio Priami, servo item : hinc claret, cur Hermionen dicat *Ledæam :* cur Hymenæos, id est, nuptias, Hermiones cum Pyrrho vocet *Lacedæmonios;* cur se *famulam,* cur Helenum *famulum.*

33o. Duplex ratio, cur Orestes Pyrrhum interfecerit : rapta nimirum conjux Hermione sibi prius desponsata : deinde erat non satis sibi compos, ut qui adhuc agitaretur furiis propter interfectam matrem Clytemnestram. Istæ causæ Pyrrhum, cur *exceperit* (verbo ipso signantur insidiæ, ideo adjungit *incautum*) Orestes, interfeceritque ad aras patrias. Quid intelligendum sit per *aras patrias,* docet Excursus XII, tom. II, pag. 467, de cæde Neoptolemi.

333. Sententia clara est, tantum de Chaone : fuit hic frater Heleni, et ab eo in venatione per imprudentiam occisus; ita Servius vulgaris : novus vero ait, Chaonem pro omnium incolumitate, quum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, in cujus mox honorem Helenus eam oram Chaoniam nominavit : et addit alia. Suidas tamen vult dictos Chaones παρὰ τὸ κεχηνέναι; nam gens illa in luxum prona, et mollitiem.

336. Construxit urbem, cui nomen Troja; muros, quos Pergama appellavit; arcem, quam Ilium.

337. A rebus suis ad Æneam transit : qui venti tam prosperi dederunt tibi cursum? quæ fata tam felicia? quis Deus tam amicus? nulla hic περισσολογία : nam navigantes et vento, et fato, et Dei alicujus numine ducuntur.

339. Jam a patre ad filii res : de hoc, quem non videt, rogat, vivatne? cum respectu, credo, ad suum Astyanacta, qui præcipitatus. Sequitur hemistichium, *quem tibi jam Troja.* Senten-

bis dixit. — *Fastus.* Superbiam : et est quartæ declinationis : nam liber, qui dierum habet computationem, secundæ declinationis est : unde erravit Lucanus dicendo; « Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus. » *Serv.*

329. *Transmisit habendam.* Herili voluntate, non lege conjugii : vel quia inter captivos matrimonio fides non stabat; unde et *habendam* dixit, et *transmisit,* quia alii tradidit : quidam *permisit* accipiunt. *Serv.*

339. *Puer Ascanius.* Filius, quia Græci παῖδας etiam *filios* dicunt. — *Superatne.* Vivit : sane nove dictum est, et caret exemplo, ut pauca in Virgilio. Alii dicunt *superat,* superstes est : sed *superstes* præsen-

tia perfecta est, etiam si imperfectus versus; ut *quos ego*, ubi summa sententiæ perfectio in verborum imperfectione: isti enim hiatus miri suut ad orationem. Aliqni ita supplent: Quem tibi jam Troja *peperit fumante Creusa*: sed istæ assutelæ sunt hoc vate indignæ: substitit enim Andromacha, nominata Troja; quo sane vim orationi dedit, adimens dolori suo.

341. Refert ad Creusam, quam *amissam* quoque dicit, Æn. II, v. 741; *Nec prius amissam respexi*; non enim placent, qui patriam, quia præcessit nomen Trojæ: hoc nullum est argumentum.

342. Videtur *antiqua virtus* dici cum respectu ad Æneam; *animi viriles* cum respectu ad Hectorem: sic concinnior est sententia: rationes, me tacente, ipse conjicis. Sed cur Hector *avunculus*, quum non frater Creusæ? extenditur significatio vocabuli, ut in nonnullis, quæ pertinent ad consanguinitatem; visum in hoc opere non semel.

344. Quasi non tam loqueretur, quam fleret: ideo verba *fundebat* sicut et lacrymas, *ciebatque fletus*, et hos *longos*, ut solent feminæ, et omnia *incassum*; nam ex tot fletibus nullns fructus reparandis rebus. Inter hos fletus, ecce *heros Helenus Priamides* (filius Priami) *affert se ex mœnibus; agnoscit suos; ducit ad mœnia; fundit lacrymas inter verba singula*, et has *multum*, id est, ubertim, et copiose. Duo hic expende: primum nihil verborum datum Heleno, ne oratio ejus frigeret, post inflammatum sermonem Andromachæ; plenumque magnis affectibus: alterum memorabile exemplum fidei in suos, etiam si exsules; agnoscit, ducit perhonorifice ad urbem suam.

349. Sententia horum versuum clara est: tantum perpende verbum *agnosco*, quo sè poeta aperit: ita enim omnia disposita erant in eo ædificio, et in ea urbe, ut quicunque Trojanus

tem significat: ut Cicero in Murænîana: « Suis utrisque superstitibus », id est, præsentibus. *Serv.* — *Vescitur aura*. Ita Lucret. lib. V: « Nam quæcunque vides vesci vitalibus auris. » Idem « vesci sermone », id est, uti Cicero; « vesci voluptatibus. » *Taubm.*

345. *Incassum fletus*. Et *longos*, et *incassum* bene addidit, ut fœmineos monstraret adfectus. *Serv.* — *Incassum*. Quoties hoc? Seneca epist. 22: « Lacrymæ nihil profuturæ cadunt. »

349. *Parvam Trojam*. In omnibus istis versibus, ne minuat magnitudinem Trojæ patriæ, ostendit hanc non tantam esse, sed similem: nam dixit *parvam Trojam*, et *simulata Pergama*, *arentemque rivum Xanthi*. Donat.

351. *Agnosco*. Ant cognomine agnosco, nam ea cognoscimus quæ jampridem vidimus: aut certe quia

ingrederetur, statim agnosceret natam ibi Trojam alteram, cum Pergamis et portis Scæis, ipsoque Xantho.

352. Quum ait *socia urbe*, respicit ad societates Romanorum: in verbo *fruuntur*, agnosce hilaritatem, *accipiebat* convivio, et epulis. *Libabant*, verbum sacrum, quia nullum convivium veteribus, quod non sacrum: ideo *pateras tenebant*, quasi sacra facturi, et libaturi, non minus, quam *arasque tenebant*.

356. Hinc Scaliger elicit amicitiæ veræ exemplum: dies multi procedunt; auræ vocant vela; inflatur vento carbasus; neque illi queunt avelli: inde discedenti tot dona congeruntur, tot interveniunt orationes, quia nequeunt expleri: *dies alterque dies* phrasis mire poetica pro multis diebus: *tumido* tumifico, explicante Scaligero. *Austro* pro quocumque vento. *Aggredior* quasi jam tandem decernens abitum, etiamsi cum dolore, relinquendi Heleni.

359. Captat illum permagnifice, attribuens illi omnem pæne augurum disciplinam. Quæ de Geomantia, Pyromantia, Aeromantia Servius hic dividit, parum probo; neque item alias aliorum divisiones. Illa tantum placet, ut triplicem vaticinandi scientiam attribuat Heleno, ex afflatu numinum, ex astris, ex avibus: primam in illis, *sentis Phœbi numina, tripodas, Clarii lauros:* alteram, *sentis sidera:* tertiam *sentis linguas volucrum, alarum omina.* Nescias igitur, cur Cicero I. de Divinat. dixerit, Helenum auguriis divinasse, ut Cassandram mentis incitatione, et furore: ut videatur sola auguria Heleno tribuere, cui Maro hic omne prope divinationis genus. Tot attributa præcedit illud *interpres Divum*, quasi hoc sequentia explicent, ut species suum genus. Vox *Trojugena* cum respectu ad se; quasi dicat: Trojanus a Trojano quærit.

362. Quid vero ad illum? *Fare age*, vox signata; vates enim fantur; inde fata. Quid vero vult scire? quæ primum vitanda, quæ deinde sequenda: itaque hæc summa, et duplex petitio:

reparatam audierat Trojam. — *Scææque amplector limina portæ.* Et postes domorum et portarum limina amplecti solebant, qui profugi exulatum ibant, aut peregrinatum diu abfuturi domo: iidem etiam reduces osculari et amplecti ea solebant.

359. *Trojugena.* Plurimum dat ei generi, ex quo fuit etiam ipse qui laudabat. — *Interpres.* Quid felicius quam nosse quid velint dii, et dignum esse, per quem loquatur in hominibus? — *Qui sidera sentis.* Qui es peritus Astrologiæ. *Sentis.* Signat hoc verbum primos illos vaticinantium impetus, quibus jam illi adesse Deum sentiunt afflatu propinqui numinis. Vid. Propert. Eleg. IV, 1, et Ovid. Fast. III.

adjungit causam inclusam parenthesi, cur demum post tot oracula illum consultet: videlicet tristes Harpyiarum denuntiationes, et quæ de fame volucris obscæna prædixerat. Illud, *religio prospera dixit mihi omnem cursum*, est hypallage, pro, omnis religio dixit mihi cursum prosperum: alia est Heynii sententia; quam vide in notis, tom. II, pag. 398.

369. Fiebant sacra a vatibus, antequam responsa ederent, quo haberent propitia numina: ergo Helenus juvencos cædit; Deorum pacem exorat; vittas resolvit: ac me, inquit Æneas, ducit manu ad Phœbi limina suspensum religione, ictum numine, sanctitate loci commotum. Quo facto, ille *canit ore divino*, divinante: præclare autem de vittis *resolvit*, cum oppositione quadam; nam vittæ a viendo, et vinculis dictæ sunt.

374. Ait Helenus dicturum se pauca e multis, quo Æneas tutius naviget per maria, et felicius ad portum perveniat: non omnia; nam scire Æneas omnia non potést, prohibentibus Parcis; nec ipse loqui Helenus, vetante Junone. Parenthesis rationem reddit, cur ad Æneam loquatur, et vaticinium Helenus canat; quia videlicet auspicia Æneæ euntis per altum mare majora sunt, quam aliorum auspicia; Jove ita sortiente, vices volvente, vertente rerum ordinem. Indicat rerum omnium naturam volvi, et inverti ordinem, ut Æneas condat imperium in Italia, a quo Cæsares genus ducturi; quasi non aliter statui imperium hoc potuerit, nisi inverso rerum ordine, ac per mille molimina.

381. Putabat Æneas Italiam jam esse propinquam; portus ejus vicinos, et statim posse invadi; et vere non multum inde aberat: sed ignorabat tamen cursum illum, etiamsi brevem, esse perplexum ac difficilem ob Scyllam, ob Charybdin, ob alia pericula intersita: ideo illum docet Helenus esse viam il-

366. *Prodigium canit. Prodigium, portentum* et *monstrum*, modico fine discernuntur: sed confuse pro se plerunque ponuntur. Varro sane hæc ita definit; *ostentum*, quod aliquid hominibus ostendit; *portentum*, quod aliquid futurum portendit; *prodigium*, quod porro dirigit; *miraculum*, quod mirum est; *monstrum*, quod monet. *Serv.*

377. *Pauca tibi e multis*. Duo dicit esse dicturum: quemadmodum possit tuto navigare; et quibus signis Italiæ regna cognoscat. *Serv.* — *Pauca*. Multa instructionis causa fuerant referenda; sed ne illud fiat, dii prohibent me scire, et ipsa Juno referre aliqua non patitur; tamen dicam, quæ possunt esse in earum potestate: deinde narrat, quod quamvis Italia proxima sit, tamen longo circuitu ambienda est Sicilia. *Donat.* — *Hospita*, vicina; nihil est hospitio vicinius. *Serv.*

lam inviam, et longam non recta dimensione, sed ab longis terris, quæ in trajectu illo lustrandæ, ac circumeundæ. *Principio* est, ante omnia.

384. Aperit jam rem explicatius: erunt tibi longissimæ moræ circa Siciliam. Has moras apte explicat lentitie remorum: lustrandum est tibi Ausonium mare, est hoc mare pars Ionii; adeundi inferi, vide quis hic labor? Circes insula præternaviganda. Hæc, inquam, prius lustranda omnia, quam tutus sis, et tuto possis urbem condere. Hæc gesta sunt eo ordine, quo hic narrata: in hoc libro lustratur Sicilia, et mare Ausonium; in sexto, inferi: in septimo, Circes insula.

388. Adhibet signa loci ad quietem inveniendi. Aliquando ipse ad undas fluminis sollicitus invenies in litore suem, cui triginta porcelli; ipsa alba erit, fœtus quoque albi, cubabitque in solo: scias itaque illum esse locum condendæ urbis: jam tum tibi aderit laborum quies.

394. Duplex ratio, cur non debeat horrescere Harpyiarum minas, morsusque, quibus præ fame mensa erit absumenda; prior, immutabilis vis fatorum, quæ *viam invenient;* posterior, Apollinis favor, qui *vocatus aderit.*

396. Signat Calabriam et Apuleiam, quæ proximæ Epiro, ubi ipse est. Has enim partes Græci tenuerunt, appellaruntque Græciam Magnam. Ergo effuge h.s terras, effuge hanc oram Italici litoris, quæ nobis Epiroticis est proxima, ut quæ, *perfunditur,* abluitur *æstu,* undis ac fluctibus, *nostri maris.* Est *æstus* in mari, ubi aqua præ angustiis concitatur: sequitur ratio, cur debeat fugere, *cuncta malis habitantur mœnia Graiis.*

399. Ab generali rerum narratione, descendit ad peculiarem et signatam aliquarum civitatum, quas in ea ora Italiæ Græci condiderunt. Numerat Locros, qui profecti a Naritio Græciæ: Idomeneum, qui pulsus ab Creta consedit in Salentinis: demum Peteliam, parvum oppidum, quæ *subnixa,* id est, fulta et munita muro Philoctetæ ducis. Quum poeta dixerit, Græcos occupavisse oram illam, ejus consilium est, in attributis indicare partes illas Græciæ, unde profecti illi in Italiam: ideo, Locros vocat, Naritios; Idomeneum, Lyctium; Philoctetem, Melibœum: nam Locri profecti sunt ab Naritio oppido Atti-

398. *Malis Graiis.* Accipio malos, aut hostes, ut vere erant Trojanorum, aut, ex Græcorum ingenio, dolosos. Inde *Græca fides* pro mala, et perfida, in proverbium abiit. Aristophanes in Irena; Euripides in Andromacha, idem de Græcis dixerunt.

cæ; Idomeneus ab Lycto Cretæ oppido; Philoctetes a Melibœa Thessaliæ urbe.

403. Ab his monitis contendit ad rem sacram et religionem, docens quo ritu illa solvenda. Summa est, debere Æneam operari sacris velato capite amictu quodam, et obiter adhibet colorem amictus purpureum.

408. Ratio, cur velato capite debeant fieri sacra; ne sacerdoti operanti hostilis aliqua facies occurrat *inter sanctos ignes*, qui incenduntur *in honore Deorum*; atque ea facies *turbet* captata *omina*.

409. Demum admonet Æneam, ut non solnm ipse, et socii ejus, qui nunc cum ipso sunt, hunc ritum servent; sed etiam omnes ejus posteri.

410. Describit quod plerumque solet contingere navigantibus: vicinitas locorum facit, ut hi qui longius sunt, putent omnia esse interclusa; et nullum aditum; sed veluti claustra quædam. Quum vero proximæ sunt naves, tum quæ conjuncta esse putabantur, videntur jam aperiri, et rarescere.

412. Præceptum est, ut quum ad Pelorum accedat, tum dextram relinquat; nec illac velit Italiam adire, ne videlicet cogatur angustias penetrare, quæ sunt inter Scyllam et Charybdim: sed in lævam partem classem inflectat, totamque insulam circumlustret, circumeatque. Dices: nonne naviganti ex Epiro propior erat Calabria, Apulia, Magna demum Græcia; et adhuc ante Pelorum, ante Scyllam, et Charybdin? Est ita quidem: sed subeat, has partes habitatas Græcis, et fugiendas: fatumque Æneæ erat, ut qua est Latium, adiret Italiam, non alia: id vero nequibat fieri, nisi tota insula circumlustrata. Hæc, quæ subobscura esse videntur, intelligentur facillime, si adeantur tabulæ et descriptiones: res enim ista oculorum est.

414. Italia et Sicilia conjunctæ olim dicuntur fuisse, sed maris impetu dissiluisse a se convulsæ. Omnia sunt clara: vocula *protinus* est, conjunctim, et continuo una: ut dicat: *quum tellus utraque foret protinus una*, id est, continuatim una: clarius; quum esset una continens.

405. *Purpureo velare comas.* Subaudis *cura*, aut *memento*: aut certe, quod est melius, *velare* imperativus sit, non infinitivus. *Serv.*

414. *Hæc loca.* Ut etiam Sallustius dicit, Italiæ Siciliam conjunctam constat fuisse: sed medium spatium, aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam scissum. Ut autem curvum sit, facit natura mollioris Italiæ, in quam asperitas et altitudo Siciliæ æstum

420. Navigantibus ex Epiro, Italia dextra est, Sicilia læva: est vero Scylla in Italia, ac perinde ad dextram: Charybdis in Sicilia, ac perinde ad lævam. Inde Apollinius libro IV, vocat Scyllam Αὐσονίην, *Ausoniam*. Ergo, describit primo monstrum Charybdis: hæc ter quotidie sorbet fluctus in altissimam voraginem, atque alterna item vomitione eosdem ita eructat, ut verberet sidera. Nota duo verba *obsidet*, et *abruptum*: illud est militare, quasi Charybdis hostiliter et prædatorie locum obsideat ad cædem et rapinam nautarum: hoc signat ingens præcipitium, et immensam altissimamque voraginem: qua sane voce, ut et barathro et gurgite putandus est poeta expressisse etymon Charybdis, quæ dicta ἀπὸ τοῦ χάσκω, καὶ ῥοιβδῶ: *hio, et sorbeo.*

424. Pergit ad Scyllam, quæ ora exerit ex vasta quadam spelunca; et inde rapinam exercet, ad se naves trahens: sed quæ descriptio! Est huic monstro facies humana: est virgo usque ad pubem, corporis partem, qua sexus dignoscitur: deinde pubes ipsa, et uterus canes luposve repræsentant: tertio; huic canino lupinove utero commissa erat, et veluti insuta pistrix, aut caudæ delphinorum: est enim tertius versus explicatio secundi, quasi dicat: est pistrix in postrema parte, qua adnexæ utero caudæ delphinorum: unde hic tam pistricem quam delphinas pro marino quolibet pisce capias.

429. Ab repræsentato utroque malo vivide et ad terrorem, monet jam, uti relicto Peloro, ubi sunt Scylla et Charybdis, circumflectat classem, cum dispendio et cessatione cursus ad Pachynum versus Africam, ut sic demum totam insulam circumeat. Sed hæc, ut dixi, pendent ex tabulis. In illis, *quam semel informem*, etc. est ratio, cur hic circumitus peragendus.

433. Sciunt omnes inimicitias Junonis cum Trojanis: inde Helenus Æneam vehementer hortatur, ut illam reddat propitiam. Utitur vero, ante præceptum ipsum, magno verborum apparatu per versus quatuor, ut intelligat Æneas magnum esse, quod præcipitur: nam quale est audire! si prudentia est Heleno; si fides; si Apollo in me vera loquitur; unum tibi

relidit. *Serv.* — Veterum opinionem secutus, facit verisimile. *Don.*

426. *Prima hominis facies.* Græca est figura: τὰ πρῶτα ἄνθρωπος: primæ corporis partes: sic, *postrema*, τὰ ἔσχατα: ita Servius et alii: sed malim dicere *prima* facies, et *postrema* pars.

429. *Præstat.* Melius est. — *Metas lustrare.* Quis non videt sermonem ductum a Circo; ubi metæ, ubi circumflexio, ubi cursus?

tantum, quasi reliqua præ hoc nullius sint pretii, prædicam, et hoc unum præ omnibus: quin hoc unum iterum et iterum repetam te admonens. Vide vero ut interpunxi primum versum; ut prudentia ad Helenum, fides ad vatem referatur.

437. Sequitur jam præceptum pari verborum apparatu; nam ter repetit semper sub alia forma, ne excidat res commendata: monet itaque ut adoret; ut canat illi vota; ut superet donis supplicibus. Ipsam vero vocat magnam Junonem, potentem dominam, dat illi numen. Quo fine ista? ut victor Italiam attingat relicta Sicilia. Illud *supera donis* est, invitam etiam et nolentem obliga, ut tibi sit mitis.

441. Multa hujus partis pertinent ad ea quæ dicuntur libro sexto Æneid. et inde huc revocanda: dixit *lacus divinos*, vel a divinante Sibylla, vel a fatidico Apolline, vel quia ipsi lacus sacri sunt Plutoni: *Averna sylvis sonare*, quia muta sunt, sed supplent silvæ strepitum: itaque sonant non suo murmure, sed silvarum: censebant enim veteres tacita esse inferni flumina. *Insana vates* est fatidica, ac plena numine: illud *foliisque notas et carmina mandat*, dictum, quia in foliis palmæ scribi fata Sibyllæ ex Varrone adducit Servius.

445. Scribit late poeta, quæ facere solita esset Sibylla, quum ad eam accederent petituri oracula. Vocem *seclusa* Servius accipit pro, inclusa: non placet; nam apta est verbi significatio, ut dicat, relinqui folia separata a se: ideo *tenuis ventus*, quia hic satis ad *frondes teneras*. Quum ait, *janua turbavit*, intellige ventum ingredientem per januam: ideo *cavo saxo*, quia supra *fata canit sub rupe:* non curat *revocare situs* frondium, in quos hæ digestæ: nec *jungere carmina*, quæ jam avolarunt disjuncta a se: *inconsulti abeunt*, id est, ἄχρηστοι, quia non accepto oraculo discedunt, et ignari voluntatis Deorum.

453. Sententia est. Sibyllam adi; neque tanti facias celeritatem in navigando, ut putes te ex hoc moræ dispendio accepturum aliquid detrimenti. Itaque morare; posce oracula; posce, ipsa canat, neque oraculum foliis committat; nam quid tuas spes committas foliis, et vento? pete, ut ipsa resolvat vocem, resolvat ora; non per notas responsa det. Hæc tibi mora necessaria ad cursus expeditionem, etiam si socii increpitent in hanc tarditatem, cursusque ipse nauticus natura sua amans

441. *Cumæam urbem*. Cumæ, urbs maritima Italiæ, non longe a Baiis, condita a Cumæis et Chalcidensibus, nunc diruta. Hanc ponit in sinu Puteolano Mela II, 4. Vide Salmas. Exercit. Plin. p. 75.

celeritatis vela vocet, possisque implere secundo vento secundos velorum sinus.

458. Ratio cur istæ moræ faciendæ : nam illa tibi *expediet*, declarabit, futura Italiæ bella; docebit te, uti fugiendus labor, uti ferendus : dabit tibi cursum secundum.

461. Epilogus, quo ab honesto rerum summam concludit, sic hortando : fer ad æthera Trojam ingentem factis ingentibus.

463. Recte *effatus* cum respectu ad fata, quæ cecinerat; ad quam rem commode præcessit *vates;* nam vates fantur. In voce *ore* non est pleonasmus. Cecinit *ore* non notis, non signis, non foliis : talem se gessit qualem potuisset Æneas optare, et qualem vellet Sibyllam habere; ideo attributum *amico*.

464. Amplificat dona a materia, quia ex auro, quia ex ebore : a forma, quia ebur hoc sectum politumque. Locutio poetica est. Dona enim *gravia ex auro*, sunt dona ex auro gravi, nisi quis velit, in alia materia additum auri pondus : *stipatque carinis Ingens argentum;* adducit ad carinas, confecitque multum pondus auri atque argenti, quod Trojanis det dono. Quid præterea? *lebetas*. Hos a loco commendat, erant enim *Dodonæi:* ideo etiam *Dodonæi*, ut haberet Æneas ferretque secum domesticum oraculum. Sequitur, *Loricam consertam hamis auroque trilicem*. Dedit illi loricam hamis consertam, cui per hamos discurrebant trina licia aurea, primum ad fortitudinem, alterum ad elegantiam : vel erit ἓν διὰ δυοῖν, hac sententia; erat triplex ordo hamorum aureorum. Clarius : lorica erat trilex hamis auroque id est, hamis aureis.

468. Post loricam, quæ ad tuendum corpus et pectus, sequitur ornamentum capitis : dat enim Æneæ galeam, cui suus erat conus; cono cristæ; cristis comæ : hæc est sententia; sed Maro suo more, id est, poetico, rem exornat : galea dicitur *insignis* a cristis, quæ sunt in cono : est *conus* pars illa in galea prominens, cui parti hærent cristæ : postrema armorum commen-

461. *Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri*. Bene cum præscriptione, ne falsidicus vel minus peritus postea putaretur. *Serv.*

464. *Dona dehinc*. Mos veterum repræsentatur, qui abeuntes donis prosequebantur. — *Gravia*. Utrum aurea, an quibus non totis aureis addito auro pondus accesserit? et *gravia*, *a*, finalitatis ratione producitur : sed satis aspere : nam in nullam consonantem desinit. *Serv.*

467. *Loricam*. Et dona quæ augeant suas opes dat, et ea quibus se ab hoste tuetur, et omnia cum decoro : et dicit arma fuisse illius qui Trojam vicerat, ut sit insultatio, arma victum ferre victoris.

datio, quod essent *Neoptolemi:* nam hoc ipso gratiora Æneæ: rationes conjicit quisque. Sequitur, *sunt et sua dona parenti.* Hoc ex decoro. Æneas enim juvenis, et ipso militiæ fervore ardens, loricam et galeam accipit. Seniori Anchisæ alia ab his dantur, quæ ex decoro etiam tacentur. Nominaret Homerus, ut est ejus ingenium, scipionem ad sustentandum corpus: Zibellinas vestes ad arcendum frigus. Sed res ista Scaligerum appellet, qui facundus in Homerum.

470. An duces ad bellum? an vero duces, id est magistros equorum? an duces maritimi cursus, qui necessarii ad Scyllam, et Charybdin? pendeo.

471. Mortui remiges supplentur, dantur armamenta sociis navalibus: longissimus sane cursus et illos absumserat, et hæc corruperat. De discrimine remigum, et sociorum navalium, alibi loquor: nolim per *arma* intelligas militaria, tantum nautica.

472. Ex decoro seniori Anchisæ hæc semper cura datur; sic supra idem. Est *ventus ferens* secundus, et qui flat a puppi.

474. In verbis *compello* et *appello* insunt blanditiæ: dicit *multo honore*, propter elogia quæ sequuntur.

475. Quantus tu, qui dignus Veneris *conjugio?* Nota verbum: stuprum fuit istud; nam conjux Veneris tantum Vulcanus; sed velat poeta honestis nominibus, quæ minus decent dignitatem Anchisæ patris, Æneæ filii, Ascanii nepotis.

476. Cur *Deum cura?* quia bis ereptus Trojana ruina, semel sub Laomedonte, quum Hercules urbem excidit; iterum sub Priamo, quum Græci.

477. Respectum ad circuitum illum, quem jam supra docuit: ex Epiro enim Italia cernitur: ergo; ecce ea tellus, quæ tibi, quæ tuis fatis promissa: ea tibi arripienda; sed tamen prius circumeunda maria: sic disponente necessitate fatorum.

479. Ostendit agrum Lavinium, quem debeat arripere, juvante per oracula Apolline; quasi dicat: pars illa Italiæ, non alia, arripienda est tibi; hanc enim Apollo pandit.

480. Vix capias sermonis hujus affectum, ita magnus est poeta in indicandis sensibus animorum. Quæ hic interpretes de vaticinio mortis Anchisæ, vix est ut probem.

482. Πάθος a circumstantia temporis: ideo enim *mœsta*, quia *supremo digressu:* inde etiam dona affert, quia tunc libentius

481. *Provehor.* Sermone progredior; ut ostendunt sequentia. — *Demoror austros.* Id est, vos demoror, quo minus ventis utamini. *S.*

ea dari solita, atque etiam affectuosius : dat ea vero Ascanio Andromache ex miro decoro, cujus hic vates semper retinentissimus : nam sicut vir Helenus virum Æneam muneribus affecerat ; sic fœmina Ascanium puerum, vel ex similitudine formæ Astyanactis, qua tangitur viso Ascanio. Quæ vero affert dona? *vestes picturatas auri subtemine*, id est, pictas textoria arte : est enim subtemen filum illud, quod per stamina, id est, per stantia in longum fila hinc inde percurrit alterna sublatione et depressione : quo facto utrumque pariter et stamen et subtemen addensatur percussione pectinis : ac demum omnia formata jam in telam convolvuntur jugo : inde est, ut subtemen dicatur pingere stamina aut formis animalium, aut rebus aliis. Deinde attulit *chlamydem Phrygiam*, et eam fortasse, qua usus Astyanax : nam cui alteri reservaret, nisi ad memoriam luctus? et congrue quidem Phrygia fœmina dat munus Phrygium. Sed quid est illud; *nec cedit honori?* varie varii : hæreo Julio Scaligero, quia ita explicat : *Si non superat, saltem æquat :* itaque non cedit Heleno in muneribus. *Textilibusque onerat donis*, ἐκ τοῦ πρέποντος, dantis : quid enim det fœmina, nisi textilia? et nota affectum *onerat* ex incredibili cupiditate dantis. Est etiam in istis *textilibus donis* declaratio superiorum; quasi dicat : dat vestes picturatas; dat Phrygiam chlamydem ; omnia textilia.

486. Accedunt ad dona etiam verba, et hæc quidem plena affectuum et emphaseon. Donat tibi, non quælibet, sed ego Andromache, quæ conjux Hectoris, quæ nurus Priami, et dono *monumenta manuum mearum :* ideo vero *monumenta*, ut te amoris mei moneant, et *testentur amorem* istum satis *longum*, et in multos annos duraturum : quo ipso longam quoque vitam obiter precatur Ascanio : et *cape*, inquit, *dona extrema tuorum*, quos jam deinceps nunquam es visurus : vox *puer* signata ad amorem. Qui vero ille affectus?

485. *Onerat.* Ut in Heleno dixit : « stipatque carinis » : ille vir fortis donat aurum, argentum, arma viro forti : hæc mulier donat puero textilia. Ergo habuit rationem personarum : hæc etiam duo genera munerum ponit : chlamydem auri subtegmine variatam, quæ esset ex antiquis. Item alia munera, quæ non essent tanti pretii, sed suis manibus : unde quum hæc offerret, dixit : *accipe et hæc*, præter chlamydem et prædicta : ut alterum haberet pretium, alterum amoris religionem et dantis affinis affectum. Ergo si non valent dona, valeat persona Andromaches, tui avunculi uxoris. *Donat.*

O mihi sola mei super Astyanactis imago!

Satis videbatur *imago Astyanactis*, addit, *mei* et *mihi*, et *sola;* nam nulla est reliqua, hoc enim est *super:* quo loco cum magna emphasi ponitur adverbium pro verbo; id est, *super,* pro, *superest.*

490. Pergit in affectibus; atque ita, ut dum ipsa dolori suo indulget recordatione Astyanactis, Ascanium extollat, comparans cum illo, qui futurus tanti imperii, nisi mors rapuisset, hæres: itaque pariter et se dolore satiat, et Ascanium laudat; profusa in lacrymas; magnifica in laudes.

492. Mirum, si aliter accidisset! Soluti in fletus omnes sunt, etiam si tantum repræsententur Æneæ lacrymæ, ut præ cæteris pii: et recte *obortis lacrymis,* quia cadebant sponte, non invitæ, atque adeo veræ lacrymæ.

493. Versum hunc sic distinguo; *Vivite: felices quibus est fortuna peracta jam sua.* Non; *Vivite felices, quibus,* etc. Itaque prius precatur, ut vivant: deinde ait, eos omnes felices esse, quibus peracta est sua fortuna: ac perinde relinquit subintelligendum, felices quoque esse Trojanos, qui consederunt in Epiro, quum illi suam fortunam jam peregerint. Si enim sententia esset, quam vulgus putat, dixisset *fortuna vestra,* non *sua.* Ergo, vos vivite: felices, qui ita ut vos; nos enim infelices satis, qui ex fatis adhuc vocamur in nova semper fata, perpetua calamitatum serie.

495. Comparat felicitatem illorum, qui consederunt in Epiro, cum laboribus, qui sibi suisque accident, qui nondum sedes invenere. Vobis, inquit, parta jam est quies; non mare arandum; non quærenda Italia, ut nobis, quæ semper fugit retro, semper cedit: sic nimirum explicat *votum ardentissimum* inveniendæ Italiæ: videtis, si non Xanthum; at certe effigiem

489. *O mihi sola mei super.* Etiam hæc contendit Scaliger V, 3, cum Homericis: « Et divina, » inquit, « illa sunt. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.* Et quanquam Græcus ibi, ὀφθαλμῶν βολὰς, mirifice dixit; non potuit Latine noster: at alio verbo compensavit: gestum enim apposuit, quum dixit, *ferebat:* et mirum quod addit, *Et nunc æquali tecum pubesceret ævo,* ut augeat affectum memoriæ, ex repræsentatione rei, quæ non est, et esset. » Hæc *Scaliger.*

495. *Vobis parta quies.* Locus hic cognationem habet cum eo, Æn. I, 437: « O fortunati quorum jam mœnia surgunt, Æneas ait. » Ut vero hic *cedentia retro,* sic in Æ. V, 628: « dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis. » Poeta enim, ut aliis, sic sibi interdum insistit, seque ipse æmulatur. *Cerda.*

ejus: si non magnam illam Trojam, ubi nati; at certe hanc Trojam, quam vos vestris manibus nasci fecistis: opto autem, ut hæc vestra Troja condita fuerit melioribus auspiciis, quam antiqua illa; id est, minus exposita furori Græcorum.

500. Perplexi aliquantulum isti versus, illos tyronibus ita expedio: *Si* (ali) *quando intra* (ve) *ro Tybrin, arvaque vicina Tybridis, cernamque mœnia data* (fatis) *genti meæ; faciemus Trojam utramque*, (quam vos condidistis, et quam nos condemus), *unam animis* (id est, unanimem): *utramque* dico *Trojam*, nimirum *urbes olim cognatas, populosque propinquos* (in) *Epiro*, (et in) *Hesperia, quibus* (urbibus et populis) *idem Dardanus* (est) *auctor, atque* (quibus inest) *idem casus* (miserrimus:) *ea cura maneat nepotes nostros*. Hac vocularum interpositione clara erit sententia novitiis. Jam meo more illam explico: dicit utramque Trojam, et Epiroticam, et Italicam debere esse unam animis, studio, voluntate. Hujus rei ratio quadruplex: prima, cognatio ipsa; nam omnes Trojani: secunda, propinquitas locorum; nam propinquæ sibi Italia, et Epirus: tertia, auctor idem utrique genti; id est, Dardanus: quarta, casus idem; nam Helenus atque Æneas variis casibus agitati sunt. Particula *olim* capienda hic de tempore futuro, ut sæpe alias *olim* in posterum. De hac cognatione inter Epirotas et Romanos consulendus est Excursus XIII, tom. II, pag. 468.

506. Ubi solvunt ex Epiro, signate ex Buthroto, Ceraunios montes, alias Acroceraunios, præterlegunt. Sunt hi in fine Epiri ad Ionium mare, e regione Italiæ, sic dicti ab assidua fulminum jaculatione, cui expositi.

508. Perinde ac si dicat; ideo opaci, quia umbrantur abeunte sole. Ait, nocte adveniente descendisse in litus ad curanda cibo corpora, ad capiendos somnos: sed prius tamen, quam corpus curant, remos sortiuntur, ut ad signum Palinuri statim surgant ad incumbendum remis.

512. Pulchra rerum oppositio: strati erant milites dulci somno implicati: Palinurus ante noctem mediam jam surgit; ventos explorat; captat aerem; notat sidera.

514. *Auribus aera captat.* Naturale enim est, ut a qua parte flaturus est ventus, ad eam auris admota frigidior fiat. *Serv.* — Virgilius hic Homero superior, teste Macrob. Saturn. V. 11.

515. *Sidera cuncta notat.* Ideo *cuncta*, quia in prognosticis legitur non sufficere unum signum ad explorandam futuram serenitatem. — *Tacito cælo.* Aut nocturno, per quod tacetur: aut ipse tacitus:

516. Notat *Arcturum*, custodem illum ursæ: notat *Hyadas*, has vocat pluvias; notans etymon vocis; dictæ enim ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est, *pluere:* notat *geminos triones*, id est, boves duos; alio nomine, ursam duplicem. *Oriona* pariter notat *armatum auro*, quia signum hoc ensiferum est.

518. Nihil in cælo erat inconstans, nihil varium; omnia tranquilla, ad pacem serenitatemque composita: ideo Palinurus signum dat ad surgendum; quo audito movent, *castra*, id est, classem; tentant maris viam; vela expandunt, quæ navi sunt instar alarum, quibus ea advolat.

521. Ad primam lucem adventantis Auroræ, vident ante oculos, nam hoc est *procul*, Italiam tot navigationibus quæsitam, tot petitam oraculis: sed ita vident, ut tantum *obscuros* quosdam *colles*, atque *Italiam humilem:* quippe e longinquo intuentibus, hæc esse species debebat. Vult Hortensius, per *colles obscuros* signari Iapygiam, et Nascimbænus, Italiam dici *humilem*, quia ab ea parte non habet altos montes, et sita est in plano, ut dixit Servius. Statim omnes erumpunt exultabundi, clamantes et salutantes Italiam: iteratio vocis indicat gestientem animo lætitiam. Nescias quo decoro ea vox primum Achati detur: senex enim longinqua itineris fatigatione confectus, intentior præ aliis erat. Ex qua etiam mente statim, nam omnia videt Virgilius, Anchises inducitur vocans Deos. Accedit et ratio alia: juvenes, qui in ea erant classe, putare poterant, se tandem perventuros ad Italiam, suppetente adhuc naturaliter ævo: non sic senes, quibus quum quotidie fatum immineret, poterant suspicari, nunquam se ad Italiam perventuros: hinc intentiores in cursu, et lætiores visa Italia.

525. Anchises e puppi, quæ pars navis celsior, craterem vino puro implet ad summum; illi imponit coronam e floribus; Deos invocat: Deos maris precatur, qui navigat; tempestatum, ut prospere naviget; terræ, quia terras inquirit.

530. Anchisæ meritum. Petiverat, *Dii spirate secundi:* fit ita;

aut certe ad homines retulit: nam licet æternus sit [illegible]xium sonus, tamen a nobis non auditur: ergo quantum ad nos, *tacitum* dixit. — *Labentia.* Cursu scilicet mundi, neque enim ventis feruntur, sicut de planetis dicitur. — *Notat*; id est, diligenter oculis intuetur. *Serv.*

519. *Castra movemus. Castra* sunt ubi miles steterit: modo tamen classem significat, quia et *castra nautica* dicuntur. Commutatio metaphorarum pulchra est: hic *castra* de re nautica; in lib. II, Æneid. 30, *classem* de terrestri exercitu. « classibus hic locus; » adi.

nam *auræ optatæ crebrescunt;* qua auræ benignitate *patescit portus,* ut qui jam *propior,* et *apparet templum Minervæ,* quod erat *in arce:* statim leguntur vela; itur remis ad litus. Est hoc, quod supra: *vela cadunt, remis insurgimus:* quod hic *torquent proras ad litora;* alibi, *ocyus advertunt proras.*

533. Describitur Italiæ portus, ad quem Trojani appulere: descriptio vero petenda a re triplici; situ; forma; materia: situs, nam ad orientem: forma, nam curvatus; objectæ illi rupes in morem turrium, brachiorum, et murorum: materia, nam vivi scopuli, vivæ cautes. Sententia itaque est: portus ab ea parte, qua orientem respicit, curvatus est in arcum: illi objectæ sunt cautes, in quas illisa aqua, spumat: hinc est, ut ipse lateat; nam scopuli (sunt hi, quos ante cautes dixerat) demittunt brachia muro gemino.

537. Præbuit bellicosum animal, omen futuri belli: ait *primum omen* recte: nam hoc ex re subita accipiebatur, et veteres quidem admodum superstitiose omnia vertebant in omen. Accipe *gramen* pro quocumque pastu, ex usu poetarum: quum ait *late,* intellige equos palabundos. Dat Anchisæ jam seni peritiam augurandi, ex magno decoro. Est *terra hospita,* quæ nos hospitio excipit, quasi dicat: bellone hospites tuos excipis? signate *minantur;* nam in auguriis *minæ Deorum* frequentissimæ, non minus ac iræ.

541. Eludit statim atrocitatem ominis, vertitque in melius, et bello pacem comparandam declarat; quia videlicet hoc animal jugale est, ac perinde pacificum: dixit *curru succedere,* pro currui.

543. Convertunt se statim ad preces, precanturque Palladem; nam is locus, ad quem appulerant, huic Deæ erat sacer. Est hic *ovantes,* plenos gaudii, et lætabundos, veluti parta vic-

532. *Legunt.* Verbum nautis familiare: nam funes et vela quum colligunt, vel aliqua loca quum transeunt, *legere* appellant.

537. *Primum.* Aut quale nunquam antea viderat: aut antequam aliud videret: aut certe quia sequitur porcæ albæ omen. Alii vero *tondentes primum campum* volunt, id est, primam partem campi.

542. *Quadrupedes.* In antiquis codicibus, *quadripedes* per *i,* ut *bipes, tripes.* Sed *quadrupes* per *u* in consuetudine mansit: ut ex *periquilo periculum:* et alia quædam hujusmodi, quæ per *i* enuntiari, scribique solita Velius Longus ait.

544. *Palladis armisonæ.* Bene post belli omen, armorum deam precatur, quanquam hoc templum visum ad omen pertineat.— Ad alia signa belli, accedit templum armatæ Palladis, quam merito orat, ut prosperum faceret, si quid adversi

toria: statim rem sacram ex præceptis Heleni, et rite facturi, velant capita *amictu Phrygio*, qui amictus purpureus erat; nam supra, *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Sacra hæc fiunt in honorem Junonis, ut idem Helenus non semel monuerat; imo præceptum hoc fuerat omnium maximum: et *Argivæ*, ut putaret ea, se ab Trojanis coli etiam Argivis faventem; et inde iras poneret, illorum pietate prospecta.

548. Perfectis omnibus ex *ordine*, id est, rite, inde abeunt ex præcepto ejusdem Heleni, qui dixerat, *Effuge; cuncta malis habitantur mœnia Graiis.* Ita vero hic obvertuntur antennæ ad futuram navigationem, ut in Æneid. VI, *obvertunt pelago proras.* Est antenna lignum transversum in *malo*, quod velum sustinet; inde eo quasi obvoluta est; quare hic *velatæ antennæ:* difficultatem rei gerendæ ipso versu expressit, imo superavit: difficilius enim quam antennæ moventur, currit hic versus,

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

551. Narrat, quæ viderint Trojani in trajectu illo: cernunt sinum Tarentinum, templum Junonis Laciniæ, Caulonem: lege de hoc Plinium, Strabonem, Melam: cernunt Scylacæum, quod in ora Calabriæ, conjunctumque cum Caulone. Hic tu adnota, nihil relictum absque ornatu, quo nominum duritas temperetur: vulgaris poeta nihil hoc curans conjungeret plura nomina confertim et insipide, quibus aures verberaret: noster ita convestit, ut mire exornet. Tarentum vocat Herculeum; dubius, an ita debeat, et relinquit famæ: templum Junonis exornat, tum quod in edito loco; tum quod situm e regione Tarenti: noluit simpliciter Caulonem, sed arces Caulonis: noluit tantum Scylacæum, nisi adderet, navifragum. — De Herculeo Tarento lege Excursum XIV, tom. II, pag. 469.

554. Hic locus, et quæ sequuntur omnia, a nemine, quod sciam, perpensa sunt: soleo dicere, hunc esse unum e difficillimis locis Virgilii, sed hoc potius incuria interpretum, quam re ipsa. Advertat diligens Virgilii lector, solere illum, quum ad narrationem aliquam se accingit, prius veluti semina breviter jacere; mox recurrere ad narrationem late explicandam. Id observavit Julius Scaliger, id nos sæpissime; id omnes

immineret, et ovantes dimitteret, quos ovantes acceperat.

549. *Velatarum.* Quia antennæ involutæ sunt velo, id est, velatæ, et est versus Spondazon. *Serv.* — De dispositione autem hujus versus consulatur Pontanus in Actio. et Scalig. Poet. IV, 48.

sciunt, id indicat locus, in quo nunc sum : cernitur e fluctibus Ætna mons, qui est in Sicilia : auditur ingens gemitus pelagi; saxa pulsata; fractæ voces ad litora; est hæc, o lector, Scylla : exultant vada; arenæ æstu magno miscentur; hæc jam Charybdis est : quippe notæ illæ saxorum sonantium, scopulorum, ac vocum, ducunt nos ad Scyllam : æstus, vada, arenæ, ad Charybdin : itaque quum Ætnam clare posuisset, noluit Scyllam et Charybdin; sed per notas. En jacta semina narrationis.

558. Sequitur jam explicatio lata, sed inverso ordine : incipit quippe a Charybdi et Scylla; hæc duo junctim exhibens, in fine perveniet ad Ætnam : explico jam duos versus, in quibus nunc sum, hunc in modum, repetens superiora, ut clare teneas : audimus gemitum pelagi; saxa pulsata; voces fractas, id est, Scyllam : videmus vada exultantia, æstum pelagi, id est, Charybdin : post quæ Anchises. Hæc posterior, quæ vadis exultat, Charybdis est : illa prior, ubi scopuli et saxa, Scylla est : hos enim nobis scopulos canebat Helenus; hæc saxa : ubinam cecinit? Audi : *Scyllam, et cæruleis canibus resonantia saxa.* Sonitus enim et clamor nota est Scyllæ; Charybdis tantum vomitus, sorbitio, eructatio, æstus arenæ.

560. Quum se videant prope Scyllam et Charybdin, flectunt ad lævam ex monitu Heleni, ut insulam circumeant, et effugiant utrumque monstrum. Hic tu nota celeritatem, qua omnia fiunt puncto temporis : nam et Anchisæ sermoni verbum adimitur; non enim est, ait, dixit, aut simile : sed ut in re subita, et quæ eget festinationis, *eripite*, in quo est imperium : et *socii*, ubi exhortatio peramica et benevola : et *insurgite remis*, quibus statuit, qui debeant eripere. Vix hoc dicto, jussa omnes faciunt; velis remisque incumbunt; dextram linquunt; lævam petunt : in quibus enitescit opera Palinuri : per *proram rudentem* intellige sonantem stridentemque.

564. Similes hic tenebræ, atque in superioribus, nisi discrimines, uti nos supra : ergo, quum ad lævam tenderent, ut Scyllam Charybdinque fugerent, quæ erant in dextra, non potuerunt omnino pericula illa evitare : nam pars ea maris tota est intractabilis ex vicinitate Scyllæ et Charybdis. Itaque ait; experimur utrumque malum Charybdis et Scyllæ : Charybdis, nam in cælum tollimur eructante illa nos; et ad manes et imum descendimus, subducente se atque aperiente aqua : Scyllæ, nam auditus a nobis clamor inter saxa et scopulos; visa est spuma elisa, et rorantia astra. Itaque duo primi ver-

sus ad Charybdin pertinent; qui sequuntur duo, ad Scyllam. Si quis istam in explicando longitudinem damnaverit, videat nos omnibus scribere; et quidem hic locus fortasse fugit doctos, non paucos.

568. Ventus Solque una Trojanos relinquunt; inde feruntur ad oras Cyclopum, ut qui in tenebris essent, et cursus ignari. Itaque nihil profuit, visam jam e fluctu Ætnam, ut sibi caverent; nam nox et ignoratio locorum eo illos advexit.

570. Describit portum illum, ad quem per imprudentiam appulere Trojani; tria de illo : primo immotam tranquillamque esse ibi aquam, quia non eo accedunt venti, qui turbent : deinde, esse ingentem capacemque : tertio, esse proximum Ætnæ intonanti horrificis ruinis. In particula, *sed*, sententia est non vulgaris : quasi dicat : nos portus ipse tutos reddebat, ut qui inaccessus a ventis; et erat commodus, ut qui ingens; sed terrebat Ætna. Hujus rei occasione transit ad descriptionem montis Ætnæ, explicaturus, quem attigerat illo versu, *Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Ætna.*

572. Sequitur luculenta Ætnæ descriptio, digna Virgilio, et cum mira rerum oppositione. Hoc enim ego addo operæ reliquorum interpretum, qui multa quum viderint, de oppositione tacent. Prioribus tribus versibus ponit flammam, et fumum; posterioribus tribus saxa liquefacta. Itaque interdum

568. *Ventus cum sole.* Ventorum enim mutationem necesse est fieri vel oriente Sole, vel occidente. Ventus cecidit cum occasu solis. Vide Aristot. Meteor. lib. II, ubi docet, solem et compescere ventum et excitare.

571. *Tonat Ætna.* Montem confragosum innuit : nam conflictus illi et fragores, nisi in concavo et cavernoso fieri nequeunt, etc. Deinde dicit, *interdum* : ne discernat diem a nocte : et, ne a se discedat, post *tonat*, dicit *nubem* : tonare enim et nubescere, in aere contingit. Cernimus etiam, ut rem efferat : quum non *fumum*, sed *nubem*, et quidem *atram* ; et *prorumpit*, quod violentum verbum est : et *æthera* potius, quam *aerem*, ut nimium impetum absolveret. *Fumantem* ; non ita quidem veritatem velat, ut non suis aliquando nominibus rem exprimat. *Fumi* enim ex aspergine ignea, non *nubes*, exsurgunt. *Turbine piceo*, et impetum et colorem non sine quadam animi commotione designat : ad hæc piceus color in nubibus terrificus est : duo hæc simul conjunxit, ut rei miraculum augeret. Nec non *flammas*, *fumos*, *lucem*, *tenebras*, *favillas* simul miscet, et *turbinem piceum*, et *favillam candentem*. Quid amplius? *globos* etiam *flammarum attollit* : et quod satis hoc non videretur, *lambit* etiam *sidera* : ut quo ultra progrederetur, non haberet. *J. C. Scaliger.* Servius ait indicari effectum, causas supprimi.

Ætna prorumpit nubem atram, turbinem piceum, favillam candentem, globos flammarum; interdum scopulos, montis viscera, saxa liquefacta: ut vero priores tres desinit illis verbis, *sidera lambit;* ita tres posteriores istis, *fundoque exæstuat imo*, veluti quærens oppositionem; quasi dicat; quo Ætna altiores erigit flammas, eo æstuat profundius: quo superne formidolosius attingit sidera pice, favillis, flammis; eo inferne gravius gemit avulsis, eructatis, liquefactisque visceribus: et ut nihil desit ad oppositionem, in tribus superioribus omnia sunt levia; nubes, turbo, favilla, flammæ: in tribus inferioribus omnia gravia; scopuli, montis viscera, saxa. — Si alia desideres ad integram cognitionem hujus loci, vide Excursum XV, de Ætna, tom. II, pag. 471.

578. Veras causas Ætnæi incendii vates ipse in Ætna, seu potius Cornelius Severus, persequitur: nunc illi placitum ad fabulas decurrere more Epicorum, quorum ipse est princeps. Enceladus, ait, ex eo loco flammas exspirat, atque dum se commovet in alterutram partem, efficit, ut Sicilia adfremat, atque immugiat.

583. Finge ipse nautas locorum et regionis ignaros appellere noctu ad locum, ubi audiant tonitrua illa intonantis Ætnæ, videantque fumum et globos flammarum ex vicino loco eructatos: quid tum pavoris? poeta hæc præclare vocat *monstra*, tanquam prodigia quædam insolentissima. Sequitur deinde causa superioris sententiæ: ideo pavidi, quia nulli ignes astrorum, nec polus lucebat fulgore stellarum: est enim *æthra* splendor, et lux ætheris: quin potius nox erat nubila in obscuro cælo, id est, ideo nox obscura, quia cælum nubilum; et eadem nox intempesta impediebat Lunam nimbo quodam obsessam.

588. Signat primum diluculum, ἠώς *Aurora* est; inde tempus illud *Eoum*: inde in Virgilio subaudiendum, tempore: ideo

578. *Fama est.* Recte inducit Æneam iis quæ fabulosa erant dicentem, « fama est, » ne se auctorem rerum impossibilium faciat. — *Enceladi.* Filios secundum Hyginum in præf. Terræ et Tartari: illius meminit Claudianus de raptu Proserpinæ, lib. I, 153: « Ætna, Enceladi bustum, qui saucia, etc. »

587. *Nox intempesta.* Media: hoc est nimium obscura: *intempesta* dicitur, quia caret tempore: sane noctis septem tempora ponuntur: *Crepusculum*, quod et Vesper: *Fax*, quo lumina incenduntur: *Concubium*, quo nos quieti damus: *Intempesta*, id est, media: *Gallicinium*, quo galli cantant: *Conticinium*, post cantum gallorum silentium: *Aurora* vel *crepusculum matutinum*, tempus quod ante Solem est. *Serv.*

vero primum Eoum, quia jam abierat umbra; hæc *humens* dicitur ab nocte, quæ etiam humida.

590. Varii casus poesin discriminant; inde hic quæ sequuntur de Achæmenide : *procedit*, inquit, *subito e silvis nova forma ignoti viri;* quasi jam ab homine deformatus in feram transierit. Cur vero *nova forma?* quia *confecta macie suprema*, et *cultu miseranda :* ut vero procedit, statim *supplex tendit manus ad litora*, ubi nos.

593. Adnecte hæc cum superioribus, et videbis, nihil dici absolutius posse ad exprimendum habitum hominis pædore obsiti, squalore confecti, et forma omnino deformata. Vides novam formam, et hanc pæne in vitæ exitu; nam *confecta suprema macie*: huc accedit *illuvies*, quæ *dira*, et horrida : *barba*, quæ *promissa* prolixaque lugentium more; utique videres hominem ἐπιϐαλλόμενον, καὶ καθειμένον τὸν πώγωνα : *tegmen* vero vestimentumque corporis *consertum* concinnatumque e *spinis*, ut solent illi esse, qui ferino more in agris vivunt : *cætera* si considerares, *Graius* erat. Refer hoc ad sermonem, quo utebatur, ad incessum, ad corporis mensuram, ad colorem barbæ, et ad reliqua, quibus solent nationes ab aliis distingui.

596. Describit hominem hærentem ad visos hostes, dubitantemque, an sese illis committat : post hanc moram satius ducens, in illos incidere, quam ibi degere, ad illos præceps decurrit, ratus fore, ut lacrymis precibusque vincerentur. Sed quæ preces, et quam validæ? *Testor*, obtestorque vos *per sidera*, *per Superos*, per aerem, quem spiratis : ita explicat Scaliger illud, *cœli spirabile lumen*. Quid vero tantis precibus? ut tollatur, abducaturque inde in quascumque terras : nam hoc summum erit beneficium, et sibi satis : sic infra, *satis est gentem effugisse nefandam*, quasi dicat; tantum peto, hic non esse, *hoc sat erit*. Mox fatetur, se Græcum esse; bello Trojam petiisse; præoccupans videlicet, quæ possent objici. Qui locus efficax ad hostilem iram retardandam : fit enim, ut ubi quis dicat, quæ in se sunt vitiosa, nihil alteri relinquat ad reprehensionem : quid quod eodem affectu misericordia excitatur?

604. Hic quoque præoccupat supplicium; quasi dicat; quo me vos supplicio dignum putatis pro tanta injuria, pro tanto

598. *Mox*. Ubi metum vicit necessitas. — *Præceps*. Sine respectu salutis, scilicet postquam Cyclopum graviora cogitavit pericula : sane brevis ei, quasi timenti, prima datur oratio. *Serv.*

scelere? Si censetis fluctus, si pontum, si hiatus vastos: en me, spargite in fluctus, ponto immergite, detrudite in barathrum. Reddit rationem: nam perire manibus hominum jucundum est; non ferarum, ut sunt Cyclopes, quorum quotidie carnificinam opperior: perire malum est; sed aliud scilicet perire a fera, aliud ab homine. Extremus versus dupliciter potest exponi sententia discrepante, sed parum quidem, et quæ in idem recidit: potest enim legi:

Si pereo manibus hominum, periisse juvabit,

vel,

Si pereo, manibus hominum periisse juvabit.

607. Vix ea dixerat, quum statim, more supplicum, cœpit genua Æneæ (nam de Ænea capiendus sermo procul dubio) amplecti; illis advolvi; imo illis sæpissime volutari; ac vero propius hærescere. Subeat Lector, dictum supra, *cum fletu precibusque tulit*: preces jam audisti, illis, *per sidera testor*, etc. est in fletu: ista enim supplicum volutatio tota lacrymabunda est, et apta ad eliciendam misericordiam. Hæc quum faceret, tria ab eo quæruntur: primo, qua in parte Græciæ natus; nam hoc est, *quis sit?* Sitne Argivus, Ithacus, Mycenæus, etc.? nescio, qui hoc aliqui ad nomen referant: deinde, quod ejus genus: tertio, quæ tam dira calamitas illum agitet.

610. Oppositio in vocibus: dat *juveni* manum, quia *pater*: et quidem ex decoro magno inducitur Anchises senex cum hac humanitate erga hostem. *Firmat animum præsenti pignore:* quod hoc pignus præsens? dedisse manum: nam præbitione manus continetur amoris et fidei pignus.

612. Confirmatus respondet ad quæsita: tria hæc fuerant, quis esset? quo satus genere? qua fortuna agitaretur? satisfacit primo; sum Ithacus; nam comes Ulyssis, ejusque miles; ociter aperit nomen suum: satisfacit secundo: sum genitus paupere Adamasto; (atque utinam eadem semper perseveras-

605. *Spargite.* Hoc est, dilacerate: quod ne fieret, crudelitas facti descripta est. *Serv.* et *Donat.*

608. *Qui sit, fari.* Per omnia subaudi, *hortamur.* — *Fari* et *fateri* differunt: nam *fari* est simpliciter aliquid referre: *fateri* autem est, ex necessitate, quæ secreto contingunt, publicare.

610. *Haud multa moratus.* Nimiæ benignitatis est, non exspectare plurimas preces. *Serv.*

613. *Infelicis Ulixi.* Quoniam apud hostes loquitur, quærit favorem ejus vituperatione, quem scit odio esse Trojanis. *Serv.*

615. *Paupere.* Nam, ut etiam de Sinone diximus, apud majores hæc

set inopia!) qua cogente paupertate contuli me ad Trojana arma.

616. Satisfacit tertio: quæritis fortunam? quam ea aspera! socii dum abeunt, et Cyclopem fugiunt, hic me linquunt: sed excusentur; nam *immemores* hoc fecerunt, ut qui *trepidi;* calamitas quippe memoriam abstulit: signat in hoc loco trepidatio non tam metum, quam celeritatem fugæ, qua rerum omnium obliti. Ex occasione describit et domum Cyclopis, et Cyclopem ipsum: nam hæc pertinent ad fortunam, qua agitabatur. Ergo domus est et crudelis, et formidanda: crudelis sanie, dapibus, humano cibo; formidanda opacitate et magnitudine. Cyclops vero ipse pari formidine, pari crudelitate: formidine; nam ut domus ejus ingens, ita ipse formidandus quoque magnitudine; nam ita est arduus, ut pulset sidera, neque facile ab ullo cerni queat, neque facile, quantus sit, oratione exprimi; crudelis, nam ut ejus domus tota est sanie plena, ita ipse totus plenus cruore, ut qui pascatur visceribus humanis, et sanguine. Parenthesis continet detestationem monstri.

623. Repræsentat crudelitatem et ingluviem Cyclopis ita vivide, ut putes te cernere: crudelitatem in arreptis corporibus, fractisque ad saxum: ingluviem, quum mandit membra, quæ tabo fluunt; quum artus tremunt sub dentibus. Heynius fœda hæc ad sensum narrari probat Excursu XVI, tom. II, pag. 472.

628. Non cessit Cyclopi impunis crudelitas; nam Ulysses non passus est inulte illum hoc fecisse: neque in manifesto vitæ periculo oblitus est sui: jam monui calliditatem et dolos Ulyssis infames fuisse præcipue sub nomine *Ithaci*, quo hic quoque videtur respectum: quasi dicat; qui Ithacus; id est; qui vaferrimus, non potuit sibi deesse in hoc periculo.

630. Scribit, uti facta ultio sociorum, quos devoraverat Cyclops. Post tam diras epulas ille se ad somnum composuit,

fuerat causa militiæ; et bene utitur statu veniali, per excusationem paupertatis; ut conciliet hostium animos, quasi necessitate adversus eos dimicaverit. *Serv.*

621. *Nec visu facilis.* Cujus possit etiam aspectus inferre formidinem. *Serv.* — *Affabilis*, ut in Mediceo; sumptumque est ex Attio in Philoctete, ubi est, « Quem neque tueri contra, neque adfari queas. » Alterum vero, id est, *effabilis*, illud Servius agnoscit: exponitque *sermone non explicabilis*, quod æque placet. *Pier.*

630. *Nam simul expletus.* Om-

ac totum pæne antrum occupavit porrecti corporis magnitudine: quo in somno cœpit crapulam vomere, eructans saniem occisorum, et frusta carnium, una cum mero, quo se affatim ingurgitaverat. Tunc omnes, duce Ulysse, præmissa Deorum invocatione, ac laborem sortiti, circum illum fundimur, oculumque, quem unicum tantum habebat, eumque latentem in fronte sub capillitio sylvoso, acuto stipite terebramus: qui sane oculus videbatur magnitudine Argolicum clypeum, aut orbem Solis repræsentare: ita demum socios ulciscimur, lætissimi rem pro votis accidisse.

639. Versus totus celeritatem spirat, qua vult ut inde Trojani abeant: quasi dicat; fuga ista sit, non solutio a portu: et ideo funem rumpite, non solvite, ne moræ in solvendo sint: illud *fugite, o miseri*, perinde ac si dicat; miseri, nisi fugiati.

641. Mire turbat orationem, ut signet metum, in quo est: nam sententia essê debebat: qualis quantusque est Polyphemus in suo antro, quum claudit pecudes, quum pressat ubera; tantus talisque nobis apparet, aut quid simile: sed amputat verbum, et orationem imperfectam relinquit: video posse sententiam annecti cum sequentibus, ita ut nihil desit; sed nescio qui turbatio illa, quam explicui, potior sit ad rem.

643. Qui superiora cum his annectunt, ita debent explicare: qualis quantusque in antro suo est Polyphemus; tales tantique centum alii Cyclopes habitant hæc litora; errant his montibus. Vide vero, uti metum incutiat a multitudine Cyclopum: non unus Polyphemus, sed centum (numerus finitus pro indeterminato) alii hic sunt: habitant vero hæc litora; errant his montibus, non ut ille in antro inclusus. Est *vulgo* passim, obviam: hic vero sermo totus est προληπτικός: nam dici posset: si cœcus Polyphemus, cur timendus? Solvit: non ille est solum; sed alii multi.

645. Signat tres menses, quibus vitam non tam ducit, quam

nia signa ponit belluæ occasionem ad cædem præbentis. Dederat autem consilium Ulysses, ut unicum illi oculum excæcarent: sed hoc periculosum fuit, quamvis dormiret sepultus: ergo precati sunt numina. Et quoniam non idem periculum erat omnibus, varias corporis partes tenentibus, eas inter se sortiti sunt. *Donat.*

641. *Nam qualis quantusque.* Unum morum est, alterum corporis. Tibullus III, 6. « Quales his pœnas, qualis quantusque minetur. » Quod Græci feliciter uno verbo ἡλίκος dicunt, hoc Latini sermonis egestas dicit, *qualis quantusque*, duobus verbis. *Scalig.* Polyphemi fabulam narrant Theocr. Idyll. XI, et Ovid. Metam. XIV. 15.

trahit miserrimam: habet vero oratio incrementum: dirum est in silvis vivere; dirius in lustris, ac domibus ferarum; dirissimum Cyclopas cernere, tremuisse ad illorum vocem, ac sonitus pedum. Per *vastos* signatur magnitudo: illud *ab rupe* non connecto cum Achæmenide, ut dicat, ego prospicio ab rupe: apage ut ille rupes ascenderet visurus tam mira monstra, et stupendo fruiturus spectaculo: sed dicit; prospicio Cyclopas ab rupe, quam ipsi ascendunt; qua errant.

649. Augetur infelicitas Achæmenidæ ex victus ratione, quo alitur; numerat baccas, cornua, herbas: vox illa *infelicem*, non capienda tantum vulgariter, ut dicat *victum infelicem*, id est, miserum; sed ea significatione, qua felices arbores infelicibus opponuntur. *Baccæ*, vox est generica conveniens fructibus, qui racematim cohærent.

651. Quia *omnia*, ideo *collustrans:* nam si de uno tantum loco sermo esset, satis, lustro: ait vero, præ cupiditate inde evadendi, nihil curare *addictum* se posse dici; nihil quæcumque mortis genera, quibus non corpus solum obruatur, sed anima quoque absumatur. Sic hominibus natura insitum, ut genus mortis, quod proximum est, reliquis putent horribilius.

655. In hoc sermonum ictu apparuit Cyclops confirmans torvitate corporis, quæ de illo dixerat Achæmenides. Narratio circumstantiis illustratur: duo tantum expende: primum carminum molem, quo intelligas illam, quæ in Cyclope fuit: quanta ergo in illis *vasta se mole moventem Pastorem Polyphemum.* Alterum dixisse poetam *nota litora* προληπτικῶς, nam cæcus, ducente nemine, noscere non posset; ergo *nota* usu antequam obcæcaretur.

658. Versus iste hærere nos cogit, nec facile prætergredi. *Monstrum* est, quia natura sua Polyphemus monophthalmus: *horrendum*, quia aspectu horribilis: *informe*, quia in vasta mole nullus modus, nulla forma: *ingens* signat ipsam magnitudinem: quum vero post omnia addit *ademptum lumen*, signat deformitatem novam supra monstrositatem.

653. *Addixi*. Signato verbo desperationem exprimit, ut inquit Servius: Auctionis vocabulum, cujus usus est, quando majus pretium offerenti res vendita emptoris fit. Vide Bud. lit. *de in diem addictione*. Alludunt Cicero, pro Milone, 32; Philipp. II, 52; Livius XVII, 16; Tacit. Ann. II, 14; Sueton. Calig. 38.

654. *Vos animam hanc potius.* Oblique loquitur, ut supra: reprehensio enim crudelitatis est, qui rogat salutem, si ipse condemnat. *Serv.*

659. Tria dat illi, pinum pro scipione ad sustentandum corpus: oves, quæ in ejus comitatu ad voluptatem: fistulam pendentem e collo ad solandas miserias.

662. Est in hoc versu ἐν διὰ δυοῖν, id est, veniens ad æquora tetigit medios fluctus: ex his quatuor versibus expende magnitudinem Cyclopis: est in altis fluctibus; quin *graditur per æquor medium*: nec tamen undæ tingunt medium Cyclopem; latus enim ad medium fere est hominis: itaque ludit poeta a mediis undis ad medium hominem: nota etiam, quam propria illa de crure, de dentibus, de gemitu.

666. Observet studiosus Virgilii lector, qua pietate effingat Æneam suum etiam in hostes Græcos: et quidem volunt viri primi nominis hoc ab illo studiose factum ad quærendas novas blanditias Augusto, qui mitissimus non in suos solum, sed in alios fuit: hic vero genus suum ad Æneam, et Venerem referebat: sed quare vocat *meritum?* quia eo docente periculum evadebant: itaque bene meritus est Achæmenides de Trojanis: quum ait *trepidi*, signat festinantes.

669. *Sonitum vocis* explicant aliqui, innituntur que Servio, sonitum remorum: nam hic de nominibus dici nequit, supra enim: *tacitique incidere funem*: et quidem vocem de aliis, quam de homine dici, in Bucolicis dixi. Vide Eclog. V, 62.

672. Cupivit Cyclops in nos manum injicere, et assequi: sed quum nequiret nos per Ionios fluctus fugientes æquare, tollit clamorem immensum. Explicat vero, cur *immensum* dixit: nam ad illum pontus tremuit; Italia exterrita est; Ætna immugiit; et amplificans addit, cum ponto undæ omnes; Italia penitissima et remota; Ætna imis cavernis: quam immensus is clamor, qui undas omnes, extremam Italiam, profunditatem Ætnæ penetravit!

675. Ad clamorem Polyphemi fratres accurrunt, si possint opportuni esse in re aliqua. — Sed *nequicquam*, quia nihil jam

660. *Ea sola voluptas*. Voluptatem ex animalibus habuit, quum videbat: cæcus autem, solamen capiebat: hinc Quintilianus dixit, « Magnum solatium cæcitatis est, habere rem videntis. » — *Solamenque mali*. In nonnullis est versus integer, *Solamenque mali de collo fistula pendet*. Sunt, qui carmen hoc, ut nothum, expungant. Id tamen in plerisque codicibus antiquis habetur; et Cerda probat et admittit.

669. *Sensit*. Quod non videbat, auribus percepit; nam quamvis silentium adhiberetur, non potuit penitus vacua strepitu esse navigatio. *Donat.*

nocere poterant, quum longe essent: vocat *Ætnæos fratres* quia *cælo capita alta ferentes:* sed *cælo*, est ne tertius casus, pro, in cælum, ut vult Servius? An vero sextus? ut dicat, ferri capita in ipso cælo, ut supra dixit, pulsari sidera a Cyclope. Sequitur comparatio, quam expendit Servius: nam quia præcedunt quercus, quæ Jovi sacræ, et cyparissi, quæ Dianæ infernæ; id est, Proserpinæ: ideo sequitur, *sylva alta Jovis, lucusve Dianæ.* Est itaque integra sententia: tales illi constiterant, quales consistunt quercus in sylva Jovis; quales cyparissi in luco Dianæ: sed pro sexto casu placuit poetæ loqui per appositionem, ut dicunt, hac ratione: quales quercus, quæ sylva est Jovis: quales cyparissi, qui lucus Dianæ.

682. Metu coguntur quamcumque in partem nulla deliberatione cursum dirigere. Sed qui tunc venti essent secundi? sane metus instantis periculi a Cyclopibus, ita erat magnus, ut omnis ventus illis secundus videretur.

684. Pendet sententia ex superioribus: metus cogebat nos sequi ventum quemcumque; sed obstabant jussa Heleni, qui præceperat, ne cuicunque vento crederemus; ne scilicet adigeremur inter Scyllam et Charybdin. Hoc habito, sententia trium versuum hæc est: contra certum est nobis dare lintea retro, quia jussa Heleni monent, ne vela teneant cursus inter utramque viam, videlicet inter Scyllam, atque Charybdin, parvo lethi discrimine, id est, ubi parvum mortis discrimen. Aliqui vocem *cursus* ponunt in recto multitudinis hac sententia, ut cursus teneant viam; quod frigidum puto: nam quid est, cursus tenent viam? Ergo in quarto casu: præcesserunt quippe *vela.* Ergo, vela ex metu quocunque dabamus; sed consilium fuit, illa retro referre, ne illa ex monitu Heleni tenerent viam inter Scyllam et Charybdin: hæc ita explicatissime, quia is locus visus multis esse difficilis.

687. Erant Trojani in eo animorum æstu, quum subito Diis volentibus Boreas afflavit a freto illo angusto Pelori, ubi erant Scylla, et Charybdis, qui classem inde expulit, collocavitque in parte maris tuta, ex voto nostro. Quo vento afflante trans-

678. *Ætnæos fratres.* Aut similes, aut feritate germanos, aut ejusdem patriæ, vel terræ, tanquam matris: nam non sunt Polyphemi fratres, quem Neptuni filium Homerus dicit.

680. *Coniferæ.* Conum sustinentes, et *Conus* dicitur fructus cupressi, et ipsa κωνοειδὴς est: nam a rotunditate in acumen levatur. *S.* — Ovid. Metam. X, 106, ait: « metas imitata cupressus. »

mitto felicissime, ait Æneas, ostium fluminis Pantagiæ, sinum Megaricum, Tapsum oppidum humile. Viva saxa sunt, natura, non humana opera parata.

690. Occurrit προληπτικῶς: unde tu hæc nomina? Indicabat nobis Achæmenides ea litora errore jam sibi olim perlustrata cum suo duce, ac tum de novo retrorsum relegens.

692. Describit Ortygiam, quæ prætenta sinui Siciliæ, quæ contra Plemmyrium, in qua uno eodemque ore emergunt Alpheus fluvius Elidis, et fons Arethusæ.

697. Venerantur Deum loci illius præsidem, quum tamen ignorent quis sit: inde transmittunt ostium Elori fluminis, Pachyni saxa: apparet Camarina; campi Geloi; Gelaque immanis, quæ urbs sic dicta est cognomine fluvii Gelæ: apparet Agragas, quod oppidum positum in loco edito, ubi quondam equi primæ notæ: Selinis linquitur, ubi palmæ nobiles: legitur Lilybæum, quod tertium promontorium Siciliæ, juxta quod est vadosum mare infidumque saxis ibi latentibus, quæ ideo cæca. Hoc facto circumita est insula; primo enim transmissus est Pelorus; mox Pachynus; tertio Lilybæum: in quo excursu visa alia oppida, transmissa varia ostia, demum perlustrata tota Sicilia.

707. Pars hæc, quæ continet mortem Anchisæ plena est magnis affectibus: nam ora, ubi ille amissus, dicitur *illætabilis*.

688. *Missus adest.* Favore scilicet numinum: quia Anchises optaverat dicens, « Ferte viam vento facilem, et spirate secundi »; vel *missus* juxta qualitatem locorum, ita enim in illis angustiis et faucibus maris artari et conglobate spiritus fieri dicitur, ut ad illum locum tantummodo *missus* videatur.

691. *Infelicis Ulixi.* Epitheton ad implendum versum positum, more Græco, sine respectu negotii: nam Æneas incongrue infelicem Ulyxen dicit, nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores et ipse patiatur: et notandum conclusam de Achæmenide mentionem. *Serv.*

699. *Projectaque saxa Pachyni.* *Projecta*, id est, prominentia; quasi porro jactata. Æn. V, 204: « procurrentia saxa » dixit. Bene *saxa*; nam ex tribus promontoriis, de quibus Mela II, 7; unde Sicilia fuit appellata *Trinacria*, unum nempe *Pelorus* est humo arenacea, *Pachynus* et *Lilybæum* saxea, teste Cluverio antiq. Sic. I, 6.

705. *Palmosa Selinus.* Civitas est juxta Lilybæum, abundans palmis, quibus vescuntur, et apio: an *palmosa* ab equis nobilibus? *S.*

707. *Drepani portus. Drepanum*, civitas ante pedem montis Erycis, trans Lilybæum; quam *oram illætabilem*, id est, tristem vocat, ob patris amissionem, quanquam auctores de morte Anchisæ valde dis-

Anchises, qui amissus, *omnis curæ casusque levamen*. Apostrophe affectus auget tota plena emphaseωn. Ait *nequicquam*, quia non contigit seni attingere Italiam; itaque nequicquam servatus est, ereptusque aliis periculis.

712. Ait Macrobius hæc esse vehementer pathetica, nam indicat, omnia, quæ passus fuerat, minora visa, quam patris mortem.

714. Sunt hæc extrema verba longissimæ narrationis. Adventus, inquit, in Drepanum, fuit extremus labor, et meta *viarum* : ab Drepano petebam Italiam; sed tempestas me, verius Deus aliquis, ad Africam appulit.

716. Allusum in hoc epilogo ad initium libri præcedentis, *Conticuere*, etc. Ibi *omnes conticuere*, hic ipse unus *tandem conticuit*. Ibi, *omnes intenti tenebant ora*, hic similiter *intentis omnibus*. Utrobique *pater Æneas*. Illa, *Divum fata*, referri possunt ad ea quæ narrata secundo libro; *cursus*, necessario ad tertium.

erepant. De quo Muretus Var. XIII, 3: Cælius XVII, 10: et ipse Heynius, Excurs. XVII, in nostra edit. tom. II, pag 472.

710. *Amitto Anchisen*. Dolet periisse in portu, qui tot maris pericula evasisset: nec dixit mortuum, sed deseruisse filium. Veteres enim egregios viros non mortuos, sed per commutationem locorum translatos putabant. *Donat.*

711. *Heu tantis*. Tantus fuit dolor, ut etiam apud Didonem positus, quasi cum eo præsente loqueretur. *Donat.*

715. *Deus appulit oris*. Tulit voluntate sua; bene se commendat Didoni, dicens se ad eam deorum voluntate venisse. Sane non dixit *quis deus*: ut alibi, « Dabit deus his quoque finem. » *S.* — Uno versu concludit quæ jam fuse descripsit.

716. *Intentis omnibus*. Adhuc intentis; ut ostenderet Æneam libenter auditum: intenti fuerant, quum incœpit: intenti, quum finiret. *Donat.* — *Unus*. Non interpellante regina interrogationibus.

718. *Tandem*. Diuturnitatem narrantis expressit: notandum sane, quia controversiarum more epilogos dedit sex istis prioribus libris; quos et esse bitiocos voluit: nam singulis res singulas dedit: ut primo omina; secundo pathos; tertio errores; quarto ethos; quinto festivitatem; sexto scientiam. Epilogos autem sic variavit, ut in primo miseratio esset Didonis, in secundo mors Creusæ, in tertio Anchisæ, in quarto Didonis, in quinto Miseni, in sexto Marcelli citum defleret interitum. *Serv.* — *Tandem*. Ad ipsum pertinet, qui casus suos enarrabat invitus; nam auditores adhuc intenti errant. *D.*

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER QUARTUS.

(Vide Argumentum generale, vol. II, pag. 475.)

ANALYSIS.

Dido amore prius Æneæ saucia, jam nunc æstuat: adducuntur argumenta, quæ illam ad hunc ardorem impulerint; ea sunt, Æneæ virtus; Trojanæ gentis honos; viri vultus et verba; 1—5. Oritur lux crastina: Dido amorem suum cum sorore communicat: Æneæ virtutem admiratur; stupet verius; 6—11. Æneam esse Deorum genus probat ex militari virtute: aperit quid jam olim animo insederit, ex quo Sichæus obiit; sed innuit inclinatum studium ad nuptias Æneæ; 12—19. Jam plane amorem suum fatetur; sed veluti resipiscens sibi Diras imprecatur, si pudorem violet; ac rursum se suo Sichæo obligat; 20—29. Orationem Didonis excipiunt lacrymæ, quibus illa fit efficacior: respondet Anna, et captata prius sorore, ut nuptias illi persuadeat, rem gerit duplici ratione; voluptatis, quæ capienda in juventute: opinionis, quæ sentit nihil superesse post corpus; quam opinionem assumit, ut probet nullibi esse Sichæum, cui illa vult fidem servare; 30—34. Pergit Anna duobus argumentis animum sororis ad nuptias vincere. Primum est: sicuti ægram te Sichæi morte nulli hactenus proci vicerunt, sic ille admittendus, qui jam placet. Alterum; considera quæ te undique pericula circumsistant; quæ si velis fugere, necesse est, ut tibi aliquem matrimonio adjungas, qui sit præsidio; 35—44. Prædictis accumulat duplex argumentum; tum ex Deorum voluntate, qua Æneas ad eos portus præter spem appulit: tum ex futura claritate et gloria rerum Punicarum, quæ magna his nuptiis erit. Demum orationem absolvit demonstratione rerum, quæ cogunt ad moras Trojanam classem; 45—53. Anna causam obtinet, sororem perpellit, à pudore avertit, nuptias suadet; deinde sacra peraguntur quatuor numinibus, Cereri, Phœbo, Baccho, Junoni; fiunt omnia ex ritu: postremò in ipsis sacris Didonis studium ostenditur, et in consulendo aviditas; 54—64. Reprehendit

vates et aruspices, qui putent mederi se posse amori, verius furori Didonis: deinde furorem hunc comparatione illustrat cervæ a venatore percussæ; 65—73. Enumerat argumenta plurima amoris a signis factisque; 74—79. Sequuntur affectus alii, et effectus amoris jam, ubi Regina sibi amorique suo nimium indulsit, ad perniciem inclinantes; 80—89. Sequuntur insidiæ Junonis; quod ex decoro factum, ut imminuatur, si quid labis Æneas contraxit. Inducitur autem Juno primum conatus Veneris irridens; deinde pacem cum ea componens; nuptias promittens: quod eo animo facit, ut Ænēæ iter ab Italia avertat; 90—104. Sequens oratio Veneris pari calliditate, pari fuco est plena; quam Deam Sappho δολοπλόκον vocat, dolos nectentem. Accipit Venus conditiones Junonis, dummodo fata et Jupiter probent, quod tamen scit fieri non posse; 105—114. Oratio hæc Junonis bimembris est. Pars prior clauditur primo hemistichio, quo Dea pro flectenda aut exquirenda Jovis voluntate negotium suscipit. Posterior continet reliquum verborum tractum, ubi Juno exponit, quid ipsa factura, ut connubium celebretur; consilium autem ducitur ex occasione venationis, quam Dido et Æneas paraverant; 115—128. Describitur apparatus ad venationem, late et pulchre: Reginæ fastus et pompa, comitatus, vestis; 129—139. Post Didonem inducuntur Trojani euntes ad venationem, Iulus etiam, et Æneas: comparatur hic egregie cum Apolline; 140—150. Ventum est tandem ad venationem, quam graphice depingit caprarum cursu, et cervorum fuga. In fine, delectationis gratia, puerilem Ascanii ostentationem inducit, et in eo venatoris studium; 141—159. Excitatur tempestas; venti infremunt; horrescit nimbus; grando insequitur; amnes ruunt; confugit quisque ad latebras: Dido et Æneas ad speluncam, ubi amori vacant. Sequuntur inde varia omina, et seminarium malorum. Dido errorem suum conjugii nomine cohonestat; 160—172. Describit Famam ex occasione, primo ejus virtutem et naturam; deinde ejusdem natales; tertio monstrificam vim, horrorem, magnitudinem: multis hæc ornat; multa adjungit, quæ sine tædio inseri argumento nequeunt; 173—188. Didonis et Æneæ factum Fama disseminat, multa ipsa addit, ut moris est; 189—195. Fama, verius vulgus, rem omnem ad Iarbam perfert: hujus genus et religio describitur; deinde ira et dolor; demum preces ad Jovem patrem; 196—205. Sequitur oratio Iarbæ expostulatoria in Jovem; exprobratoria in Didonem; contumeliosa in Æneam, et in omnes irata; 206—218. Iarbæ preces audiuntur; irascitur Jupiter; Mercurium advocat, qui nuntium perferat ad Æneam. In quo obiter notabis decorum Æneæ servatum, quum ad illum mittatur Deorum nuntius; 219—226. Continentur his versibus, quæ velit Jupiter dici ad Æneam; 227—237. Paret Jovi Mercurius: describitur hujus apparatus: hic duplex; talaria pedum, et virga manus: uterque ab effectis prædicatur; 238—244. Devolat Mercurius: ex occasione inducitur descriptio Atlantis, de quo loquitur ut de homine, cum respectu ad metamorphosin; 245—251. Sistit in Atlante Mercurius; inde in Libyam descendit: volatus ejus comparatione

illustratur; 252—258. Describitur ex occasione Æneæ cultus, qui duplex; ensis et læna: uterque commendatur; 259—264. Exponit Mercurius Æneæ, quidquid mandatum sibi a Jove fuerat. Oratio reprehensionem continet; eo enim verba et argumenta destinantur, ut Æneam facti pudeat. Discedit Mercurius, nulla excusatione exspectata; 265—278. Stupet Æneas ad tantum nuntium; abire optat Carthagine; in æstu est curarum, auxiusque, quanam maxime ratione extorqueat assensum a Didone; 279—286. Communicat cum sociis Æneas consilium suum ad profectionem: quædam illis relinquit, quædam sibi assumit perficienda; parent duces; 287—295. Præsentit Regina prima omnium Æneæ dolos, fama ipsa nuntium perferente: bacchatur, furitque instar Thyadum Bacchicarum; 296—304. Sequitur oratio Didonis et vero querela, eaque amara, in qua quum primum perfidum, sceleratum, ingratum appellet, mox ad preces confugit, sua in eum beneficia commemorans: in fine affectus commovet ex miseria in qua deseritur. Sciendum, sumptum esse nonnihil ad imitationem Apollonium, libro quarto Argon. ubi est expostulatio Medeæ cum Jasone; 305—330. In hac oratione Æneas Didonem captat; objecta diluit; quid ipse vellet, aperit, si esset sui juris: a pari comparatione rerum animum ipsius Didonis vehementer urget. Se monitorum patris, commodorum filii, Deorum voluntatis rationem habere docet in hac profectione: desinit in ingentem affectum; 331—361. Dido furore accenditur in Æneam, cui neque mater sit Venus, nec auctor generis Dardanus: sed pro matre tigres Hyrcaniæ, pro patre Caucasus horrens rupibus; 362—367. Sequuntur signa quatuor natalium, quæ objecerat: querela in Jovem et Junonem, nuptiarum præsides: exprobratio beneficiorum quinque, quibus Æneam affecerat: ludibrium firmissimi argumenti, quod a Deorum voluntate sumptum; 368—380. Imprecatur Æneæ ultionem, dirumque exitum a mari, a Diis, a se: abrumpit sermonem, fugit, collabitur, suscipitur a famulis, et reponitur stratis; 381—392. Incumbit totus Æneas, quamvis mœrens dolensque, in Deorum voluntatem; paratur classis ad profectionem: studium militare illustratur comparatione formicarum; 393—407. Duplex apostrophe; altera ad Didonem; altera in Amorem; illa conquestionis, hæc indignationis; 408—415. Quum Dido ex signis instantem fugam colligit, Annam rogat, ut Æneam precetur; 416—424. Instruit illam precibus, quæ perferendæ ad Æneam; 425—436. Fert Anna; sed nihil proficit: quæ res apta comparatione explicatur arboris immotæ ad flatus ventorum, cui similis Æneas ad fletus sororum; 437—449. Dido mortem orat, odit lucem: cujus impetum adjuvant sex omina inauspicata; atrities laticis, Sichæi voces, bubonis cantus, vatum monita, Æneas in somnis vexans, abominanda solitudo; 450—468. Eamdem vates comparat cum furoribus Penthei et Orestis; 469—473. Decernit Dido mori; tegit consilium; sororem invadit verbis et vultu ad lætitiam conformatis; 474—477. Aperit illi, quam rationem invenerit medendo morbo, quæ tota pendet ex arte magica, cujus rei occasione recenset magiæ effectus; 478—491. Tes-

tatur, invite se ad magiam accedere : mandat Annæ quid velit fieri : non hæc capit sororis animum, et consilium cædis; 492—503. Pyra erigitur; ornatur; adest Maga, inclamatque inferna Numina; 504—511. Deinde comparat quæ necessaria ad sacra, et se ad eadem Dido; 512—521. Nox, quæ hominibus soporem, silentium agris, quietem cæteris animantibus, uni Elissæ vigilias affert, querelas, curas; 522—533. Post suscepta tria consilia et refutata, quartum eligit moriendi, cujus culpam in Annam et in se conjicit; 534—552. Dum Dido in eo curarum æstu versatur, dormienti Æneæ apparet Mercurii imago, quæ ducem concitat ad fugam præcipitem duabus rationibus; et imminentis timore periculi, et navigandi occasione; 553—570. Surgit e somno Æneas; hortatur suos; committit se numini; præcidit funes; eodem ardore milites incensi sunt; litus deseritur; navigatur; 571—583. Videt Elissa navigantes et acerbissimo dolore occupata pectus ferit; divellit comas; in querelas indignabunda erumpit, quibus varie fertur, refertur, jam Æneæ, jam sibi irata; 584—606. Eodem impetu orationis, conversa prius ad numina, acerbissimas diras Æneæ ejusque posteris imprecatur; 607—629. Jubet afferri quæ necessaria esse ad sacra illa mentita fuerat, 630—641. Conscendit ad rogum et cubile, ubi dirus exitus peragendus : exornantur omnia magnis affectibus; 642—650. Extrema verba Elissæ quibus præteritam felicitatem et præsentem calamitatem repræsentat, affectus duplices : in prioribus, dulcedinis et suavitatis; in posterioribus, furoris et ultionis; 651—662. Cædit se Dido: sequitur luctus et planctus non alius ab eo, qui esset capta Carthagine; 663—671. Audit Anna et advolat cum maximis notis doloris; sororem inclamat; queritur se deceptam, desertam, spretam : vult una commori; narrat quæ damna sequantur hanc cædem; demum desinit in ingentem affectum; 672—687. Luctatur exitura Didonis anima, donec missa ab Junone Iris crinem secat, ditique consecrat, quo facto placide demum obit; 688—705.

EXPLICATIO.

1. Incipit ab emphasi : hanc agnosce in particula *at*; ac si di-

NOTÆ.

Apollonius Argonautica scripsit, ubi inducit amantem Medeam : inde totus hic liber translatus est de tertio Apollonii. Est autem pene totus in affectione, licet in fine pathos habeat, ubi abscessus Æneæ gignit dolorem. De artificio hujus libri, vide notas, tom. II, pag. 476 et seqq. — De Didone, ejusque ætate et amoribus, legendus est Excursus I, tom. II, pag. 558.

1. *Jamdudum*. Aut nimium et vehementer : ut Terentius, « Jamdudum te amat. » Aut *jamdudum*, id est, a quo tempore vidit Æneam. Aut ex quo narrare cœpit Æneas; aut ex quo intervenit Cupido. — *Saucia* : hinc subjunxit *vulnus alit*.

cat: Æneas quidem quievit ab oratione; at Dido magnis amoris fluctibus agitabatur. Vide vero ut omnes voces signatissimæ sint ad amorem, *cura, vulnus, ignis*. Illa est *saucia*, quod significat illud *carpitur*. Quid adjuncta illa gravitatis, venarum, cæcitatis? *Jam dudum* est, ex quo tempore Æneas cœpit narrare.

3. Sequuntur causæ gravis curæ, alti vulneris, amoris cæci; videlicet, viri virtus; Trojanæ gentis honor; formæ decus; verba ipsa plena suavitudine: duo illa, virtus atque honor obversantur animo, recursantque identidem: forma vero, et verba hærent, et infixa, et in imo pectore. Inde natum, ut nulla quies miseræ; et signate membris, quia venæ cum vulnere, pectus cum cura. Prius Regina capitur virtute viri, honore gentis: deinde amore, et verbis: quod ex decoro Reginæ: prius enim quod generosum et nobile; deinde quod minus generosum.

6. Periphrasis nascentis diei ab Phœbo illustrante terras, ab umbra discedente beneficio Auroræ. Sic enim Didonis curæ exprimuntur, quæ ad primos statim radios sororem adiit, rem communicatura: umbra *humens* dicitur ab humente nocte, ex absentia solis.

8. Amoris naturam innuit eminentissimus poeta, qui tegi nequit silentio; sed amat communicationem, non quamcunque; sed eorum, qui unanimes; qui amici; qui alteri nos.

9. Artificiosa oratio, in qua priusquam de amore suo fateatur, rem gerit per ambages pudibunda, amantium amore. Istæ enim quærendæ in turpi, quod aiunt, causa: et amor post aliqua insinuandus, non statim. Ergo antequam aliquid de suo amore, ait se in somnis terreri; admiratur novum hospitem; laudat os ejus militare, pectus fortissimum, arma fortissima, quia scilicet supra, *Multi viri virtus*, etc. et hoc se vere reginam et Heroinam ostentat, quæ non tam illecebris amoris ducantur quam viri virtute.

12. Ex dictis colligit, Æneam esse procreatum Deorum semine; et firmat; nam *degeneres animos*, etc. Perinde ac si dicat:

2. *Vulnus alit*. Curam pascit: et bene adludit ad Cupidinis tela, ut paulo post ad faculam; ut, « *cæco carpitur igni* »: nam sagittarum vulnus est; facis incendium. — *Venis*. Quia per venas amor currit ut sanguis; nam in sanguine anima, in anima amor est; aut sicut venenum: nam *venenum* ideo dicitur, quia per venas currit. *Cæco carpitur igni*. Non quod non cernat, sed quod non cernatur: vel quod Dido amorem suum vult occultare, si possit, ideo *cæco*. — *Carpitur* autem, paulatim consumitur; Sane *igni* pro *igne*, dativus pro ablativo. *Serv*.

13. *Heu*. Per hæc amoris impul-

sicut timor degenerem animum indicat, virtus e contrario genus probat: genus ergo Deorum Æneas, qui jactatus magnis fatis, qui cecinit bella exhausta: sunt *bella exhausta* non inchoata tantum, sed perfecta, et ad ultimum constantissime perducta.

15. Vide, ut celari amor nequeat; sensim enim Dido dilabitur ad animum suum aperiendum; ita tamen aperit, ut dissimulet. Sententia integra est: nisi jam diu statuissem firmiter abstinere a nuptiis, neque ullo me vinculo matrimonii constringere, ex quo Sichæus obiit; si non jam exosa thalamum maritalem fuissem, forsitan possem huic culpæ succumbere.

19. Singula verba habent emphasin, et pondus; nam ut faciem amoris sui molliret, *huic uni* dixit, quasi justior sibi in hac re venia esset, quæ nulli alteri delicto locum esset datura: et *culpæ* ait, non peccato, non crimini: nec tamen ait admissuram se; sed *potui* et *forsan*, quod nihil habet certi: et *succumbere*, ut non sponte, sed amoris impetu, si id fecerit, factum esse videatur.

20. Hic jam tandem illud fatetur, quod longa verborum ambage texerat; et Annam nominat, quasi hoc nemini esset nisi sorori commissura. Quid vero fatetur? *Hic solus*: en laus Æneæ, in quo majus quiddam, quam in aliis fuisse indicat amans fœmina, quum ille solus se ad amandum, nemo alius, impulerit. Hic solus *inflexit sensus*, quia janua amoris sunt oculi,

sus ostenditur: et hoc ad miserationem pertinet. — *Quibus ille*. Pro *quantis*. Serv.

15. *Si mihi non*. Adeo illum probat, ut illum judicet dignum matrimonio suo, nisi priori conjugio sit decepta. *Donat.*

17. *Primus amor*. Id est, maritus. — *Deceptam morte fefellit*. Figurate dixit; morte sua decepit me, et fefellit. — Postquam spe perpetui amoris, interfecto marito, frustrata sum.

18. *Pertæsum thalami, tædæque fuisset*. *Pertæsus* participium est sine verbi origine: et regit genitivum ut hoc loco. — *Tædæque*. *Tæda*, arborum est resiniferarum; e qua tædas faciebant, quas novis nuptiis præferebant.

20. *Fatebor enim*. Bene uno sermone et culpam expressit et necessitatem. *Fateri* enim et coactorum est et culpabilium; sed hic videtur per oblationem confessionis levius crimen efficere. *Serv.*

22. *Inflexit*. Quia supra ait, « Fixum immotùmque sederet. » *Inflexit*, a proposito rigido declinavit. Et bene per gradus crevit; primum *inflexit*, ut fixos ostenderet; quæ fixa sunt enim, quoniam avelli non possunt, flectuntur; deinde *impulit labantem*, ea enim impelluntur, quæ prona sunt ad cadendum. *Serv.*

aures et sensus reliqui : inde ad animum amor penetrat; ideo *animumque labantem Impulit*, id est, impulit, et fecit labare, nam digamia quidam veluti lapsus et culpa. *Agnosco veteris vestigia flammæ*, videlicet quum eram in adolescentia. Quæ intersita sunt de Sichæo habent magnam conquestionem, ubi vides *fata miseri conjugis*, id est, mortem : sed non hæc satis; nam mors ista adjuncta cum sacrilegio; nam sparsi Penates sanguine; et cum parricidio, nam *fraterna cæde* : itaque mors illa non simplex, sed in qua sacrilegium, et parricidium.

24. Epilogus in quo est imprecatio, si se victam dedat: ficta tamen sunt omnia, et apta ingenio muliebri : quid vero sibi imprecatur? diras horribiles. Prima, ut sibi *tellus dehiscat*, et hæc *ima*, cujus hiatu deglutiatur. Altera, ut se Juppiter ad infernum adigat. Sed vide apparatum et pondus verborum : primo *fulmen* advocat, quod habet horrorem : deinde, non *infernum* nominat, sed *umbras*, quod tristius : tertio, has geminat : quarto, illas afficit diro attributo a pallore, qui color in Manibus esse creditur, in mortuis certe apparet : quinto, relictis umbris, jam clare *noctem* ponit, et hanc *profundam*; indicans Tartari profunditatem : sexto, vult ut exerceat in se hanc carnificinam Juppiter *omnipotens*, ut ille totam omnipotentiam adhibeat in se punienda, si peccet : septimo, maluit *adigat*, quam aliud, in quo est dirum quiddam et horridum. Vide, quos sibi frænos imponat, quos terrores, ut vel invita etiam et nolens peccare desinat, et pudorem violare: et nota apostrophen ad Pudorem, quasi ad Deum pudicitiæ, inde verbum *violo* : sacra enim dicuntur violari; et quia *jura* dixit, ideo signatissime *resolvam*. Nihil his quatuor versibus dici absolutius potuit.

28. Dicit, non esse jam sibi integrum et liberum dare alteri amorem suum : igitur ille qui primus me sibi junxit conjugio, idem me abstulit, non relinquens locum alienis amoribus : ergo hos *ille servet*, et in *sepulcro*, ne inde effugiant : non horret meus amor sepulcri cineres, dum sit una cum Sichæo. In pronomine *ille*, agnosce emphasin : sed cur *junxit*, non junxi me, aut nupsi? Verecundiam hic nota allusionemque ad Spartanam illam, quæ rogata, an rem habuisset cum viro : *Nequaquam*, inquit, *sed ille mecum*.

30. Ex ingenio mulierum, quæ lacrymis imperant, quibusque supplent quidquid deest sermoni. Exprimitur etiam verecundia; nam quæ hæc tegit, lacrymæ indicant.

31. Hac oratione vult Anna sorori persuadere nuptias; in-

tellexit quippe sororis animum eo spectare. Colligit in ipso aditu benevolentiam, et præclare affectum accipit à luce; nam Dido sibi umbras imprecata fuerat, et noctis tenebras.

32. Efficit Anna hoc argumentum : tune sola mœrore consumeris absque nuptiis, quum omnes aliæ nubant fœminæ, sciasque juventutem dicatam esse amoribus? Nam idcirco *juventam* hic nominatam Nascimb. animadvertit. Vox *sola* duplicem potest habere sententiam, vel sola tu inter omnes : vel etiam carens conjuge, et in solitudine : extremum hoc aptius.

33. Ita suadet a jucundo, notat Donatus, ut utile adjungas; nam dicit prolis causa suscipiendas nuptias, ut non libidinis contemplatione videatur illam hortari. Veneris præmia sunt aut ipsimet nati, aut voluptates et oblectamenta conjugum : sed apage, ut hæc nominaret pudoris amantissimus poeta, et vere Parthenius.

34. Hæc pars illis opponitur, quæ Dido de Sichæo dixerat, cujus curam amovet innixa opinioni Epicuri, quæ dicebat Manes esse fabulas, ac nihil superesse post mortem, ut desinat amare, quem sciat jam non esse. Ideo signate *Manes sepultos*, quasi anima jam periisset, et una esset cum corpore eodem tumulo obruta : et hoc ipso indicat, nullam fore Didonem post obitum. Si nullus est jam Sichæus, si tu post mortem nulla eris, fruere voluptate; post mortem nihil time.

35. Sententia est : esto; nulli te mariti, id est, proci, neque Libyæ, neque prius in urbe Tyro flexerint ad nuptias, ægram Sichæi morte : esto; tibi despectus Iarbas fuerit, atque alii ductores Afri : atqui amori pugnabis jam placenti arridentique? Perinde ac si dicat ex nota Donati : sicuti alii petitores repulsi sunt fastidio tuo, quod justum fuit in dolore recenti; sic ille admittendus est, qui jam placet.

39. Terret jam ni faciat, novo usa argumento : primo generatim versu isto,

Nec venit in mentem quorum consederis arvis?

32. *Solane perpetua*, etc. Id est : solane mœrens in omni carperis juventa? *perpetua* ergo, *continua*. *Juventa*, aut pro *juventute* accipiendum; nam *Juventa* dea illius ætatis est; *Juventas* ætas ipsa juvenilis; *Juventus* juvenum multitudo. *Serv.* — Est igitur poetæ sententia : Visne perire florem ætatis, in perpetuo celibatu vitam terens, sine viro, cognatis et amicis? Non dissimilis adeo locus Stat. Theb. lib. V, « Si tædet inanes Æternum servare domos, turpemque juventæ Flore situm, et longis steriles in luctibus annos. »

deinde distinctim, *Hinc Gætulæ urbes*, quod ad formidinem, ait Servius; nam Gætuli non in urbibus habitabant, sed in mapalibus, et adjicit *genus insuperabile bello :* quæ ergo tua spes contra illos? Pergit : *cingunt te Numidæ*, qui *infreni* sunt : si cingeris undique, qui fugam parabis? quod esse extremum remedium in malis solet : et esto fugias, nonne infreni fugam tuam assequentur? Cingit te *Syrtis*, quæ *inhospita :* qui ergo locus auxiliis advocandis, si premaris bello? Præsertim quum *regio tota deserta* sit *siti*; quam *late* occupant *Barcæi furentes*. Itaque Syrtis inhospita, regio siticulosa, furentes barbari nullum ad te tuendam accedere auxilium permittent. Demum *quid dicam bella surgentia* e *Tyro? quid germani* Pygmalionis *minas?* Necesse est itaque Dido, tibi aliquem nuptiis concilies, ut fratris furorem minasque effugias, quas jam tibi intentat ex urbe Tyro.

45. Deos credo fecisse, ait Anna, tum auspices conjugiorum, tum Junonem Conjugalem, ut huc Æneas appelleret conjugii tui causa : quia nimirum quæ præter spem accidunt, ea dicuntur divinitus fieri.

47. Excitat animum sororis ab spe futuræ claritatis. Quæ tunc erit hæc urbs Æneæ conjugio? quæ regna assurgent, quam munita et parata Trojanorum armis contra Gætulos, Numidas, Barcæos? quæ gloria accedet, quod decus rebus Punicis?

50. Est jam in epilogo: da operam rei Divinæ, *Deorum veniam*, id est, pacem *posce* per sacrificium : ac jam *sacris litatis*, nempe feliciter consummato sacrificio, impetrataque venia, *indulge hospitio*, scilicet da operam peramanter, et benevole tuo hospiti. Quasi dicat : si facto sacrificio, videris te litavisse, tunc indulge hospitio; clara enim Deorum voluntas: *innecte causas morandi :* has docet posse esse quatuor; videlicet, maris desævientis iram; tempestates aquosi Orionis; navium quassationem; cæli inclementiam.

54. Est, *accensum inflammavit*, accendit, et inflammavit : nam

43. *Bella Tyro surgentia.* Necessario ad persuadendum præsenti tempore usus est. — *Germanique minas;* propter aurum, quod ei, sicut in primo Æn. diximus, abstulerat. Et *minas* pro ipsis periculis posuit, ut ex præcedentibus sequentia accipiamus. *Serv.* — Hoc ut validissimum posuit; quasi istis addetur, qui mare obsidebit, ne fugere possis. Postremo illi hunc cogitandum proponit, cui imperium sit relictura, si careat liberis.

54. *Incensum inflammavit.* Bis repete : scilicet animum incensum amore, inflammavit amore : nam

similes locutiones in Virgilio obviæ; nisi quis hic incendium ad reginam referat, flammas tantum ad Annam. Sequitur; *spemque dedit dubiæ menti*; tritum illud, animum dubium brevi momento huc illuc rapi. Pergit; *solvitque pudorem*, qui maximum frænum continentiæ, quo fracto dignitas castitatis mire periclitatur. Mitto hic alludi ad solutas pudicitiæ zonas.

56. Adeunt delubra, Dido scilicet et Anna; hæc enim sorori se sociam dabat, quæ, si opus, dubitantem confirmaret : et *exquirunt pacem per aras*, quia Anna, *Tu modo posce Deos veniam.* Faciunt vero sacra quatuor numinibus, Cereri, Phœbo, Patri Lyæo, et ante omnes Junoni; nam huic *vincla jugalia curæ :* cur his præcipue, non aliis, vide notas infra, et tom. II, p. 483. Poeta quippe clare reddit causam tantum postremæ Junonis, et indicat primæ Cereris.

60. Attingit varia sacra, quibus operam dedit Dido : primum ipsa vinum fudit inter cornua victimæ immolandæ : deinde *spatiatur ante ora*, videlicet simulacra, *Deorum; ad aras*, quæ *pingues* victimarum sanguine : ita Homerus vocavit πίονα νηόν, *templum pingue* : tertio *instaurat diem donis*, id est, aliis atque aliis subinde sacris iterum et sæpe repetitis conatur veluti diem producere, et ipsa diutius immorari : quarto ipsa avidissime explorat pectora vix aperta, et exta adhuc spirantia, ut successum sciat.

data spe commodi, ex his quæ profutura dicebat, adeo dubitationem removit, ut omnis verecundia et pudor cesserit. *Donat.* — *Solvitque pudorem.* Propter vincula castitatis; et ad illud respondet, « Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo » *Serv.*

58. *Legiferæ.* Quia populorum consensus nisi legibus retineri non possit. Inde Ceres Græcis θεσμοφόρος; Ovid. Met. V, 343 : « prima dedit leges. » — *Phœboque.* Qui præest auspiciis, quibus urbes reguntur : ut in futurum prosperiora perficeret, quæ optabantur. — *Patrique Lyæo.* Qui urbibus libertatis est deus; qui præstat lætitiam sempiternam; nihil enim his nuptiis potius habebat Dido, quam ut post annos viduitatis tristissimos lætabunda viveret. — *Junoni.* Quia conjugiorum tenet plenissimam potestatem. Dido sacrificabat primum Numinibus, quæ urbi præsunt, quasi nuptura pro utilitate Reipublicæ, deinde Junoni, cui ἔργα γαμήλια curæ.

64. *Inhians.* Intenta per sollicitudinem. — *Spirantia.* Id est, palpitantia; quasi adhuc viva. — *Consulit exta.* Proprie dixit : Aruspices enim exta consulere dicuntur, cum inspiciunt. *Exta* singularem non habent, ut *arma. Serv.* — Vide tragœdiam inter Gallicas celeberrimam, et invenies musam Latinæ rivalem. (*Racine; Phèdre;* act. I, scen. III; et ubique; nam utrique vati par ingenium et stylus.)

65. Exclamatio in superstitionem aruspicum, et vatum, qui omnes vani, ubi amor in præcipitium rapit: ergo, *quid juvant furentem vota?* nam præcesserunt sacrificia; *quid delubra?* nam jam, *principio delubra adeunt.* Ratio, cur ignari vates, cur ista nihil prosint, quia *flamma est medullas*, scilicet exedit, et vulnus vivit in corde; nam sub pectore: medullæ ut *molles* flammam concipiunt, vulnus ut *tacitum* repit latenter, et recrudescit.

68. Hinc est necesse, ut non solum uratur intus, ut vere uritur; sed etiam ut flammæ se prodant; et ut sunt inquietæ et vividæ, furentem agitent, faciantque vagantem urbe tota. Sunt enim causa, et effectus: nam quia intus uritur, ideo foris vagatur furens urbe tota. Sequitur ad illustrandum Didonis amorem, melius furorem, comparatio cervæ: quæ, ubi venenum per vulnus accepit, et lateri sagitta hæsit, huc illuc per avia rapitur, sylvas, montes, nemora. Est Dicte urbs Cretæ nobilis: arundo *lethalis* est plena veneno mortifero.

74. Duo dixerat Anna, et præmittenda sacra, et deinde indulgendum hospitio, quærendasque moras classi Trojanæ. hoc posterius jam Dido exsequitur post hostias præmissas. Jactabunda de suis fortunis, quasi ambiens amatorem suum, ostendit opes, quas ex Phœnicia adduxerat: ostentat *opes*, et *urbem paratam*; illas, quia convenit hominem inopem, *egenum omnium*, opibus detineri: hanc, quia profugus detinendus erat urbe, et regno: deinde quærenti novas terras, et novam urbem condituro, urbem ostentat jam paratam.

65. *Heu vatum ignaræ mentes.* Non sacerdotes vituperat, quasi nescios futurorum, sed vim amantis exprimit. Quid enim sacra aut vota amanti profuerint, in tanto amoris incendio? Porro hic disputant Critici, utrum recte Poeta ex sua persona contra jus fasque exclamarit: sed non disputabunt, qui cum Damone, Eclog. VIII, 43, poterunt experti dicere: *nunc scio quid sit amor.*

69. *Urbe furens vagatur.* Didoni furenti spatium urbis non sufficiebat. — *Qualis conjecta cerva sagitta.* Satis congrua comparatio: singula enim singulis, cervam Didoni, sagittam amori, pastorem Æneæ, nemora urbi, ictum lethalem amori mortifero comparavit. *Serv.*

72. *Nescius.* Aut nescius quo fugerit, aut ignoratus et latens: non qui cervam nesciret. Quidam *nescius* ad Æneam referunt, qui nescit amore suo vulneratam reginam.

73. *Dictæos.* Cretenses. Cervæ vulneratæ dictamnum quærunt; qua herba gustata, feræ vulneribus tela depellunt. — *Letalis arundo.* Propter futurum omne Didonis, et admiranda copia loquendi, letalis arundo, sagitta, volatile ferrum. *Serv.* — *Racine, Phèdre, act. II, scen. II*, Hippolytum sic loquen-

76. Affectus et effectus proprius amoris: nam in conviviis jocus, cantilatio, lusitatio, libera demum omnia.

78. Ingens affectus! quæ longo tractu sunt narrata Æn. II, eadem iterum vult audire; non alio argumento, quam ut dicente Ænea perfruatur, et *demens* ait, affectu commiserationis, ut supra *infelix;* sequitur *pendetque iterum narrantis ab ore:* Reginam inducit ab Æneæ ore pendentem, quasi sui nesciam, nihil aliud cogitantem, nihil aliud intelligentem nisi unum Æneam, verba ejus, faciem, vultum, notas animi, et signa oculorum; omnino a se alienatam. Alius quispiam fortasse in illud desineret, *Incipit effari, mediaque in voce resistit,* et hoc esse maximum putaret: sane alii poetæ fervidi sunt, si illos secum conferas; frigidi, si cum Virgilio: unum semper Horatium excipio, qui dignitatem Maronis affectusque mire exprimit, mire æmulatur.

80. Quinam *digressi?* an illi qui apparebant coram Regina unusquisque ad cubiculum suum? An vero ipsamet Regina, ipse Æneas digressi sunt a convivio, aut triclinio, ubi repetita convivia? Sequitur; *lumenque obscura vicissim Luna premit.* Disce poetice dicere alternam vicissitudinem diei et noctis, solis et lunæ. Pergit, *suadentque cadentia sidera somnos:* de nocte exeunte capienda hæc videntur, quia Luna occidens suam lucem occulit; quia sidera, ut Æneid. II, 9, decedentia in die novo jam appropinquante cogunt ad somnum, iis qui noctu vigilavere, omnino necessarium: tunc Dido *sola mœret in vacua domo.* Cur *sola?* quia sine Ænea; nam statim sequitur *absens absentem;* non quod *sola ipsa mœret,* quum reliqui essent lætabundi? Cur *domo vacua?* an quia ampla? an quia vacua strepitu, in nocturno silentio? non ita sane: vacua domus est Didoni, quia non hic videt Æneam suum, quem jam deperibat. *Incubat stratis,* scilicet toro epulari, in quo juxta Æneam adcubuerat; ergo redit post illius recessum; occupat, amplectitur locum quem tenuit ille, quem reliquit: pari affectu, *illum*

tem inducit: *portant partout le trait dont je suis déchiré.*

76. *Incipit effari, mediaque in voce resistit.* Sic Horatius, « Cur facunda parum decoro Inter verba cadit lingua silentio? Amor enim et mentis et orationis usum eripit.

79. *Narrantis ab ore;* ut eum intueretur; et hoc loco per omnia affectus amantis exprimitur. Scaliger, Poet. III, 19, legendus est.

82. *Sola domo vacua :* sine eo quem amabat. Sic in eodem Racinio Antiochus amator Reginæ Berenices quæ Romam incolebat, dum ille orientis teneret regnum, exclamat : *Dans l'Orient désert quel devint mon ennui!*

absens absentem auditque videtque: ita videlicet verba et vultus Æneæ auribus et oculis Reginæ hæserant, ut absens quum esset, putaret illum se audire, et videre.

84. Detinet Ascanium, non tam capta Ascanii imagine, quàm patris; quippe hujus ille imago: sed cur detinet? *si possit amorem fallere infandum;* si mentem suam explere filii conspectu possit, et hac cara imagine magnum Æneæ amorem eludere, satiare, exstinguere.

86. Effecta amoris quatuor: primum, turres cœptæ intra urbem ad munimen arcis, non jam assurgunt: alterum, juventus non exercet arma, ut solebat: tertium, portus, et reliqua maritima propugnacula intermittuntur: quartum, reliqua opera, quæ ad muros fiebant, ut minæ, et tota demum machina, pendent, interrumpunturque.

90. Ubi Juno intellexit Didonem tali veneno imbutam esse, ut famam, quod unicum mulieribus frænum, nihil curaret, quo minus amori suo, potius *furori*, indulgeret; *aggreditur* (verbum est militare, quo habitum sequentis orationis intelligas, quæ tota ad perniciem) Venerem. Vide vero versus hujus flatum, et pompam convenientem Deorum reginæ, quæ *Jovis conjux*, et quæ *Saturnia;* neque enim frustra hoc poeta, nisi ut dignitatem addat superbiamque dicenti in Venerem nullo hic attributo commendatam.

86. *Non cœptæ adsurgunt turres.* Contra illud, « Pars ducere muros: ex omnibus malis quæ violentus amor giguit, rerum omnium oblivionem inducit: eadem enim Dido, quæ instabat operi reguisque futuris, nunc omnia omittit: et quum omiserit, Tyrii quoque, qui instabant ardentes, omnia nunc deseruut: unde ostenditur Regis ad exemplum componi totum orbem.

88. *Minæ murorum.* Contendit Turnebus *minas* vocari partes altissimas murorum, pinnas fenestratas, unde propugnatores hostibus *minantur:* Hortensius, quia partes illæ maxime *eminent.* Sed suspicor *minas* dici, non de muris tantum, sed etiam de altis quibuslibet acervis ac molibus nondum perfectis, quæ ruinam videntur *minari*, aut certe ipso aspectu terrent. Juvant conjecturam hic, *opera imperfecta.*

89. *Machina.* Heynius pro ædificiis ipsis sumit; ego vero pro *machinis illis*, quæ ad subvehendos lapides, attollendamque molem ædificii eriguntur: Gallice, *échafauds*, *grues*, etc.

92. *Talibus adgreditur.* Hoc verbo habitus futuræ orationis ostenditur: quod Servius et Donatus interpretantur; « cum invidiosa calliditate loquitur » Terent. Phorm. « Satis astute aggredimini. » Ita vs. 107. « Sic contra est ingressa Venus »: id est, dolos dolis eludens. Græci διεξέρχεσθαι dicunt. Porro, si aulicum est et politicum, aliud

93. Celebratissima Ironia : expendo tam orationem, quam locum hunc : oratio hæc est in genere deliberativo; finis utilitas : initio est concitata, in fine remissa et tranquilla, ut facile possit perspici facta versutissimo animo : persuasio est, ut positis simultatibus pax æterna firmetur, atque ex duabus gentibus unus existat populus, qui a Venere simul et a Junone regatur : hæc omnia eo tendunt, ut iter Æneæ in Italiam avertatur; nam hæc major cura Junonem coquebat. Incipit autem ab egregia ironia, quæ vultu, gestu, sermone, voce adjuvanda : vult Juno conatus Veneris minuere, atque ostendere nullam laudem ab ea comparatam, ducitque metaphoras a re militari ; referre enim laudem et spolia dicuntur duces, milites. Igitur putatis vos duo *referre* non *laudem* solum, sed hanc *egregiam?* non *spolia* tantum, sed hæc *ampla?* non *nomen* tantum famamque, sed hanc *magnam et memorabilem?* quod *femina*, et hæc *una* sit *victa dolo duplicis Numinis*, Veneris scilicet, et Cupidinis? quasi magnum quiddam sit, voluptatum et blanditiarum præsides feminam unam irretire voluptate, et blanditiis, quæ viros quoque atque adeo ipsos Deos solent expugnare. An una mortalis, et fragilis fœmina possit resistere duobus Diis, si ii præsertim voluptate armentur?

96. Concitatam Ironiam, quæ vice fuit exordii, excipit tranquilla oratio : scio te, o Venus, veritam esse nostra mœnia, et habuisse suspectam Carthaginem : quia Venus in primo Æn. dixerat, *vereor, quo se Junonia vertant Hospitia.*

98. Dehortatur a veteri odio, suadens *æternam pacem*, neque hanc solum, sed conjugium; neque hoc simplex, sed pactum; id est, cum fœdere, sacris pactionibus : et de præsenti *exercemus*, urgens Venerem. Ratio cur ita urgeat; quia habes jam ex voto tuo amantem Didonem; imo ardentem; imo furentem ; nam *traxit furorem per ossa.*

102. Conclusio, qua vult Trojanos simul et Carthaginienses unum esse populum, illosque simul a Venere et Junone regi. Expende τὸ *liceat;* quasi dicat; non debuerat licere : itaque irrisio est recta : nam cur liceat servire marito Phrygio? nempe imbelli et effœminato, ut sunt Phryges? sed tamen nunc liceat. Liceat quoque, pari emphasi, peregrinum accipere am-

verbis loqui, aliud agitare animo, hic certe Juno et Venus πολυτικώτατοι sunt : utraque ingenio agit Punico. *Taubm.*

103. *Liceat Phrygio servire marito;* me ac Didonem; Deam et Reginam ; servire *Phrygio*, id est, exuli et servo : nihil malignius ;

plam dotem, videlicet Tyrios, id est, Carthaginienses. Illud *dextræ tuæ* non sine indignatione, quod et Donatus advertit.

104. Persensit statim Venus insidias Junonis quæ tantum volebat avertere regnum Italiæ ad oras Libycas, ad Africam; ergo calliditatem calliditate excepit. Hære vero, lector, in eo hemistichio, *sic contra est ingressa Venus:* agnoscit enim Servius calliditatem; nam *ingredior* vox est insidiarum: mihi videtur poeta voluisse opponere hemistichium hoc dolosum et vulpinum, ac nulla pompa verborum strepens, integro illi versui: *Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:* et inde notanter particula *contra*, quod recte advertit Julius Scaliger. Itaque furens Juno inducitur, Venus astuta: illa *aggreditur* verbo militari, hæc *ingreditur* verbo insidiarum: illa *talibus dictis*, hæc *sic contra:* illa *Saturnia* ad commendationem, hæc simpliciter *Venus*, nullo attributo: illi demum inchoanti integer versus datur, isque strepens; huic dimidiatus, nec pomposus, in quo, excepta voce *contra*, quæ hic omnino necessaria, nulla syllaba grandis, omnes exiles. Placuit vero *olli* non illi, magno judicio; nam illud gravius, et hic sermo inter Deos est; quid quod *olli* arrogantiam Junonis repræsentat.

107. Quis tibi nisi demens repugnet? nisi audax bello contendat? *tecum* ἐμφατικῶς. Fortuna modo faveat his cœptis, provehat favore suo factum, quod memoras. Satis indicat Venus se dolos Junonis præsensisse.

110. Hoc quoque dolose: non enim incerta est; nam ipsa a Jove audierat, regnum Æneæ fore in Italia, non in Libya.

113. Ne occasionem præbeat contentionis, conjicit rem totam ad ipsam Junonem: id vero, quia sciebat non posse fieri, fatis aliter disponentibus.

115. Recipit in se laborem explorandæ voluntatis Jovis. De-

nam ex Phrygibus servi atque mancipia vulgo petebantur.

104. *Dotales Tyrios.* Dos, est patrimonium uxoris, et quidquid viro cum uxore datur. *Tyrii*, qui mei sunt et potentissimi, tuo filio et tibi tradentur proprii; nam quidquid ad filium, simul ad matrem pertinet.

106. *Quo.* Pro, *ut.* — *Quo regnum.* Sensit non potuisse fieri, ut tam graves, tamque diuturnas inimicitias, sic subito deponeret Juno: noverat enim quid Æneæ deberetur, quo magis nitebatur id avertere.

110. *Sed fatis incerta feror.* Bene omnia tetigit, quibus res humanæ reguntur; casum, fata, voluntatem Deorum: *fatis*, propter fata de Jovis voluntate dubitat; nam ipse Jupiter contra fatum nihil valet.

113. *Tu conjux.* Dicendo *conjux*, ostendit eam non posse ignorare,

inde est locus attentionis: quasi dicat: attende, et docebo te qui possint confici nuptiæ: hæ enim nunc instant; nam voluntatem Jovis ipsa alias explorabo.

117. Sequitur narratio, in qua ab opportunitate ducit rationem consilii sui. Parant, inquit, Æneas et Dido venationem, ubi primum illuxerit. Cur vero Dido *miserrima?* an quia misere Æneam deperibat? an quia nuptiæ istæ exitum habuerunt infelicem? ut malis. Signate in *nemus*, non, montes, aut sylvas; quia in hac venatione voluptas quæritur, quam signat nemus. Cur sol dicatur *Titan* vide infra: ait de sole, *extulerit ortus, orbem retexerit*, quia lux putabatur veteribus immersa Oceano, unde eam Sol dicebatur efferre, atque orbem terrarum retegere tectum prius tenebris.

120. Exponit jam consilium excitandæ tempestatis in media venationis voluptate. Vide vero horrorem tempestatis graphice descriptum: ubi *nimbus*, et hic *nigrans*, cui *grando commixta:* ad hæc, *tonitrua*, quibus *cælum omne ciebitur*. Quo vero tempore excitabitur tempestas? dum *alæ* equitum *trepidant*, id est, festinant vario illo agitatorum cursu ac discursu; ac dum *cingunt saltus indagine* venatoria.

123. Id quod necessarium in tempestate, ubi statim fuga; et quod opportunum ad rem, ut nemo scilicet videat Reginam, quum ea se recipiat ad speluncam.

124. Venient Dido, et Æneas ad eamdem speluncam, quam scilicet fortuna offeret. *Adero*, proprie; nam Junoni sunt vincla jugalia curæ; *et, si voluntas tua sit certa mihi*, proprie hoc quoque: Dea enim conjugii Juno vult, ut assentiatur Dea amorum Venus, qua adjuvante, qua inspirante conjugia fiunt.

impossibile esse, quod petit: nam uxores facile secreta virorum intelligunt.

116. *Confieri.* Id est, confici; Jul. Scal. IV, 16. Terent. Adelph. V, 8. « Confit quod volo », id est, perficitur: unde « confectum negotium », quod ad plenum perficitur. Cicero ad Atticum lib. IX: « ut per te res tota confieret. » Cæsar: « Posteaquam id difficilius confieri animadvertit. » Castissima est vox, de re gravi et magni momenti. Utitur crebro etiam Lucretius.

119. *Titan.* Sol, unus enim de Titanibus, Hyperionis filius, contra Jovem non fecit. *Serv.*

121. *Alæ* Equites; ob hoc *alæ* dicti, quia tegunt pedites, alarum vice. *Serv.* — Joannes Scoppa e veteri fragmento profert venatorum species quatuor, *investigatores*, *indicatores*, *insidiatores*, et *alatos*, qui equo feras in casses urgent. — *Indagine cingunt.* Servius « ferarum inquisitione » interpretatur: nobis *indago* accipitur series plagarum, quibus saltus,

Itaque hoc si velis ipsa, ego illos *jungam connubio stabili*, ac Didonem Æneæ *dicabo propriam*, id est, perpetuam.

127. Non ait, nuptiæ fient; sed supponit fore, quum dicat adfore Deum præsidem nuptiarum. Annuit Venus, deprehensis dolis, nolens adversari Junoni, tantum risu dolos a se intellectos indicans: risit vero, quia vidit inane esse consilium Junonis, quum iter Æneæ in Italiam impediri non posset.

129. Respicit ad Tithoni et Auroræ conjugium: hæc enim illius amplexibus relictis fingebatur per Oceanum ad nos redire: sic solet Maro sine ambitione attingere fabulas: alii nihil putant dictum, nisi omnia exprimant, nihil supponant.

130. Cape, vel Luciferum, cum Servio, et aliis; vel cum Modico Solem: tam enim Lucifer, quam Sol, dicti *jubar*.

131. Apparatus ad venationem ex instrumentis, quæ necessaria ad capiendas feras, et vulnerandas: retia et plagæ, ad capturam; venabula, ad vulnus. Apparatus alter equorum, et canum: utrique suum elogium: illi Massyli; hi acres odoratu.

133. Post apparatum venationis, vertit sermonem ad Reginam, quam Pœni proceres exspectabant in foribus: illam

stabula, et latibula ferarum a venatoribus cinguntur.

130. *Jubare exorto.* Nato Lucifero: nam proprie *Jubar* Lucifer dicitur, quod *jubas lucis* effundit: unde etiam quicquid splendet, *jubar* dicitur, ut argenti, gemmarum.

131. *Retia rara, plagæ.* Multi dividunt, ut sic *retia rara*, majora vel minus denso filo contexta; *plagas* vero, minora intelligant. Alii *plagas* per definitionem accipiunt; ut intelligant, quæ sunt retia rara, plagæ. Sane sciendum proprie *plagas* dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem.

132. *Massyli.* Massyliorum gens est haud longe a Mauritania. — *Odora canum vis.* Poetam valido monosyllabo procedentem ac mobilem versum sustentasse de industria, docet Scalig. IV, 48. Vide ad illud Æneidos II: « aversa deæ mens », eumdem Scal. V, 9. Sed Erythræus contra doctissimum Servium docet, versum monosyllabo finiri, nec vitiosum, nec rarum, quum ejusmodi versus trecentis plures exstent in hoc Poeta. Hoc autem sumpsit a Lucretio, qui lib. IV, « promissa canum vis »; et lib. VI: « fida canum vis », id est, canes. Ita ab eodem dicitur « vis equi », id est, equus: « vis animi », id est, animus. Porro notat Servius, *Odora*, improprie hic dici, quum debuerit *odorisequa*: odorum enim esse, quod ex se odorem emittit; non, quod odorem sequitur: ut Statius, « et odoro vulnere pinus. » *Vis* autem *canum*, est ingens multitudo: ut Sallust. « Vis piscium erupit. » Servii tamen pace dicam, poetis dici posse, *odoram vim canum*, pro, canes nare sagaces et acri sensu prædam indagantes.

cunctantem inducit ex decoro regio, ex natura feminarum, ex affectu amantium : ex decoro regio; nam proceres principem debent opperiri, non contra : ex natura fœminarum; nam illæ cunctabundæ in se ornandis : ex affectu amoris; nam cupiebat placere Æneæ, ideo Servius, *morabatur studio placendi.* Sequitur, *ostroque insignis*, etc. Equo, quo vehenda esset Regina, dat primo splendorem ex ornamentis, quæ aurea et purpurea; deinde notas quasdam ferocitatis; nam frænum mandebat; agebat spumas.

136. Versus plenus fastus et superbiæ : eo sensu *tandem* quo supra *cunctantem :* illud *magna stipante caterva*, ex regia dignitate; principes enim cum magno semper comitatu se dant in publicum : erat vero induta chlamyde coloris purpurei : hic enim color signatur quum ait, *Sidoniam :* erat autem chlamydi limbus pictus et variegatus.

138. Pergit in describendo ornatu Reginæ : erat illi aurea pharetra; crines collecti in nodum aureum; fibula aurea subnectens vestem, ne difflueret : itaque omnia ex auro, pharetra, nodus, fibula.

140. Ut de Didone, *magna stipante caterva*, ita pari vicissitudine Æneam sui comites prosequuntur, interque eos Iulus, et ille *lætus*, ut captus est puerorum, ideo de illo postea, *gaudet equo :* erat vero Æneas omnium pulcherrimus : credibile est enim Venerem in eam curam incubuisse, ut Æneas specie esset pulcherrima, qua Dido caperetur.

143. Comparat pulchritudinem Æneæ cum ea, quæ inest

137. *Chlamydem. Chlamys* non tantum pallium militare, aut viatorium, sed etiam venatorium est : dum hic *Sidoniam* dixit, ab arte commendavit. Hom. Iliad. Z. ἔργα γυναικῶν Σιδονίων. — *Limbo. Limbus* est, ut supra dictum est, fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum : *Limbus* regibus deputatur et diis; qui eorum caput candido orbe circumdat. *Serv.* et *Donat.*

141. *Ipse ante alios pulcherrimus.* Quia amabatur, et ideo ei dat pulchritudinem, licet Ascanio magis congruat. *Serv.*

143. *Qualis.* Ut Æneæ pulchritudo præferri cæteris posset, deficientibus humanis ad divinam comparationem accessit; et quia Didonem Dianæ comparaverat, hunc comparat Apollini. *Donat.* — *Hybernam.* Non δυσχείμερον, sed εὐχείμερον, ut vocat Aristot. Polit. VII : id est, *aptam hiemantibus :* ita enim regionis est ingenium. Sed bene aliud agens, aliud ostendit, nam opinio erat, Apollinem mutare sedem, et sex quidem menses hiemales apud *Pataram* Lyciæ civitatem dare responsa : et sex æstivos, apud *Delum :* ut notat Ser-

Apollini, quum is Lyciam et Xanthum deserens ad matrem in Delum proficiscitur: quem choros ducentem Cretes sequuntur, Dryopes, Agathyrsi, mixti omnes et conglobati ad altaria. Ipse interim Deus per juga Cynthi graditur, vinciens fronde et auro fluentes comas, una cum telis ad humeros sonantibus. Post hanc comparationem poeta, *haud illo segnior ibat Æneas;* id est, non illo minus pulcher; non Apolline deformior; ut Servius explicat, et laudat Scaliger, Poetic. IV, 16. Ego tamen puto explicari alacritatem quamdam et promptitudinem in incessu parem Apollineæ, quæ ipsa etiam ad pulchritudinem pertinet. Demum absolvit hoc epiphonemate; *tantum egregio decus enitet ore:* præclare, quia pulchritudo Æneæ tota cum decore, et majestate.

151. Commoda attributa; montes *alti;* lustra *invia;* nam ferarum latibula plerumque implexa sylvis; implicata saltibus.

152. Viva admodum venationis hypotyposis: *ecce* quasi impetu improviso: et vide proprietatem: capris dat saxa, et rupes, ut est ejus animantis natura, quas ideo Plinius vocat rupicapras; et tam Virgilius quam ille sylvestres intelligunt. Ut vero capræ jugis montium decurrunt, ita cervi ex eorum natura transmittunt patentiora loca, atque agminatim sese agglomerant, fugiuntque in omnem partem relictis montibus. Ideo enim *glomerant,* quia agmina; ideo *pulverulenta,* quia *transmittunt campos.*

156. Apte inducit puerilem Ascanii ostentationem, ardoremque militarem; nam et equo exultat, et hoc acri: et majora viribus appetit; nam contemptis capreis, et cervis, quæ inertia pecora, optat sibi in viam dari *aprum,* et hunc *spumantem:* quo non contentus, *leonem* vult, et hunc *fulvum:* quibus magis indicatur puerilis animi aviditas, quæ feras appetit, spernit pecora: quum ait *dari,* non est, offerri, ut vulgares interpretes, sed vere dari, quia rem hanc habiturus est pro maximo dono fortunæ.

160. Adest jam tempestas ex compacto Junonis, ut per hanc occasionem Æneas et Dido celebrent nuptias furtivas: rem breviter transigit; nam hic tempestas tantum quæsita ad occasionem: ait *misceri,* ad explicandam confusionem ventorum, a quibus subito excitatum murmur in aere; nam hic cæ-

vius, et Turneb. XXIV, 26. Hanc autem comparationem idem Turn. III, 2; et Scal. IX, 6, e lib. I. Argonauticon Apollon. expressam, auctam, superatam, docent. Vide Excursum II, pag. 561; vol. II.

lum aer est: ventorum murmura *nimbus* sequitur, imo *insequitur*, in quo verbo est grave quiddam et molestum, neque hic simplex, sed admixta grandine. Itaque omnia commixta sunt, venti secum, pluvia et grando, et ideo nimbus.

163. In subito malo quisque statim præsidium, quod potuit, occupavit, et Tyrii et Trojani. Sed quare in nominando Ascanio periphrasis ista, *Dardanius nepos Veneris?* quia videlicet in hoc malo deesse Venus nepoti suo non potuit. *Tecta diversa* sunt ferarum latibula, arborum trunci, rupium cavitates. Absolvit, *ruunt de montibus amnes;* nam aucta tempestas momento temporis torrentes effecit; et ita Tyrii non possunt Reginam investigare.

165. In eo tumultu Dido atque Æneas ad eamdem speluncam deveniunt, ubi amoris opus peragetur, seclusis arbitris. Sequuntur statim signa, quibus firmentur nuptiæ. Tellus, et Juno quæ præest nubentibus signum dant; ignes fulgent atque æther; Nymphæ in montibus ululant. Ego sic concipio, ut dicat; Tellus et Juno dederunt signa, videlicet, ut ignes micarent rutilante per æthera subito aliquo fulmine, quæ res tam ad Tellurem quam ad Junonem pertinet: exhalationes quippe quæ sunt terræ, gignunt fulmen in aere, qui Junonis est; nam aeris est Dea.

169. Dies hic fuit veluti seminarium malorum, et futuræ demum mortis: nulla enim jam aut honestatis, aut famæ cura: hoc frænum si feminæ abrumpant, actum de illis. Dido vero, ut culpam tegat, utitur specioso conjugii nomine: itaque non jam furtim exercet amores suos, sic explico *meditatur*, sed vocat conjugium; et hic prætextus tantum culpæ fuit. Peregregie autem Julius Scaliger perpendit, quæ hactenus narrata sunt de Didone: propria feminæ virtus pudor est, et pudicitia: pudor est metus reprehensionis; pudicitia, constans absti-

167. *Fulsere ignes.* Ut dei nuptiales. Varro dicit: « Aqua et igni mariti uxores ducebant. » — *Summoque ulularunt*, etc. Moris enim fuit, ut puellæ ante thalamos, ubi novi nupti inerant, vesperi usque ad mediam noctem concinerent, quæ carmina κοιμητικά, hoc est somni conciliatoria vocabantur. Fiebat autem id, ne quid foris audiretur, quod intus fieret. Rursus alia ab iisdem canebantur carmina matutina, quæ διεγερτικά, hoc est, excitatoria nuncupantur. *Ululare* vero, luctus et lætitiæ vocabulum est, unde Lucanus, « lætis ululare triumphis. »

170. *Specie famave movetur. Species* rerum præsentium est, quod quasi aspicitur: *fama* autem rerum absentium. Hoc ergo dicit: non eam movet, nec præsens de-

nentia a venere prohibita; nam castitas est abstinentia a quacumque venere. Poeta luculentum femineæ virtutis exemplum in Elissa constituit, ad quam expugnandam opus fuit Deo, et ipsomet Cupidine, et præsente, et virus per oscula inspirante: conveniunt etiam Juno et Venus ad illum animum expugnandum, offerunt speluncam obscuram in loco solo ac deserto: his machinis ducta est ad voluptatem, neque enim satis, quod Æneas natus Dea esset, quod os *humerosque Deo similis:* victa tandem ita reprehensionem fugit, ita prohibitæ veneris suspicionem amovet, ut amorem hunc non furtivum appellet, sed vere conjugium.

173. Didonis facinus vix admissum in omnem Africam Fama statim detulit, ut est ejus natura; et *per magnas urbes*, in quibus multi otiosi aucupandis et spargendis rumoribus dediti.

174. Ait Famam esse malum, quo nullum velocius: probat, quia *viget mobilitate, eundo acquirit vires.* Quod hoc monstrum! omnia labore fatigantur, minuuntur, decrescunt: Fama una viget labore assiduo.

176. Est hæc natura Famæ, ut hæreat primum, et parva sit, metuens scilicet redargui: mox sese in auras attollat; mundum occupet; et his non contenta, caput etiam condat inter nubila. Prudenter extremum hoc, ait Jovianus, nam quum Fama multa evulget, quæ verane, an falsa sint, non satis scias: illa dicitur caput condere inter nubila, quod videlicet assequi nequeas veritatem illorum, quæ illa disseminat.

178. Attingit jam natales primos Famæ. Quantum ea est malum, quæ soror gigantum Cæi atque Enceladi, et genita ab irata irritataque matre, et nata quidem in ultionem Deorum, contra ipsos dico Deos, ac demum extremo partu, quasi non contenta Tellus tot monstra profudisse, Famam ediderit, malum præteritis dirius, sævius, atrocius!

181. Tria dicit esse, *monstrum*, et *horrendum*, et *ingens:* quæ sequuntur his tribus respondent. Monstrum est sane illud, cui quot plumæ, tot oculi, linguæ, ora, aures: horrendum, nam volat per medium cæli; aerem intellige; perque umbram terræ, et cum stridore nunquam dormiens: ingens, nam territat urbes magnas. Regredior ad quasdam notulas: dicitur habere

formitas, quod non in thalamo, sed in spelunca concubuerat; sed nec futura mox fama. *Serv.*

175. *Mobilitate viget.* De domicilio et natura famæ Ovid. accurate Metam. XII, 41 et seqq. De reliquis vide Excursum III, vol. II, pag. 563.

plumas multas; nam quisque quum rem enuntiat, suam addit plumam, faciens quantum in se est, celeriorem famam: pari tenore dantur illi tot oculi, linguæ, ora, aures. Dicitur habere oculos *subter*, quia, explicante Servio, quum ipsa omnia videat, videatur a nemine. Quare autem *volat nocte?* quia semper incipiens Fama obscura est; jam vero clarior facta tum conquiescit; ideo sequitur *luce sedet:* sed *sedet* quidem ut custos ad speculandum de novo, si quæ alia evulganda se offerant: sedet vero in culminibus tectorum, turrium, urbium, tanquam in specula.

188. Est hoc veluti epiphonema: hæret enim Fama his, quæ semel dixit; eaque evulgat tenaciter, modo ficta, parva, aut vera sint.

189. Post descriptam Famam, descendit ad rumores, quos ea de Didone et Ænea dissipavit. *Replebat* vero *populos sermone multiplici*, quia *canebat facta pariter atque infecta:* et *gaudens*, tum quia homines novis rebus delectantur, tum quia nacta amplam et nobilem materiam, quam disseminaret de magnis regibus.

191. Quid vero disseminat? venisse Æneam Trojanum hominem, cui se Dido dat in conjugium. Præclare poeta vulgo attribuit rumorem, ne sit necesse Famam induci loquentem cum Iarba, quod hic esset frigidum, et ineptum: sed quam libenter vulgares poetæ captarent hanc occasionem! respuit Maro magno judicio. Expende quæpiam: *cui* quasi peregrino et exotico; est emphasis. *Pulchra Dido* etiam emphatice; quæ potuisset cuivis etiam magno Afrorum principi placere propter pulchritudinem: vel ironice: nam quid aliud faceret pulchra femina? istæ enim sæpe lascivæ: *dignetur* quasi superior inferiori: *jungere se* vox signata ad conjugium.

193. Hyemem, dicebat fama, luxu fovent, et ducunt turpiter cum voluptate, quam longa est hyems ipsa: uterque oblitus regni, alter Italici, alter Africani. Effectus proprius luxuriæ, quæ, ubi animum abripit, nihil aliud sinit curare impotentissimo dominatu.

195. Ideo *fœda*, quia fœditatem spargebat; et est veluti epiphonema totius rumoris.

195. *Dea.* Famæ olim aræ et templa. Pausanias in Atticis: *Est sua apud illos Pudori, Famæ, Alacritati ara.* Iterum, aram illi dicatam scribit, una cum *Pudore*, *Misericordia*, *Impetu*. Plutarchus etiam, de fortuna Romanorum, illi templum assignat una cum Omine.

196. Eadem celeritate, qua ad alios, ad Iarbam quoque delatus rumor: supra *extemplo*, nunc *protinus*, consentanee ad celeritatem Famæ: ergo illa *detorquet cursum*, sed non sub aliqua persona. Vulgus enim defert, vulgus incendit animum, vulgus iras aggerat; illi nimirum, qui e vulgo rumorem sparserunt; inde postea *rumore adcensus amaro*.

198. Digreditur ad Iarbæ genus, et religionem: genus; fuit filius Nymphæ Garamantidis, quam Juppiter Ammon raptam ex patre Garamante compressit; fuit Garamas filius Apollinis, si Servio credimus: religio; ædificavit in honorem Ammonis patris templa centum, aras centum, singulas in templis singulis: ad hæc in omnibus ignem æternum, æternas excubias Deorum. Sacravit in templis æternum ignem, ad quem essent æternæ quoque excubiæ servando igni, quæ omnia in honorem Deorum. Pergit religio Iarbæ: templa hæc multis victimis sacraverat, multis floribus: ab sanguine pecudum *solum pingue;* ab floribus *florentia limina:* sunt *templa immania*, ingentia.

203. Quare *amens animi?* quia Fama *iras aggeravit:* quare *adcensus rumore amaro?* quia eadem *incendit animum dictis.* Itaque hic versus procul dubio respondet superiori: et utroque includitur duplex affectus potentissimus in hominibus, ita et dolor: quos affectus zelotypia genuit in Iarba. Quid vero furens, quid dolens? procedit ante aras, interque Deorum numina, et simulacra, supplicabundusque supinis manibus, dolorem suum, et irarum causas exprompsit.

206. Incipit ab commemoratione officiorum in Jovem, tum ut illum sibi conciliet, tum ut dissimulanter ingratum accuset: porro irrisiones quasdam, quas quidam inferunt, non putamus esse ex consuetudine poetæ, qui de Diis semper religiosissime loquitur. Officia, quæ commemorat, sunt, celebrari ab Mauritanis epulas in honorem Jovis; et post eas, nam hoc est *epulata*, libari vinum, idque toris pictis. Servit epitheton totius orationis argumento: o tu, qui omnia potes, cur fers tantum facinus?

205. *Manibus supinis.* Solebant orare veteres, (hinc oratores dicti) vel Jovem, vel Superos, non expassis, neque porrectis, sed supinis manibus, ita ut palmæ cælo obversæ levarentur: Inferos demissis ad terram manibus invocabant.

206. *Jupiter omnipotens.* Epitheta quæ commemorationem potentiæ habent, interdum exprobrationis vim obtinent, ut hoc loco. *Serv.* Donatus idem censet.

208. Conficit Iarbas argumentum hoc expostulatorium. Hæc vel aspicis, vel non aspicis : si aspicis; iniquus, qui non punis; nam hoc procul dubio subaudiendum, sed omissum ex magno judicio : si non aspicis; non tu es Deus; frustra te horremus; cæci sunt tui ignes; inania murmura tonitruorum : potius terror, et illusio animorum, qua nos decipis, et te esse aliquem exspectamus, nullus quum sis. Expende amaram illam interrogationem, *Aspicis hæc?* Explica *ignes cæcos* deceptorios, inducentesque ad errorem, quo homines decepti putant esse Jovem, quum mortalia non curet.

211. Sequitur altera orationis pars, exprobratoria in Didonem; commemorat enim beneficia, quæ illa ab se acceperit; quibus tamen illa non respondit; in hoc quippe posita exprobratio. Ifa vero exprobrat, ut mire attenuet personam Didonis, attollat suam. Attenuat illam a sexu; jam *femina:* a fortuna; nam *errans:* et quum urbem constructam a Regina negare non possit, extenuat; quippe *exiguam* et *pretio*, non ergo aut gratia meruit, aut virtute occupavit : et *litus*, et *arandum;* non enim nisi summa inopia ad hoc cogimur : et *dedimus leges loci*, qnod sapit servilem et infelicem animum. Attollit suam; nam errabat illa *in nostris finibus; dedimus litus arandum; dedimus leges loci*. Quid vero illa tam humilis in tam magnum principem? *Reppulit nostra connubia*, omnia cum emphasi : quasi dicat : respuit indigenam; recepit precarium. Sed et *nostra* nobilium est sermo. Quid vero me repulso? *recipit Æneam dominum in regna.* Hinc pendet omnis affectus doloris : ego rex, et finitimus, repellor ; recipitur exul, et incognitus.

215. Restat pars extrema, contumeliosa in Æneam : *ille* mollis, effeminatus, lascivus, nimirum alter *Paris*, *cum comitatu semiviro*, quippe Phryges mollissimi mortalium sunt habiti, et a quibus, ait Servius, puerorum stupra inceperunt : *subnixus mentum crinemque madentem mitra Mæonia*, habens subnixum,

211. *Femina*. Quasi abjecti sexus; unde magis dolendum. Sic Terent. « Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas. » — *Errans*. Exul, peregrina, et sine urbe. — *Pretio*. Quasi quæ nec gratia meruerit, nec virtute invaserit. Queritur ille de fraude facta per corium. *Serv.*

214. *Dominum*. Ut superius : « Liceat Phrygio servire marito. » Est autem de Jure quasi per coemptionem. Vel *dominum* maritum, ut alibi *dominam* uxorem : « Hi dominam Ditis » : et est quasi vehemens accusatio : me maritum respuit, et Æneam non virum, sed dominum recepit. *Serv.*

id est, subligatum mentum crinemque mitra feminarum, crinis vero totus est madidus ab unguento. Ergo hic tam mollis, quia alter Paris; quia cum semiviris; quia cum mitra feminea et unguentis *potitur rapto*. Explico : ut primus Paris potitus est rapta Helena, ita hic alter Didone rapta. Servius *raptum* interpretatur per stuprum. Quid vero nos? *ferimus munera templis tuis*, et ita *fovemus inanem famam :* nam alimus errorem vulgi, qui te Deum putat. Adverte, nunquam de se loqui, nisi numero multitudinis, cum respectu ad exprobrationem Didonis, et contumelias Æneæ. Præclare vero notat Julius Scaliger, ab irato homine relinqui orationem pendentem; nihil enim concludit; tantum desinit in exprobrationem.

219. Dixerat Iarbas initio orationis, *Juppiter omnipotens;* itaque nunc consequenter, *audiit omnipotens:* quin irascitur; nam *torsit oculos ad mœnia;* signate *amantes*, non conjuges, ut innuat causam irarum : quasi dicat; stuprum vidit, non conjugium : *oblitos famæ melioris*, quia supra dixerat de Didone, illam non moveri fama.

222. Nam hic Deorum nuntius, Jovis inprimis.

223. Totus versus celeritatem spirat : illum expende : audis enim; *vade*, et *age*, et *voca Zephyros*, quibus veharis : neque his contentus, *pennas* adde, quibus delabaris : ipse versus Jovis mentem indicat, qui quamprimum voluit, ut illi malo occurreretur. Inde etiam suo nuntio Mercurio paucissima præbet mandata : dein, ut hæc mandata celerrime perferantur, jubet, hortatur, blanditur; jubet, quum ait, *vade*: hortatur, *age*: blanditur, *Nate*.

224. Clara omnia : tantum considera verba tria; *exspectat*, *urbes*, *fatis:* in primo, notat ignaviam Æneæ; nam *exspectat* quasi otiosus : in altero, pulchre opponit singularem plurali, quasi notans indignitatem Æneæ, qui unam urbem pluribus præferret : tertio assignat causam legationis; fata enim aliter destinabant.

227. Periphrasis Veneris : utraque vox signata, prior ad generationem, cui præest; posterior ad venustatem : nam Venus quid, nisi venusta tota, et pulchra? alii aliter originantur. Sententia integra : *non promisit nobis illum tamen genitrix, nec ideo vindicat illum bis ab armis Graium*, id est, eripit, semel a

218. *Templis quippe tuis*. Ac si diceret; non mirum si hæc patimur te colentes. — *Fovemus inanem*. Aut quia frustra te credimus mundi esse rectorem : aut quia me tuum filium esse confido. *Fovemus*

Diomede, iterum ab Achille, ut nunc indulgeat voluptatibus.

229. Imo promisit, illum fore talem, *qui regeret Italiam imperiis gravidam, frementem bello:* qui grandius posset laudari Italia? illa parens fuit Imperatorum; ideo *gravidam imperiis:* et bellicosissima, ideo *bello frementem.* Hic partus imminebat jam a tempore ipsius Æneæ, cujus hic est occulta laus: nam ad magna qui, nisi magni? Pergit: promisit talem fore, *qui proderet,* id est, propagaret *genus* ortum *ab alto Teucri sanguine:* demum, *qui mitteret orbem totum sub leges.* Respectum ad Augusti imperium tecta quadam adulatione.

232. Si ipse nulla gloria inflammatur, nec putat de laude sua laborandum, cur pater filio segetem gloriæ adimit? plena omnia emphaseωn: debetne pater invidere filio arces Romanas? In his Turnebus invenit artificium singulare ad adulationem excogitatum: quasi non tam Æneæ significetur quæri Italiam, quam Iulo, ac perinde familiæ Juliorum.

235. Vultne sibi mali aliquid struere? cur esse vult inter hostes? quin potius sperct Italiam, aspiretque ad illam: dicit hoc Juppiter, præoccupans futuras inimicitias inter Romam et Carthaginem.

237. *Naviget.* Hæc summa mandati, et prolata cum gravi imperio, neque absque nota iracundiæ.

238. Initio apparet πρέπον ex obedientia inferioris Numinis ad superius. Nihil enim respondet Mercurius; orationi paret, ut 1 Æn. 189; *Paret Amor dictis charæ genitricis.* Sed qui apparatus ad iter? Talaria in pedibus, virga in manu. Illa aurea sunt, portantque illum sublimem supra æquora, supra terram, una cum ventis, quia videlicet Mercurius non solum fertur talaribus, sed etiam ventorum flatibus. Virgæ virtutes quinque connumerat: sunt illæ: Mercurius hac *animas Orco evo-*

autem auxiliamur, quasi rem per se infirmam.

234. *Ascanione.* Propter illud quod frequenter diximus, ipsi imperium deberi: ideo autem hoc adserit Poeta, ut laudando Iulum, Cæsarem laudet; quod ab eo originem ducit: ut, « Julius a magno demissum nomen Iulo. » *Serv.*

239. *Talaria.* Sunt hæc calceamenta alata Mercurii: πέδιλα Græcis, quod pedibus necterentur; Latinis *talaria*, quod talis. Val. Flacc. lib. I, nominat, *plantaria*, quum ait, « Aerii plantaria vellet Perseos. » Papin. « Alas plantares. » Mercurius Catullo *pennipes* dicitur: Ausonio *volucripes.* — *Aurea.* Ex decoro Dei: Homerus quoque Mercurio dat χρύσεια πέδιλα, *aurea talaria.*

242. *Evocat.* Signate; nam hoc verbum magiæ est, et δύναμιν quamdam, atque imperium signat: in-

cat; in Orcum mittit; dat somnos; adimit somnos; resignat oculos mortuorum in rogo.

245. Ut sessor agit equum, quo vehitur, ita Mercurius *ventos agit;* idque auxilio virgæ, ita ut illa quasi fræno uteretur ad ventos moderandos, ad tranandæ nubila : et quia descendit de cælo in Atlantem, subjicit descriptionem Atlantis, qui, quia et vir et mons ex fabulis, accipit a poeta quædam, quæ et viro et monti conveniant : talia sunt, *latera, vertex, apex, caput.* Pari consecutione descriptio dividitur in ea, quæ Atlas habet, ut mons; in ea quæ habet, ut vir : ut mons, *durus est, fulcit cælum vertice, habet pinos :* ut homo, *humeros, mentum, barbam :* nam alia, ut dixi, communia sunt. Tota vero descriptio tendit ad explicandam et altitudinem et asperitatem montis; quia altissimus, *habet ardua latera; fulcit cælum vertice, habet caput cinctum nubibus; pulsatur vento, pulsatur imbri :* est asperrimus, *ab nive infusa, ab fluminibus præcipitatis, ab glacie, qua totus riget, atque horret.*

252. Ait, Mercurium nulla facta quiete et intermissione, to-

de Magis tribuitur. Medea apud Senecam : « Secreta nudo nemora lustravi pede, Et evocavi nubibus siccis aquas. »

244. *Lumina morte resignat.* Claudit, perturbat, aufert signa luminibus, id est, signorum, quibus quæque noscuntur, intellectum tollit. Cicero *resignare*, pro auferre, in Orat. pro Archia ait : « Quamdiu incolumis post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset » : hoc est, abstulisset. *Serv.* — *Lumina morte resignat.* Id est, aperit; dictumque ex Romana consuetudine, qua mortuis in rogo oculi aperiebantur, qui ante domi clausi fuissent. Plin. XI, 37 : ita ut, quia dicitur Mercurius ψυχόπομπος, id est, *manium ductor*, videatur ipse in pyra mortuis oculos a nobis clausos aperire. Sic Cerda et alii : ego vero interpretor : oculos, fracto mortis signo vel sigillo recludit, et mortuorum corpora ad lucem recenter amissam revocat, antequam in Orcum descenderint : quod quintum officium a primo distinguitur, quo evocat animas, ut ante Jovem sistat, vel ad alia ministeria.

247. *Atlantis.* Ætheris et Diei filius, cui pœnæ gratia cœlum impositum dicitur, quod, ut quidam volunt, cum Titanibus steterit. — *Duri.* Laboriosi, et merito, qui cælum sustinet, cervice *fulcit.*

251. *Senis.* Allusum ad ætatem, et ad nives. Claudian. « Perpetuaque senex subductus mole parumper Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas. » — *Glacie riget horrida barba.* Scite admodum : namque rigor glaciei est, horror barbitii inculti. Ergo Atlantis barba, cujus est horror, asperatur glacie, cujus est rigor : inde mira verborum dispositio. Junguntur enim, « glacie riget », et « barba horrida. »

252. *Paribus.* Æquatis pennis,

tum aeremtrans volasse a cælo usque ad Atlantem, ubi *constitit nitens alis*, id est, constitit in pedes, ubi alæ ejus. Inde *præceps* descendit ad Carthaginem, quæ urbs sita ad undas maris, ideo *misit se ad undas*. Sequitur comparatio : misit se, similis illi avi, quæ humilis volat juxta ipsa æquora, circum litora, circum scopulos pisculentos, ut inde rapinæ aliquid obtineat. Accommodat deinde comparationem, in qua nominat *litus*, et *ventos*, quod similem fecerit avi illi, quæ *volat*, et ad *litora*.

259. Ut primum Mercurius tetigit Africanum litus, Æneam conspexit fundantem arces, excitantem, et *novantem tecta*, id est, incipientem de novo *arces* sibi, *tecta* civibus. Qui vero Æneæ cultus? plane regius : erat illi ad latus ensis, cujus capulus, vagina, totus demum erat distinctus, tanquam stellis, fulva iaspide : erat ex *humeris demissa læna*, et hæc tota intermicabat, verius *ardebat Tyrio murice*, qui splendidissimus. Dederat vero tam ensem, quam vestem Dido Æneæ, ut divitias et amorem ostenderet : divitias in iaspide et purpura; amorem, nam ipsamet Dido operam suam in vestem contulerat, discernens discriminansque telas purpureas auro tenui : itaque vestis ea tota erat ex auro, et purpura.

265. Ideo *invadit*, ut acerbitate verbi præsignificet habitum futuræ orationis. Quæ vero oratio? *Tu nunc*, etc., omnia pæne verba emphasin habent. *Tu*, qui a Græcis ereptus? qui filius Veneris? qui nepos Jovis? cui promissa Italia? *Nunc*, in ipso gloriæ cursu, et Italiæ aditu : ipsemet *locas fundamenta urbis altæ*, quam fieri vis *altam*, quæ tibi, et tuis hostilis erit? *uxoriusque exstruis urbem?* Acerbe : facis, quæ tibi uxor præscribit; non, quæ faceret is vir, quem fata destinant ad magna imperia : uxorius omnino es : *pulchram*, fortasse ironice, cum allusione ad pulchriorem Romam. *Heu* te miserum! oblitus es *regni tui*, et *rerum tuarum* : regni, nam alterius urbis fundamenta locas : rerum tuarum, quum te totum, non ad tui, sed ad uxoris arbitrium componis.

268. Explicat, a quo missus venerit, idque periphrastice :

atque adeo volatu leni, et tranquillo : ita alibi, « in cælum paribus se sustulit alis. » — *Cyllenius*. Aut ab avia : unde paulo post, « Cyllenia proles. » Aut a Cylleno Arcadiæ monte, ubi dicitur esse nutritus. *Serv.*

258. *Materno ab avo*. Ab Atlante monte, in quem Atlantem patrem Maiæ, quæ mater Mercurii, convertit Perseus. *Donat.*

262. *Læna*; genus vestis, quæ toga duplex, amictus auguralis; hac induti Flamines sacrificabant : alii muliebrem vestem, amatori aptam intelligunt.

ipse regnator Deum, qui torquet numine cælum et terras, quo majorem terrorem Æneæ incutiat ex descripta persona Jovis; *mittit me tibi de claro Olympo, ipse jubet ferre mandata hæc per auras celeres.* Arripit hic verba Jovis, *celeres defer mea dicta per auras.*

271. Dixerat Juppiter; *Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?* Ergo legatus; *Quid struis, aut qua spe Libycis teris otia terris?* Atque ita Libycæ terræ, erunt inimicæ et hostiles: quasi dicat: quæ insania est, esse te otiosum inter hostes? quæ hæc tam amens spes? Ista vero ejusdem versus assumptione indicat poeta eminentissimus, legato nihil addendum in perferendis mandatis.

272. Si te nulla rerum tantarum existimatio, nulla spes movet; si ita segnis es, ut nihil ipse pro tua laude moliaris, nihil labores; filium respice, atque illius spes, cui Italia (magnum quiddam), cui Roma ipsa (majus hoc) fatis debetur. Observo in his, poetam non contentum dixisse *Ascanium*, addidisse *Iulum*, cum respectu ad Julium Cæsarem; cum quo nomine spes junxit hæreditatis; nam gentilitium nomen (quale est Julius ab Iulo) hæreditas sequebatur.

276. Hæc locutus Mercurius evanuit, neque amplius visus est Æneæ; nam hoc est, *reliquit mortales visus*: illud *reliquit medio in sermone*, præclare dictum: est sermo vicissitudo quædam loquentium, et confabulatio duorum, vel plurium: erit ergo medius sermo, quum quis non exspectans responsum, abit. Ita Servius.

279. Attende, qui ad carminis gloriam aspiras, quam graphice Virgilius affectus exprimat hominis, qui a Jove arduum nuntium accepit, et de re maxima: obmutescit; consternatur; horrent comæ, et arriguntur; vox hæret faucibus; nihil loquitur; solum abire ardet: nec abire tantum, sed verius fugere: ardet enim *abire fuga;* non tardatur dulcedine illius loci; attonitus est, totusque ἐμβρόντητος tanto monitu, tanto imperio Deorum; et Jovis, qui misit; et Mercurii, qui missus.

283. Sequuntur affectus alii superioribus similes, sed ex diversa causa. Quid agat? quo genere sermonis ambiat Reginam furentem amore? quo exordio utatur? ex his affectibus necesse est in consilio æstuet, neque reperiat, qua in parte conquiescat, in quamve inclinet. Illud *Ambire affatu*, est, *verbis circumvenire*, ait Jul. Scaliger.

285. *Atque animum nunc huc celerem.* In tam ambigua consultatione prævaluit apud religiosum virum divinum præceptum. *Donat.*

287. Inter varios animi motus, et æstus cogitationum, deliberat quid faciendum, optimo ducis exemplo, qui ita abripitur curis, ut non consilio. Tria vero deliberat: classem aptari; cogi socios ad litora; parari arma. His tribus modum addit et rationem, qua velit fieri, nimirum tacite et dissimulanter: ergo, aptanda classis, qua vehantur; cogendi socii, qui serventur; paranda arma, si illis opus adversum Pœnorum vim et Reginæ impetum: dissimulanter facienda omnia, quo minore fiant impendio. Quum vero ducibus alia præscripserit, sibi maximam negotii partem relinquit, videlicet Didonis animi expugnationem. Est *alternanti*, modo hoc, modo illud cogitanti, fluctuanti plane: *Tempora mollissima* sunt opportuna. Sed friget hoc; nequeas enim poetæ verbum alio simili explicare: adeo ille optimum elegit!

294. Erant milites in urbe Carthagine laute et splendide accepti in otio, in quiete: et tamen inde abituri quum sint, otium relicturi, labores subituri, læti parent: disce obedientiam. Posterius est explicatio prioris; quasi dicat: quia parent, ideo facessunt jussa.

296. Vide an amor suspicax? quis enim fallat eum, qui amat? itaque Dido statim *præsensit dolos*, id est, occultam illam navigandi rationem, quam Æneas adstruebat. *Excepit motus;* nam vix se commoverant; quum intimus sensus penetravit; et assecuta est futura.

298. Duplex causa cognitionis celerrimæ; una interna, externa altera: interna; *omnia tuta timens;* nam quæ tuta sunt, timebat, inde omnia timebat; quia nihil amore suspicacius: externa, *eadem impia fama*, etc. et nota consentanee loqui ad superiora: timor internus respicit præsensionem, quæ item interna: fama externa motus externos, quibus jam classis parabatur.

300. Adhibentur furoris notæ tres; *sævitia, incensio, bacchatio:* affectus isti augentur commiseratione hac, *inops animi:* ex occasione autem verbi *bacchor* quod præcessit, subjungitur comparatio ad explicandum furorem Reginæ: ita enim

298. *Omnia tuta timens.* Non tantum ita ingenium est amantium, ut, quæ obscure cogitari possint, perhorrescant, sed et omnium candidatorum hoc proprium, ut rumorem, fabulam fictam, falsam metuant, de quibus accuratissime Cicero in Miloniana c. 16. *Emm.* — *Eadem fama.* Quæ et Iarbæ nuntiaverat: et ideo *impia*, quia supra, « Fama malum. » — *Furenti.* Aut amanti; aut detulit, ut faceret furentem. *Serv.*

303. *Nocturnusque.* Nocte cele-

Dido furit, ut Thyas, ubi hanc audito Bacchi nomine incitant Orgia Trieterica, in nocturnis sacris Cythæronis.

304. Ut irata; nam qui irati, bi provocant: antevertit ergo Dido consilium Æneæ, qui dixerat se *tentaturum aditus: compellat* vero illum, ut reum: sed cur *tandem*, quum cognito profectionis apparatu statim illa Æneam compellaverit? vere statim irruit; sed parvæ etiam moræ visæ sunt amanti fœminæ tempus longissimum. Expendent hoc, qui amarunt.

305. Ut præsentis orationis argumentum melius complectaris, scias, tria inprimis duobus versibus vitia objici Æneæ, perfidiæ, sceleris, ingratitudinis: perfidum aperte nominat: sceleratum intelligit, quum vocat nefarium: ingratum illis verbis, *tacitusque mea decedere terra.* Deinde per septem versus sequentes probat esse perfidum, sceleratum, ingratum. Hæc prima est pars orationis. Secunda incipit ab eo versu: *Mene fugis,* etc. ac per versus undecim validissimis argumentis conatur expugnare Æneæ animum. Tertia pars continetur reliquo versuum tractu, ubi miri affectus, et quovis argumento fortiores. Hæc generatim dici possunt, tametsi multa obiter inserantur. Expende jam duos primos versus, in quibus nullum verbum absque contumelia. Est hic dissimulatio, quæ semper vitiosa: est confidentia, quæ etiam mala, in eo verbo *sperasti:* est audacia in verbo, *posse;* noluit sceleratum, sed nefarium, quæsita graviore voce; sed ab amante et furente femina quod verbum removeas: notat fugacem, quum ait, *tacitus decedere,* quasi ea non tam profectio, quam fuga sit: demum cum emphasi *mea terra,* quæ te excepit, et a qua in te tot beneficia profecta: est etiam nota imprudentiæ; quasi dicat: non vides, me nolente, non posse te decedere mea Carthagine? Vide quot vitia: ergo tu dissimulator, confidens, audax, nefarius, fugax, ingratus, imprudens. Jacta sunt fundamenta his tot vitiis; sed præcipua, ut initio dixi, tria sunt, quæ objicit, perfidiam, scelus, ingratitudinem.

307. Perfidum vocaverat; probat esse perfidum, qui amorem mutuum, et datam dexteram parum curet. Expende, *Noster amor;* ergo mutuus; ego non opprimo, non debes opprimere. *Data dextera,* quasi dicat, non solum mihi mutuum dedisti amorem, sed etiam dexteram mutui amoris indicem: tu ergo perfidus, et violator fidei, qui hæc negligis. Nota

bratus, unde ipsa sacra *Nyctelia* dicebantur: quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis. — *Cithæron.* Mons est circa Thebas Bœotias, ex quo clamor veluti numinis Bacchas vocabat. *Serv.*

illud, non te amor noster *tenet*: est enim verbum hoc ambiguum, *non te tenet noster amor*, id est, non moraris: itaque quum velit Dido extremum hoc dicere, insinuat illud primum, non ausa affirmare. Pari ambiguitate postea Æneas (affero hoc loco, quia hic melius ad cognoscendam mentem poetæ) respondet; *Hic amor, hæc patria est*: quasi dicat, Italia est meus amor, non tu: itaque quum primum velit dicere, extremum insinuat: nam quis clare dicat, *non te amo*, nisi etiam in aperto furore, et quum jam res geritur petulanter, et furiose?

308. Sceleratum dixerat, quum nefarium vocavit, probat jam esse sceleratum. Scelus enim semper in se involvit crimen homicidii et cædis: sed pro scelere maluit *nefas*, quæsita voce, unice ad augendum crimen: nefas enim involvit crimen in religionem, et ideo atrocius scelere.: tu ergo nefarius; tu sceleratus, quem tenere ipsa nequeo moritura crudeli funere: quod enim majus nefas, quod scelus majus, quam, spreta religione et fide (en nefas), me ad mortem crudeliter compellere? (en scelus.)

309. Tacitum fugacemque dixerat; jam ad hoc tendit, et vult hanc fugam dissuadere, sibi consulens per speciem alienæ utilitatis. Non vides tibi perniciem parari, qui per hyemem, per medios Aquilones, non legens litora, sed altum secans, te ad fugam comparas? tu ergo in te crudelis, non in me tantum; tu pertinax, tu obstinatus. Ait *moliris* signate, ut indicet, quam difficile sit navigare per hyemem, ut ita dissuadeat fugam. Ait *Aquilonibus*, eligens ventum omnium atrocissimum, et in plurali ad augendum metum: ergo, per altum, et cum Aquilonibus, et hiberno tempore non debuisses Trojam petere, etiam si ea floreret staretque incolumis, ut antiquitus ante acceptam cladem fuit; quanto minus aliena arva, ignotas domos? Si enim Trója non adiretur cum tanto periculo, cur Italia?

314. Hactenus hæsit in perfidia, scelere, fuga, cum omni verborum atrocitate: quæ sequuntur, leniora erunt, ut flectat: *Me*, ἐμφατικῶς, quæ te tot beneficiis complexa sum? *fugis*, non exspectans tempus profectionis. Sequuntur obtestationes: *Per lacrymas, per dextram*, lacrymas meas, dextram tuam;

311. *Crudelis*. Etiam in te odio mei: sic Lucanus de Cæsare, «Sævitia est voluisse mori.» — *Arva aliena*. Blande, quasi hæc jam tua sunt. — *Domosque Ignotas*. Ac si diceret: Carthago jam tibi nota est. *Serv*. Vana ingenia, animi leves, qui certa pro incertis relinquunt.

utrumque proprie; nam et lacrymæ feminarum sunt, et vir fortis per dextram adjurandus erat. Id istud etiam amori convenit: nam quid mihi reliquum præter meas lacrymas, præter dextram tuam? his ego te imploro, hac tu me adjuva. Pergit: *Per connubia nostra:* an satis hoc? addit auspicia nuptialia, quæ lætiora, et jucundiora; ideo *per Hymenæos;* et hos *inceptos* cum gravi dolore, quasi dicat: incœptum amorem abrumpis ipso statim initio, quum ille est fortissimus: *si bene quid de te merui*, quasi invita, et nolens beneficia objiciat, *fuit aut tibi quicquam Dulce meum:* velat modestissime rem conjugum, tantum indicata voluptate. Sed quid tandem post tot obtestationes? Illud unum, *Miserere:* quis dubitet illam obtenturam, quod tanto artificio quæsierat, nisi Deus aliquis obstinati viri aures præclusisset! *Domus*, quasi non sui solum, sed totius domus interitus agatur: *labentis;* nam distracto conjugio dissolvi domus debuisset. Concludit hanc partem obsecratoriam illis, *exue, oro, istam mentem, si quis adhuc locus precibus.*

320. Produnt auctores, hos versus pronuntiatos a poeta coram Augusto cum magnis affectibus, ingenti omnium, qui aderant, admiratione. Ergo narrat jam pericula, in quæ conjecta, quod unum Æneam omnibus præposuerit. *Odere me gentes*, plurali numero, quia multi unam oppugnant, et propter unum Æneam *Lybicæ*, magnum quiddam hoc est in Libya habitanti. *Nomadumque tyranni*, majus hoc, quam si dixisset, *Nomades:* est enim tyranni nomen odiosum, et cum quo conjunctum est jus maleficii. *Tyrii infensi sunt*, auget orationem, nam hi conjuncti genere cum Didone: non solum incurri propter te in odium Afrorum, sed in odium meorum. Quid tandem? *pudor exstinctus est propter te unum*: hærebat hoc faucibus; neque verecundia sinebat loqui, sed tandem victa hæc, et prolatum id, quod firmissimum, ad causam: neque vero solum exstinctus pudor secreto est, sed etiam evulgatum est facinus; et exstincta etiam *fama* quovis auro pretiosior, *qua sola sidera adibam*, id est, tollebar in cælum, celebrabarque. Ab hac rerum commemoratione erumpit in illud: *Hospes*, quasi jam non maritus, *cui deseris me* de præsenti; et objicit nomen desertoris, a quo vehementer abhorret animus militaris. Sic Turnus eumdem vocat *desertorem Asiæ* signata quadam contumelia: *moribundam*, mirifica ars! Supra dixerat, *moritura*, cum respectu ad futura, nunc *moribundam* quod gravius; nam et hoc præsentius, et jam in oculis. Quod se-

quitur, dolentissime, *Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat;* quia jam esse vis hospes, et tantum hospes.

325. Hactenus recensuit mala præterita, in quæ incurrit propter Æneam : nunc se accingit ad narranda futura, quæ manent, si deseratur : quid est, quod sine te, et abs te deserta velim vivere? an morer, *dum frater Pygmalion destruat mea mœnia?* Quam esset miserum videre regnum suum eversum, et a fratre! sed vide, ut crescat oratio, *aut captam ducat Getulus Iarbas?* Quanto est acerbius vivam capi, et duci in triumphum!

327. Conatur, ut saltem fugam Æneas differat usque ad procreationem sobolis : nam ita neque capta ab Iarba, neque omnino deserta videbitur, si habeat ab Ænea viro Æneam filium, qui in aula colludat, qui referat patrem *tantum ore :* præclare ore tantum vult similem, non animo, crudelitate, perfidia. Considera adhuc verba duo, *ante fugam;* nunquam enim de hac profectione loquitur, nisi nomine fugæ, aut desertionis. Alterum, non capta aut deserta *viderer;* quasi dicat, essem quidem capta aut deserta, sed non viderer, et hoc mihi satis ad solatium. Ut autem incepit ex abrupto, sic desinit in abruptum. An tu putas, Lector, te inventurum orationem

327. *Saltem. Vel hoc :* est autem sermo tractus a captivis, qui quum frequentius ab hostibus caparentur, dicebant, *Sublatis omnibus, salutem concede :* inde per Synæresin hic natus est sermo; ut in contemptu rerum multarum petituri aliquid *saltem* dicamus; quasi quod negari minime debeat; quum extremum aliquid petitur, inde necessitate additur *saltem*, veluti *salutem*, postremo poscentes, vel *salutem*, si aliter non potest. Dido recte ait *saltem*, quæ se *captam* putat. *Serv.*

328. *Si quis mihi* Bene iterat *mihi :* et secundum jus loquitur : nam ubi non est justum matrimonium, liberi matrem sequuntur. *Serv.* — *Parvulus.* Sumptum credo ex Catullo, qui in Nuptiis Jul. et Mal. « Torquatus volo parvulus Matris e gremio suæ Porrigens teneras manus, Dulce rideat ad patrem Semihiante labello. » — *Luderet. Ludere*, proprie puerorum est; unde et παῖδας Græci ἀπὸ τοῦ παίζειν, a *ludendo*, dici quidam volunt. Juvenal. Sat. V, 138.

329. *Qui te tantum ore referret.* Aut sic dixit, quasi amatrix; aut illud dicit : optarem filium similem vultu, non moribus tuis. *Serv.* — Est et alia lectio, *qui te tamen ore referret :* cui lectioni nonnulli veteres codices adstipulantur. Quæ quidem oratio et ipsa affectus et amoris plena est. Ait enim : « Tametsi summo opere concupiscat filium ex Ænea suscipere; nolle tamen, nisi patri futurus sit similis suo : totaque in eo est, ut ostendat, se regnum, opes, famam, omnia denique posthabuisse, præ uno Ænea, quo si potiri non li-

huic similem? fertur ea lecta Sanctus Augustinus abiisse in lacrymas.

331. In vocula *ille*, emphasis non vulgaris: multa Elisa dixerat, quæ vel lapidem possent, aut ferrum commovere; ille tamen vir fortis hæret in sententia; vide constantiam: non tollit oculos, ne flectatur: audiverat blandam cantilenam amoris; si oculos attolleret, et Didonem videret, pulcherrimamque illam formam, fortassis non potuisset duplici malo obsistere; itaque qui dominari auribus non potuit, oculis vult dominari, neque illam cernere; secum ipse obluctabatur obstinate, ut rem corde tegeret, et vultu alium se ostentaret: nollet, credo, loqui; et fortassis hæc mens poetæ, quum ait, *obnixus*; sed victus est, ut qui homo, ut qui amaverat.

333. Levavit æstum curarum, quas premebat sub corde, respondens pauca: quæ vero illa? Non negabo, accepisse a te tam multa officia, quam multa ipsa enarrare numerando queas: neque in posterum ero immemor, quamdiu vivam. Cur *Regina?* tum ut colligat benevolentiam; tum potius, ut se subtrahat nuptiis, quas Dido modo objecerat, quæ cum Ænea, ut cum conjuge loquebatur; sed ille cum illa, ut cum Regina: atque removens nomen conjugii se pariter subtrahit crimini impietatis: quis enim, conjugem sine impietate deserat? ait Julius Scaliger, qui etiam examinat, cur Æneas se in posterum fore memorem polliceatur: hoc ipso negat, gratiam in præsenti se posse referre, ne cogatur manere; et ideo rejicit in futurum, quod satis esse debet inter cives bene institutos. Sed cur signate, *non me pigebit meminisse?* sic concipe: nulla me pigritia tenebit, quum tua beneficia animo occurrerint: statim enim prompta quadam et alacri recordatione ero, quum nomen tuum audivero: exultabo ad nomen tuum promptissime.

337. Captata Didone, ad causam diluendam descendit, et crimina, quæ objectabantur: primo respondet illis, *sperasti*

ceat, imaginem saltem Æneæ similem assidue contemplari possit.

331. *Ille Jovis.* Confundebatur pudore, utpote qui ingrati, qui fallacis, qui fugitivi infamiam subiret contra institutum suum. Sed solum Jovem sibi ante oculos ponebat, quod efficiebat, ut vir alioquin mitis et humanus, quamvis moveretur officiis Didonis, tamen a proposito non discederet. Recte autem dixit *monitis* potius quam *jussis*: quia non solum imperium eum movebat, sed ea quæ imperabat: quæ ad regnum Italicum acquirendum pertinebant, et ne Carthaginem, suo regno posterisque suis inimicam futuram, foveret. *Donat.*

tacitus decedere mea terra: ergo quæ illa tantum rogando objecerat, hic negando tantum repellit. Nunquam ego tibi matrimonio conjunctus: vel dic, Regina, quando nobis tædæ prælatæ? quando prætentæ? hoc enim signum nuptiarum: ne ergo mihi illa objice, *Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos.* Nunquam ego descendi in pacta conjugii.

340. Ratio efficax ad Didonis animum permovendum. Nemo est exul, qui non prius civitatem suam colat, quam alienam: inde ait, *primum colerem urbem Trojanam?* deinde nemo est, qui non regis sui, boni præsertim, qualis fuit Priamus, memoriam non retineat animo; ideo *et Priami tecta alta manerent:* in quibus obiter elucet ingens quædam magnitudo animi, qua Æneas pro restauranda Regis sui memoria, nihil non subiturus esset; nam qualis quantusque labor, Trojam denuo reædificare?

344. Exspirant hæc pietatem erga miseros victos; et loquitur cum perfectissimo tempore, ut indicet promptitudinem, qua jam omnia peregisset.

345. Confert profectionem suam ad Deos, quod argumentum validissimum: nemo enim juste queri potest, se præ Deo contemni, quum huic semper parendum; ideo *jussere.*

347. Perinde ac si dicat; hic amor, ubi est patria: hæc autem est Italia ex divino monitu; ibi ergo esse amor debet. Sequitur locus a comparatione parium: si te, Phœnissa quum sis, detinet oblectatque urbs, quæ in Libya; cur non vis Trojani tendant in Italiam, verbis illis, *Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra Invidia est?* Scaliger ait animari sententiam, ac si dicat: *non quasi hic nos velis, sed quasi ibi nos nolis.* Sed cur *fas?* hæc vox dicitur de fatis, Diis, Numinibus: ergo *fas est nos quærere regna extera,* erit, fata quoque nos vocant ad regna externa, sicuti te in terram hanc exteram adduxerunt.

351. Sententia est: Anchisæ imago me nocte prima, me nocte extrema in somnis admonet, quin terret turbato vultu: innuit, fatigari se noctem integram paternis monitis.

354. Ascanio meo laboro: pulchre; aufert enim a se ambitionem, quam nefas erat potiorem esse amicitia; et puerum vocat, quasi ille, ut puer, laborare pro se nihil possit, et paterna hæc debeat esse cura: deinde, est contra jus, ne pater filio suo gloriam quærat, illumque regno fraudet, et possessione, quam fata destinant: demum *charum* dicit, affectum jungens. Hactenus profectionem suam rejicit in paternos mo-

nitus, in utilitatem filii; restabat supremum quiddam, et urgentissimum, quod sequitur.

356. Aperte dicit, sibi jussum a Jove, et ab *ipso Jove* cum emphasi; cui quis resistat? et Mercurium fuisse internuntium, qui non nisi ad res magnas mitti soleat; quem qui negligat Æneas? ut sibi credatur, jurat per caput suum, et Didonis; et firmat cum gravi verborum pondere, se vidisse Mercurium, se audivisse. Duæ enim fenestræ potissimum animorum sunt, visus et auditus: itaque nullum passus ludibrium sum in somnis; nam mihi vigilanti visus Mercurius *manifesto lumine;* hausta ejus vox *his auribus*. Hic docti emphasin agnoscant; non pleonasmum cum Servio. In illis quoque *ipse vidi* emphasis est, quasi nolit alterius testimonio niti.

360. Nulla fingi potuit commodior peroratio proposito: tecum viverem jucundissime, sed non sum meus; regunt me fata; quare ne me urge: sunt tui affectus potentissimi ad voluntatem meam movendam, incendendum animum; sed tota vis fatorum resistit.

362. Ita ab illo aversa erat, ut in omnem partem oculos ageret; illumque identidem sæpe totum lustraret, vix credens illum esse Æneam, quem pium, quem mitem putaverat. Ait *jamdudum*, quia ab orationis initio aversa fuit, ut primum vidit parari excusationem, neque velle illum suis monitis acquiescere: *huc illuc volvens oculos*, ut quæ sui impos: *pererrat*, perfectius, quam errat, quia *totum*, et quia sæpe: *tacitis luminibus*, est hypallage, pro, ipsa tacita perlustrat, sed attribuit oculis affectum, ut qui indices sint animorum: *precatur*, quia sequens oratio, qua nihil dici potest truculentius, tota ad diras tendit et imprecationes, quas Æneæ contingere jam nunc vult, jam nunc precatur.

365. O perfide! nec te Venus genuit; qui enim Dea amorum, et fœderum conjugalium generasset immitem, et perfidum? nec tui generis auctor est illustris ille, et multis nominibus celebratus Dardanus; nam proles similis patri est, non tu illi. Igitur pro Dardano tibi pater est Caucasus, mons Scythiæ; pro matre Hyrcanæ tigres: ille horrens cautibus suam in te

357. *Utrumque caput*. Aut meum et tuum; aut Jovis et Mercurii, ut Donatus et Scalig. Poet. III, 37: aut Anchisæ et Ascanii: alii volunt Æneæ et Ascanii: sed priorem sensum prætuli. Capiti divinitatem tribuit consensus hominum: itaque per hoc jurabant, ut Græci; et sternutantes salutabant; et in fide facienda annuebant.

transfudit duritiem; tigres, ferino lacte sævitiam docuerunt. Ergo, tu nec Dea natus es, sed ne Dardano quidem genitus; quod facilius esse potuit: atqui hæc est illa Dido, quæ dixerat, *Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum*, idque validis argumentis firmaverat! ubi nunc sunt magnificæ illæ laudes, et dulcia verba quibus blandiebatur: « Tune ille « Æneas, quem Dardanio Anchisæ alma Venus genuit? »

368. Posset quispiam Didoni objicere; cur Æneam dicis cautibus genitum? cur Caucaso? cur nutritum tigribus? cur perfidum? cave, Dido, hominem laceres: flectetur, homo est: huic objectioni videtur illa respondere: nam cur hoc non dicam? cur dissimulem dolorem meum? ferreus est, non homo; nunquam flectetur, nihil ab eo possum sperare; nolo me ad majores preces reservare: novi jam hominem; durus est; nihil faciet.

369. Probat a signis Æneæ ferocitatem, et illam Caucaseam et ferinam naturam: genitus est Caucaso; lactatus tigribus; nam ego flevi; ille ne ingemuit quidem; non flexit oculos, ut est ferreus: non lacrymas, ut immanis: non est tactus misericordia erga amantem: in istis crebræ, et abruptæ, et breves sententiæ iratum animum indicant. Omnia explet Virgilius, percurrens omnia humanitatis loca, quibus Æneas caruit: tantum eget lectore attento. Illa: *num lacrymas victus dedit*, possunt habere sententiam duplicem; vel, nec victus est meis rationibus, nec flevit: hoc verius, et certius: vel, victus quidem est meis rationibus; non flevit tamen: hoc sævius, et immanius.

371. Ἀπορητικὸς λόγος ad sævitiam Æneæ explicandam: ergo ita magnum est, *non gemuisse illum; non flexisse oculos; non lacrymas dedisse; non miseratum*, ut quæ quibus præferam, ignorem: mala ipsa paria sunt, ordinationeque comparationis æquantur. Pergit: *jam jam nec maxima Juno*, etc. Quibus exsaturata in Æneam, Deos quoque incusat, qui nullam gerere rerum curam videantur, nec mortalium facta aspicere. Putat Hortensius dirigi hoc ad vindictam: ac si diceret Dido: obtestor Jovem, et Junonem, ut isti aliquando æquis oculis aspiciant, et ingratitudinem tuam ulciscantur sua æquitate. Non placet: imo hæc est sententia: uterque debuisset res

371. *Quæ quibus anteferam*. Amphibologia est: quid prius, quid posterius dicam? quod fieri solet, ubi omnia et paria, et magna sunt: sane *anteferam*, non est dividendum, ut *præferam*. Serv.

meas aspicere; Juno, ut cui sacra Carthago; Juppiter, ut qui pater; et uterque quia conjugiis præest. Sed cur epithetum *Saturnius* in hac couquestione? cum relatione, ait Scaliger, ad Saturni incommoda, quod astrum pestilens, et omni majus fortuna mala: ergo, Juppiter, non quicumque, sed *Saturnius*, id est, nocens, aspicit hæc oculis iniquis: idem Servius admonet. (Vide infra notam.)

373. Transit deinde ad querelas, et cum Ænea expostulat de ingrato animo. Incipit, *nusquam tuta fides:* non tutum est, quemquam in fidem recipere, aut de quoquam bene mereri; pro fide enim invenies perfidiam. Pergit ad beneficia exprobranda: hæc quinque sunt: *excepi illum ejectum litore; excepi egentem; locavi in parte regni; amissam classem reduxi; et socios a morte.* Expende singula: *excepi ejectum litore*, ut vere naufragum; nam naufragi dicuntur ejecti: *excepi egentem*, quia oppressum inopia sublevavi: *locavi in parte regni*, contra omnem humanum morem, ait Scaliger; ideo *demens*, nam regnum non duos capit: *reduxi classem amissam*, ad quam rem necessarii magni sumptus: *reduxi socios a morte.* Hic non solum objicit privata beneficia, sed etiam communia sociorum, quia Æneas non privatus homo est: igitur reponere mihi gratiam debes propter socios, quia tu eorum Rex.

376. Præclare oblocutura in Deos, furoris excusationem præfatur. Quid vero in Deos? Quum non habeat, unde possit horum auctoritatem refellere, deludit argumenta risu tantum, secuta Dido sectam Epicureorum, qui dicebant, Deos non curare hæc inferiora. Ideo, *Scilicet is superis labor est; ea cura quietos Sollicitat.* In quo versu, ut vides, exiles et tenues vocales dominantur confertim: magna quidem res erat, *Nun-*

372. *Nec Saturnius.* Ut supra dictum est, ubicunque infestos vult ostendere, vel Junonem, vel Jovem, *Saturnios* appellat: ut, « Veterisque memor Saturnia belli »; et, « Saturnique altera proles Irarum tantos volvit sub pectore fluctus »; et Jovem ideo *Saturnium* modo appellat, quia Æneam a Carthagine præcipit abscedere.

375. *Amissam classem.* Subaudis, *renovavi.* — Quasi contra me feci; nam sine illa navigare non posset. — *Amissam.* Hoc satis fuit vati: poeta aliquis vulgaris laxasset hic habenas, et diceret; refeci classem, qua me desereres; et multa in hunc modum. Parcius Noster: hoc enim cogitandum reliquit, nam et dolor illud supprimebat. Sic Jul. Scalig. Quibus verbis Ovidium tacite reprehendit, apud quem Phyllis: « Ah, laceras etiam puppes furiosa refeci, Ut qua desererer, firma carina foret. » *Cerda.*

377. *Nunc.* Quasi dicat, nunc

tius ab Jove missus, Apollo Grynæus, sortes Lyciæ. Hæc ut extenuet, tot confertæ vocales exiles: vidit hoc Julius Scaliger: inde etiam frequentes dactylici, qui versum extenuent: *neque te teneo, neque dicta refello:* non ausa scilicet contra Deos loqui.

381. Desperat jam; contemnit; abjicit: abi, ingrate, perfide, nefarie: sequere Italiam, sed ventis, o imprudens: pete regna, sed per undas, o amens: quæ tua imprudentia, quæ amentia, ut Italiam sequi, et regna velis, per ventos, per undas, ipse toties ventorum, et undarum iracundiam expertus? Est etiam aliud, quod expendas: spes tua similis est vento, similis est fluxæ et labili undæ: quæ ergo illa? cum his conveniunt verba *sequere* et *pete:* perinde: sequeris quidem, nunquam assequeris: petes, nunquam tenebis.

382. Jam dire ominatur; et sperat fore ut in media navigatione pereat: sed cur potius sperat, quam credit, aut putat? *spero;* nam hæc me spes alit, et recreat in malis. Quid vero sperat? primum *hausurum te supplicia in scopulis.* Præclare; nam vere supplicium hauriet, qui in undis peribit: simul et undas et mortem hauriet: deinde sperat *nomine Dido sæpe vocaturum;* vocabis me tum, quum in undis pereas, meo nomine: o Dido, tu me enecas, tu me perdis! vel potius tibi naufraganti me auxiliatricem, ut modo, invocabis; et tunc vicissim memor ingratæ mentis, nedum succurram, *sequar atris ignibus absens:* nam tu ipse imaginaberis me absentem; et te facibus ardentibus armata præsensque persequar: placet hæc mens Donati: varie interpretes; utcumque sit, non capiam de mortua Didone, quum statim sequatur, *Et quum frigida mors,* etc. Ergo ait, vocabis me, et tunc putabis errore mentis, me tibi occurrere cum facibus, ac te agitare, ut solent furiæ nocentes homines: hactenus dixit, quid putaturus sit Æneas per errorem: sequitur deinde, quid vere accidat. Servavi ad exitum parenthesin, *si quid pia numina possunt:* atqui tu, Dido, riseras Deorum curas erga mortales? Nulla solutio, nisi inconstantia amoris, variusque juxta illum affectus animi; vel illa divinæ justitiæ opinio mentibus humanis ingenita.

385. Loquitur ex doctrina veterum, qua putabant animas

quum vult abire: sed cur non antea, quum opera mea egeret? *Don.* — *Nunc Jove missus ab ipso.* Sicut supra *ab ipso magno:* et bene *nunc* sæpius posuit ad irrisionem, quasi nunc de te curant, qui ante periclitanti non curaverunt subvenire. Hæc irrisionis species *mimesis* vocatur, qua Dido ipsius Æneæ verba ad contemptum repetit et exprobrat

injuste occisorum redire, et homicidas suos vexare: ergo tibi post mortem meam occurram, vexabo, agitabo: aderit tibi passim umbra mea cum terrore. In illis *mors seduxerit artus anima*, est hypallage; nam anima vere seducitur et separatur. Illa, *dabis improbe pœnas,* habent causam, et effectum: dabis pœnas, quia improbus.

387. Quæret quispiam, qui audiet? qui fama veniet? nonne ipsa visura? dixerat enim, *omnibus umbra locis adero:* referendum hoc ad distinctionem illam, quam veteres agnoscebant dividentes mortuum in cadaver, quod latet sub terra: animam, quæ adibat Manes; umbram, imaginem, simulacrum, quod vel cadaver, vel animam comitabatur; vel ab utroque separabatur.

388. Vide quam perturbate et tragice omnia fiant. Dido subito sermonem abrumpit; Æneas in æstu cogitationum manet: Dido fugit, et quamvis ægra, tamen potis est gressus movere ad fugam, suppeditante vires ipso calore iracundiæ: ut tamen ablata est ab oculis, tum deficit, collabitur, exanimatur: a famulis suscipitur, reponitur in stratis: hæc omnis tragœdia puncto fit temporis. Vide vero quam acris oratio Didonis; qui virum fortem Æneam in metum adduxerit, cunctabundumque reddiderit: ille enim præ metu cunctabatur respondere, neque dum poterat.

393. Quamvis Æneas voluerit dolentem animum Didonis lenire, et ejus curas avertere, ut qui pius, dolens quoque ipse (nam hoc est, *multa gemens*) et pari cura occupatus (nam hoc est, *labefactus animum amore magno*); non idcirco tamen intermittit Deorum mandata; imo exsequitur, et classem sæpe invisit (hoc enim est, *revisit*), ut excitet ad profectionem, acuatque milites ad diligentiam. Itaque, qui blande quoque amabat, ut homo, tamen prompte parebat, ut vir: poeta enim eosdem affectus tribuit Æneæ, quos Didoni: dolebat illa, hic gemebat: illa curis premebatur, hic habebat animum labefactum magno amore: sed vir erat, et sibi imperabat, et ideo quamvis ipse quoque duplici affectu occupatus, eosdem tamen volebat a Regina avertere.

397. Tum vero Trojani naviter incumbunt, ut ad præsen-

393. *At pius Æneas.* Ordo est: at pius Æneas jussa divum exequitur: bene autem excusat Æneam, *pium* dicendo, quum ei et gemitus dat, et ostendit solatia dolenti velle præstare; et probat religiosum, quum deorum præceptis paret. *S.* — Cura amantium *dolor* vocatur.

tiam sui ducis, qui urgebat, qui revisebat. Sed in quo apparet incumbentium studium? audi; *deducunt ex toto litore in mare celsas naves; natat uncta carina:* unctæ fuerant naves in sicco litore; jam deductæ, expeditæ sunt, et natant. Itaque non exspectant, ut naves in sicco reficiantur, sed fugiendi studio ferunt ramos adhuc *frondentes*, et robora adhuc *infabricata*, ut in ipsis aquis aptentur trabes, quibus classis queat refici ad navigandum.

401. Non satis *migrare*, additum *ruere* ad majorem celeritatem: videor cernere sedulitatem illam nautarum, qua confluunt undique ad naves, quum soluturæ: et epibatarum, ne illæ abeant, se relictis.

402. Sequitur comparatio ad explicandum studium euntium ad naves. Magnis rebus sæpe formicæ documento fuerunt: sic nunc etiam docent sedulitatem nauticam: in tota comparatione elucet tum diligentia formicarum, tum labor, ut illa quadret negotio: vide enim qua diligentia eant, redeant, populentur, reponant, cogant, castigent, in fervore sint: vide quo labore eat agmen, ut convectent prædam, et calle angusto, ut trudant frumenta grandia, ut obnitantur humeris. Hæc si examines, advoca Græciam totam cum suo principe Homero, et videbis cum his non posse conferri totam Iliadem, totam Odysseam!

408. Quæ tua mens, o Dido? qui animus? qui sensus? qui gemitus? quum videres concursantes ad naves, clamantes ad litora? nihil aptius dici potuit ad repræsentandum vivum dolorem Reginæ: expendat, qui amavit. Hinc, credo, toties repetita poetæ verba unius sensus: *cernenti*, *prospiceres*, *videres*, *ante oculos*.

412. Hic locus ex superiore ortus: considerata enim infelicitate Didonis, quæ tota est ab amore pertinaciter insistente, in ipsum amorem indignabundus convertitur: atque adeo hæc posterior apostrophe indignationis respondet priori, quæ tota fuit commiserationis.

413. Merito poeta admiratur vim amoris: illa Dido, quæ amens furore in omnem linguæ intemperantiam soluta fuerat, quæ nulli contumeliæ pepercerat, quæ a se repulerat, *i, sequere Italiam;* illa nunc iterum it in lacrymas, tentat, preca-

402. *Farris*. Solum nomen est quod *r* geminet in genitivo. Monadicon est ergo, sicut *Sol*: item cor, cordis, solum in *dis* mittit genitivum: item *s* geminat *as*, *assis*: et hæc carent exemplis. *Serv.*

tur, supplex est. Quis dubitet hinc amoris naturam melius intelligi, quam ex integris voluminibus philosophorum? Quæ prius superbissima fuerat, ea nunc *cogitur:* ad quam vocem sic Julius Scaliger. *Mirum verbum! liber enim nullus amans est, neque suus, sed sibi alienus.* Ad quam vero rem? ad lacrymas? quas Asclepiades libro VII, Epig. præclare vocat amantium imbrem; deinde ad novas preces: tertio est *supplex*, ubi Scaliger ait esse odiosum verbum; sed nullam indignitatem perpendit, qui amat; demum, *summittit* animum amori, quia negligit suum decorum.

415. Causa, cur tentet iterum; cur det lacrymas; cur summissa; cur supplex.

416. Signa quinque instantis fugæ; videlicet, properatio per litus; conventus ex locis pluribus in unum; expansio velorum ad excipiendos ventos; lætitia nantarum; coronæ jam in puppibus.

419. Si tantum dolorem, quem nunc patior, sperare potui, potero etiam perferre: quo insinuat, non posse se perferre, quia id non potuit sperare. Dicit *potui:* nam quis crederet, posse aliquando contingere, nt Æneas tot meritis ornatus, fugeret? Ergo hoc nequivit sperare: nam mala quoque speramus. Sequitur, *miseræ hoc tamen unum exsequere, Anna, mihi:* esto, possim perferre, vel non possim; tu tamen, Anna, hoc unum, nihil aliud, pro me exsequere. Recte enim suspicatur Germanus, Didonem aggredi sororem hoc axiomate, quo consilium suum dissimulet, eamque celet, seque in omnem eventum paratam esse illi persuadeat. In voce *miseræ* nota est forma infelicium amantium. Sequitur ratio, cur rem hanc credat sorori: nam ille, inquit, perfidus te solam colebat; tibi mentem intimam credebat; tu sciebas, quando esset opportune conveniendus.

424. Huc destinatæ tot ambages, quibus aggressa est sororem; et magno orationis circuitu hoc tantum quæsitum. Properant; conveniunt; expansa sunt vela; læti sunt; coronas imposuerunt: si potuissem perferre hunc dolorem, non possum: si credidissem, non credideram: te colebat, tibi se credebat, aditus faciles et opportunos noras: ergo, I, affare. Opponuntur *supplex*, et *superbus*, qua antithesi insinuari a

416. *Anna.* Prope invidiose, quia ipsa nuptias suas suaserat. — *Vides.* Quasi diceret; ipsa tibi credidi; et est major vis adfirmantis, quum dicit *vides;* petitio autem hæc etiam deliberationis modum a quibusdam putatur tenere. — *Circum* est adverbium loci. *Serv.*

poeta adversus superbos et duros homines utendum esse omni animi demissione Nascimb. monuit.

425. Non hostis fui, non impia: hostis, quia nunquam inii consilium cum Græcis de evertenda Troja: impia, quia non revelli cineres Anchisæ: cur ergo meis precibus duras aures occludit? patiatur illas demitti in aures et influere. Præscribit his sorori petitionis modum. *Quo ruit?* quasi amens et præceps; nihil hujus maris considerata natura. *Extremum hoc miseræ det munus amanti:* quæ extrema petuntur, impetrari solent: det ergo extremum hoc: cui? *amanti*, quod efficax: *miseræ*, quod efficacissimum. Si vero obstinatus nihil curat me amantem miseram, sibi saltem consulat; exspectet tempus mitius ad fugam; exspectet ventos; ut fuga sit facilis, venti ferant.

431. Præclare ad movendum animum; nam comparatione rerum, quas non petit, declarat concessu esse facile, quod vult: ergo, nec quæro conjugium, nec ut careat Latio: conjugium; nam jam ipse illud prodidit; nunquam illa loquitur de Ænea, nisi ut de proditore, desertore, fugace: non, ut Latio careat, nam hoc pulchrum, beatumque, ac felix regnum: ideo vero hæc duo non peto; nam meus amor totus in illius commodum destinatur.

433. Hæc summa petitionis, et quo tota oratio destinatur; ad hanc rem præmissæ tot ambages. Ergo, *peto tempus*, et hoc *inane;* nam illud erit exigui commodi, quum caritura sim voluptate matrimonii: *peto requiem spatiumque*, non amoribus, non blanditiis, sed *furori* meo mitigando.

434. Versus scriptus magno judicio. Tantum volo, ut meus amor desinat esse furor, et transeat in dolorem, quæ res le-

426. *Aulide juravi. Aulis* portus est Bœotiæ, in quo conjurarunt Græci, se non ante reversuros ad patriam, quam Troja caperetur. *Aulide*, aut in *Aulide*, aut pro *Aulidi*. Serv.

427. *Anchisæ cineres manesve revelli.* Ad hoc quod dicitur ex oraculo fecisse Diomedes, et secum ejus ossa portasse; quæ postea reddidit Æneæ, quum multa adversa perferret. Sepulcra non violanda esse, nec cineres dissipandos docet Turn. XIV, 21.

431. *Antiquum.* Aut primum; aut carum, ut *nihil antiquius habuit*, dicimus; aut antiquatum et irritum. *Serv.*

433. *Tempus inane peto.* Id est, sine matrimonio, sine officio coeundi; nam sine beneficio, non procedit, quum spatium petat et requiem. Aut quasi non magnam rem: vel quo vacuus et otiosus est, quum illi tempus *inane* est. — *Requiem spatiumque furori;* ut possim habere spatium, quo amori finem imponam. *Serv.*

nior, et toleratu facilior: hoc est enim; fortuna mea docebit dolere me victam: solet enim primo impetu esse furor, qui postea consuetudine fit dolor.

435. Epilogus plenus affectuum: oro te, o soror, ut ab Ænea mihi hanc impetres extremam gratiam, hoc beneficium moræ longioris; quod mihi quum ille concesserit, remittam eum, sinam abire expletum etiam morte mea; id est, mortem meam quasi *cumulum* votis illius adjiciam, siquidem non *tenet* fugientem *moritura crudeli funere* Dido, 308; nec ille *misereatur domus labentis*, 319; et *moribundam deserat hospes*, 324: non aliter loqui consueverunt *miseri*, qui perfidis amatoribus conferre morte sua *extremum munus* existimant: ita Ecl. VIII, 59: *in undas præceps deferar: extremum hoc munus morientis habeto.*

437. Non hic capienda mutua vicissitudo ad Æneam, et contra; ita ut sicut Didonis fletus ad Æneam perferebantur, sic hujus ad illam. Non hoc dicit; sed fertque refertque Anna sæpissime eosdem fletus Didonis ad Æneam, qui tamen omnia respuit; tractari se non sinit; nam virum fortem frustra fletibus aggrediaris: ratione vincendus. Vide, cur nihil moveatur; *Fata obstant*, etc. Dictum hoc ad excusationem Æneæ, mitissimi quidem et sapientissimi: quid enim hic faceret fatis obstantibus? placidæ illi aures, sed quas Deus obstruebat. Sed cur Anna *miserrima?* quia in ejus nunc caput redundat consilium, quod dederat sorori de retinendo Ænea, de contrahendis nuptiis; videt nihil omnino factum, inanes fuisse spes illas, quas magnas conceperat.

441. Sententia integra est: quemadmodum Boreæ Alpini certant flatibus hinc inde annosam quercum eruere, neque tamen proficiunt; nam illa hæret firmis radicibus, tantum frondes decutiuntur: sic Dido et Anna suis lacrymis et vocibus Æneam obtundunt; sed hic firmo est animo; et sororum inanes lacrymæ volvuntur. Explico quædam, quæ necessaria sunt: *valido robore* ad quercum pertinet, non ad ventos: itaque non dicit; venti, quibus robur validum, certant in quercum: imo, venti, certant in quercum, cui robur validum. Hoc liquidum puto ex dispositione verborum ista, *annosam valido ro-*

436. *Quam mihi quum dederit, cumulatam morte remittam.* Sic legendum censeo: hic locus intricatissimus, quem omnes variis conjecturis vexaverunt interpretes: de illo vide notas et varias Lect. tom. II, pag. 523, et seq. Cerdæ explicationem rejeci.

bore quercum. Sed cur *Boreæ* in plurali? quia geminæ sorores unum oppugnant. Cur *eruere*? non evertere, aut frangere? quia conabantur sorores, ut Æneas non solum ad tempus mutaretur; sed ita, ut nunquam iterum mentem abeundi concipere posset. *It stridor,* scilicet agitatione arboris, ramorum, frondium; *et alte Consternunt terram concusso stipite frondes.* Causa et effectus a concussione stipitis substratio frondium : et *alte consternunt,* id est, copiose implent terram ad flatus ventorum frondes. *Ipsa hæret scopulis,* etc. Sunt hic signatæ voces cum duplici oppositione verticis, et radicis; cæli, et tartari : ut vertice tendit ad cælum, ita radice ad tartara : expende amplius; ut vertice tendit non ad auras, sed *ad auras ætherias,* id est, cælum : ita radice, non ad infernum, sed *ad tartarum,* quæ pars inferno profundior : et quia *auras* in plurali, ideo etiam *tartara :* et nota mediam vocem *tendit* quæsitam opportune, quæ quadret ascensui et descensui.

447. Accommodat comparationem negotio; quia *tunditur, sentit curas;* et quia *assidue tunditur,* non sentit, sed *persentit :* sed vere heros est, qui nullis movetur, tametsi curas persentiat; ut qui homo, ut qui amaverat. Et quia *Heros,* ideo, *mens immota manet,* ut quercus hæret scopulis : *lacrymæ volvuntur,* ut flatus et stridor ventorum frustra quercum oppugnant; atque ita illæ sororum lacrymæ cadunt *inanes,* et nihil profuturæ.

450. Causa, et effectus : desperans enim ex terrore fatorum sibi imminentium *orat mortem.* Inde odit, quæ vitam sequuntur; nec vult tueri convexa cæli; vere cælum ipsum, et cæli claritatem; sed placuit poetæ locutio illa de convexitate.

452. Hanc voluntatem moriendi ostenta sex adjuvant : primum ostentum : puri latices aquæ, lactis, vini, subito per sa-

442. *Alpini Boreæ.* Flantes de Alpibus, quæ Gallorum lingua, *alti montes* vocantur. Et speciem pro genere posuit : nam *Alpinum Boream* pro quocumque vento dixit, vel quia potentiores montani sunt venti. — *Nunc hinc, nunc flatibus illinc;* sicut Æneas ab Anna et Didone. *Serv.*

445. *Hæret scopulis.* Sicut ille in consilio perseverat. — *Tantum radice in Tartara.* Secundum physicos, qui dicunt parem esse altitudinem radicum et arborum. *Serv.*

451. *Tædet cæli convexa tueri.* Id est, vitæ pertæsum est. Vide Scalig. III, 19; et IV, 23. Porro annotant Grammatici quidam, *convexum cæli* cerni non posse, sed ejus concavum; ac proinde *convexa* pro concavis dixisse poetam; quum sit *convexum,* curvum cavo oppositum. Sed *convexum* cavum esse retur Turnebus.

crificium in colorem nigrum mutantur; explicatius, vini in cruorem conversio obscena, id est, funesti ominis. Hoc nulli indicavit; neque *sorori ipsi*, ἐμφατικῶς, cui alia omnia solebat.

457. Alterum ostentum : habebat in ædibus sepulcrum Sichæi, sic explica templum, cum magno cultu vittarum, et frondium : hinc in silentio noctis, quod facit ad terrorem, auditæ sunt voces, quibus Sichæus conjugem vocavit.

462. Tertium de bubone; vide vero, ut res sit composita ad magnum terrorem : non audiebatur bubo, sed querebatur, quod tristius : et *sæpe*, nam querelæ iteratæ; et *ferali carmine*, quod est mortuorum : hæ vero querelæ verius erant *voces*, quæ miseram Reginam ad fatum vocabant : hæ *longæ* ducebantur, et cum *fletu*. Quid non his horridum et triste capis?

464. Sequuntur quartum, quintum, et sextum prodigium. Horrificant illam, id est, implent horrore, quæ prius vates dixerant : quum enim omnia secum repeteret, quæ audierat a vatibus, trahebat omnia in suam perniciem. Æneas etiam, qui placidus natura, ac vere pius, visus in somnis; apparet illi esse ferus sævusque, agens turbansque furentem dolore, et amore. Demum solitudo illam terret, quam sibi ipsa fingit.

469. Furentem Didonem comparat præclare cum Pentheo primum, cujus furiæ notissimæ : hic Furiarum agminibus agitatus putabat se videre Solem duplicem, et Thebas duplices : deinde cum Oreste, qui ob interfectam matrem vexatus quo-

454. *Horrendum dictu.* Quanto magis visu, quod Didoni contigit. *Serv.* — *Hoc visum nulli.* Hoc quod viderat, nulli dixit. Quid est *nulli?* ne sorori quidem, cui fuerat de amore confessa : et forte iden sororem celavit, ne et ipsa se perimeret; post queritur : « Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset. » *Serv.*

460. *Hinc exaudiri voces.* Simile Cæcinæ accidisse narrat Tacit. Ann. lib. I; his verbis : « Ducem terruit dira quies; nam Quintilium Varum, sanguine oblitum, et paludibus emersum cernere et audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, et manum intendentis repulisse. » Ovid. de eadem Didone : « Hinc ego me sensi noto quater ore citari : Ipse sono tenui dixit, Elissa veni. » *Cerda.*

466. *In somnis ferus Æneas.* Non est epithetum *ferus*, sed phantasia : talem enim illum imaginabatur, qualem timebat. — *Semperque relinqui.* Per omnes noctes navigare videbatur Æneas, quasi eam semper relinqueret. — *Incomitata.* Quod ferale et mortiferum omnibus; et præcipue regibus, qui nunquam soli sunt. — *Tyrios deserta quærere terra.* Bona affectio; solent enim qui deficiunt, suos desiderare, ut dulcius moriantur. *Serv.* Sic per somnia laborant ægri.

que a Furiis est, et ab matre ipsa, quæ in ejus os incurrebat sæpe cum facibus et serpentibus : qua re nihil agitatius in scenis Tragicorum. (Vide notas et Var. lect. tom. II, pag. 528.)

474. Ætiologia, quia dolore victa, ideo decernit mori; et quidem multi in contemptu amoris sibi mortem adtulerunt : docent historiæ, et plures fabulæ Ovidianæ. Quo vero auferat omnem suspicionem, ipsa prius secum, post multas agitationes, exacte constituit quo tempore, et quo mortis genere deberet vitam finire. In verbo *aggredi* indicatur conatus quidam ad rem magnam : sic sæpe verbum *aggredi* usurpant auctores.

478. Quasi nemini alii, nisi germanæ, esset dictura, cum nemine communicatura. Ergo, tibi aperio, nemini alii; *viam inveni*, locus docilitatis; *quæ mihi reddat*, restituat *eum*, non nominat; velut notum, velut fastidiens : vel *solvat me illo*, quasi parata ad utramque fortunam, neque hoc pro illo eligens, ut sic melius sororem decipiat : *gratare* mihi, gratulare; a gratulatione incipit, ut melius consilium dissimulet.

480. Narrationem suam Dido variis circumstantiis verisimilem facit, ut a sorore credatur : a loco; a persona; a natione; a dignitate; ab officio; a professione magæ. Scio, inquit, locum, ubi habitant ultimi Æthiopes, qui locus situs juxta Oceanum, ad occasum Solis, ubi est Atlas ille cælum fulciens. Cur tot notæ ad locum indicandum? ut credat soror : aliter non ita otiosus esset poeta.

483. Transit ad personam, nationem, dignitatem, officium : hic, inquit, indicatum mihi est, esse magam, en persona : eaque ex gente Massylorum, en natio : ea præposita est templo Hesperidum ad servanda poma aurea, en dignitas : habet ibi maga hæc draconem sibi obedientem ad custodiam auri, cui dat fruges papaveraceas, quibus mel admistum, en officium.

487. Restat professio : promittit hæc, se solvere curas amoris, quibus velit; aliis immittere, quibus item velit. Itaque

474. *Concepit Furias.* Furore completa est, et quidam *furorem* pro bono et innocenti motu accipiunt; *furias* semper pro malo. *S.*

477. *Consilium.* Propositum sibi necem consciscendi, ita vultus tegit, ut non prodat, quod animus molitur; immo etiam spes adeo serena fronti affulget, ut hilaritate quadam bonos exitus prænunciet : Dido non suæ fortunæ vultum gerit.

483. *Hinc mihi Massylæ gentis*, etc. Recte juxta Oceani fines : erroris convincit Servium hoc in loco Salmas. Plin. exerc. p. 373. *Em.* — Vide Excursum IV, tom. II, p. 564, de templo Hesperidum.

487. *Hæc se carminibus.* Id est, magicis vocibus. — *Solvere.* Cura

illa pro libidine hunc solvit ab amore; illum ad amandum cogit. Occasione amoris, quæ mens præcipua, persequitur quædam, quæ pertinent ad potestatem magarum; atque ea attribuit huic uni magæ: sistit illa aquam fluviorum; facit ut retro redeant sidera; commovet animas æterna nocte conditas, aliquis possit etiam capere Deos ipsos inferorum; quas dum commovet, terra immugit, orni descendunt e divulsis montibus. Itaque duplex signum commotionis Manium; nam et solum mugit; deinde ita concusso solo orni præcipitantur.

492. Excusat se a necessitate, ut quæ non ex animi sui sententia Magicas artes aggrediatur, sed quia aliter nequeat amoris malo occurrere; atque adeo invita accingitur ad eas artes: testatur vero principe loco Deos; deinde ipsam Annam, quæ sibi carissima.

494. Ubi jam animadvertit factam sibi fidem a sorore de maga, jubet fieri quæ sequuntur. *Tu secreta* ab aliis *pyram erige* futuro sacro, tum *sub auras*, tum *tecto interiore*, quod pertinet ad cautionem: super pyram impone *viri arma;* noluit nominare Æneam ex odio jam insito; *quæ impius reliquit fixa thalamo;* an quia gladium furenti reliquit, ideo impius? an quia reliquit Reginam in medio furoris æstu, omnis ipse humanitatis et pietatis expers? Impone etiam *exuvias omnes* Æneæ, ut vestes; tum *lectum jugalem,* id est, conjugii; *quo perii,* causa

liberare; amore liberare. Contrarium est *devovere, defigere, ligare,* quia, qui amoribus impliciti erant, quasi nodo Veneris ligati videbantur. Salmas. exerc. Plin. p. 1089.

489. *Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro.* Quanto magis poterit Æneam ab incepto revocare? vel in amorem immittere, aut mihi auferre? *Serv.*

492. *Testor, cara, deos.* Obtestatio, quæ insinuationem habet a necessitate; et respexit poeta ad morem Romanorum, qui quum multa sacra susciperent, *magica* semper damnarunt. *Taubm.* — *Accingier.* Præparari. *Accingier* autem, ut ad infinitum modum *er* addatur, ratio efficit metri: nam quum in eo ultima sit longa, addita *er* syllaba brevis fit; ut hic et in reliquis. *Serv.*

496. *Impius.* Qui gladium reliquit furenti: hoc autem tractum est de Homero, qui dicit gladium Ajaci datum ab Hectore, et Hectori ab Ajace balteum, quæ eis exitio fuerunt: nam alter tractus est balteo; alter se donato telo interemit. *Serv.* — *Impius.* Antonomasia, pro Ænea: qui alias *pius* audiebat. — *Lectumque jugalem.* Eleganter etiam in morte, perseverat in amore, et, qualenus potest, Æneæ, vel absenti, se conjungit, si uno igne eum ejus concremetur exuviis. — *Quo perii.* Propter extinctum pudorem. *Serv.*

cur velit hunc aboleri : et qui mirum ipse pereat, quum ego in illo perierim? Ratio cur jusserit superiora, ducta ab imperio magæ; jubet illa aboleri omnia, quæ sunt Æneæ: quare? quia is *nefandus.*

499. Vicinitas vocum *effata silet,* quæsita ex studio, quasi non sui compos Regina, in medio sermone cogeretur silere, dominante impotentissimo doloris affectu : ac statim pallore quodam suffusa est, qui comes silentii, credo, ab imagine futuræ mortis. Viso Didonis pallore, qui velut præsagium, et index ad mortem, non idcirco Anna credit sororem velle per vim cadere specie prætextuque sacrificii. Duplex ratio, cur hoc non crediderit : primo, quia non concipit mente tantos furores; videlicet non concipit mente, quæ sibi integra et sana, furores alienationemque sororis : deinde, si moriente Sichæo non sibi Dido manus intulit, quis crederet id futurum abeunte Ænea? His confisa *jussa parat.*

504. Præcessit sermo ille ad Annam; *Tu secreta pyram tecto interiore sub auras Erige.* Hic itaque *penetrali in sede,* quod ibi *tecto interiore.* Sed ex qua materia erecta est et constructa pyra? ex duplici; *tædis, atque ilice secta :* ex tædis, quæ ex pinu, aut picea, unde tædæ laudatissimæ; atque etiam ex ilice: alii unam materiam assignant, atque explicant, tædis sectis ex ilice: sed non placent.

506. Totum locum pyræ, vere ipsam pyram illigat implicatque coronis variarum arborum, ex more sacrorum, tum imprimis adhibet funeream frondem. Interpretes cupressum, et probe, capiunt, vere verbenas cupressinas. Imponit super pyram exuvias omnes Æneæ; ensem, effigiemque ejus, quia hæc sacerdos, ut Dido ipsa mentita erat, *abolere nefandi cuncta viri monumenta jubet.* Nominat vero torum; nam torus ipse, id est, lectus jugalis, pyræ quoque impositus, et in lecto exuviæ, ensis, effigies : absolvit, *haud ignara futuri :* nemo alius præter ipsam, sciebat, quo destinata hæc sacra : non, ut solveretur amore, aut redderetur amanti, ut mentita fuerat; sed morti suæ, sed devotioni, imprecationique Æneæ: ideo sciens quod futurum, locaverat ibi, quæ absumi vellet ad vim imprecatoriam.

509. Sunt aræ circum pyram, quæ necessariæ ad imprecationes. Aderat sacerdos Massyla effusis crinibus et incomptis ex more: intonabat hæc formidando sono, Deos plurimos,

508. *Effigiemque toro locat.* Imaginem scilicet Æneæ, quia solent magi effigies eorum facere, propter quos carmen instituunt.

quosquos poterat, et suggerebat memoria, interque illos Erebum, Chaos, Hecatem, Dianam.

512. Quum hæc sacra ficta essent, tantum decipiendæ sorori, sparsit Dido aquam, quam dixit esse Averni, quamvis non esset. Deinde quæruntur herbæ, quibus notæ quatuor necessariæ ad sacra illa, ut *messæ essent ad lunam*, ut *ahenis falcibus*, ut *pubentes lanugine*, ut cum *lacte nigri veneni*, id est, quibus esset succus venenosus. Invenit acumen Macrobius; nam lac, quod album, nigrum vocatur.

515. Quæritur etiam caruncula illa, quæ adnascitur in fronte pulli equini, quam vocant Hippomanes, et quam poeta amorem vocat matri præreptum, quia ea caruncula est, quasi philtrum, quo equæ amant pullos suos.

517. Hactenus quid gestum, quid quæsitum a maga : redit jam ad Didonem, cui molam dat in manu; nuditatem unius pedis, qui liber a vinculis; junctionem solutionemque vestis. Hoc habitu testatur Deos; sidera fatorum conscia; numen illud, si quod justum est, atque ita memor, rerum humanarum, ut habeat curæ eos, qui in amore non respondent, id est, meminerit fidelium et perfidorum, atque his pœnas, illis præmia persolvat.

522. Sequitur descriptio noctis et somni amœnissima, quam expendam; nam explicatio facilis, unico tractu. In primis moduli ita sunt dulces, ut quemvis ad somnos incitent, nisi is

511. *Tergeminamque Hecaten.* Quidam *Hecaten* dictam esse traduut, qnod eadem et Diana sit et Proserpina, *ἀπὸ τῶν ἑκατέρων* — *Tria virginis ora.* Iteratio est ejusdem rei, Lunæ, Dianæ, Proserpinæ : et qnum super terras est, creditur esse Luna; quum in terris, Diana; quum snb terris, Proserpina. Quibusdam ideo triplicem placet, quia Luna tres fignras babet, prima tanquam C; sequens tanquam O; tertia tanquam Ɔ. Nounulli eamdem Lucinam, Dianam, Hecaten appellant, ideo quia uni deæ tres adsignant potestates, uascendi; valendi, moriendi; et quidem nascendi Lucinam deam esse dicunt; valendi Dianam; moriendi Hecaten : ob quam triplicem potestatem, triformem eam triplicemque finxerunt, cujns in triviis templa ideo struxerunt. *Serv.*

520. *Si quod non æquo fœdere amantis Curæ numen habet.* Ordo est : Tuuc numen precatnr, si quod curæ habet amantes non æquo fœdere. *Si quod* antem, bene dubitat, ntrum et ita malæ res habeant præpositas potestates. — *Justumque memorque. Justum* ad judicandum, ut expugnetur, qui est caussa discordiæ. *Memor* simul ad vindicandum; et *memor* ideo neutro genere, qnia *numen* dixerit. *Serv.* — Sic tradncitur ille versns in Amoribus Epicis : *Qu'il (Dieu) soit juste et vengeur, voilà ses derniers vœux.* Parseval Grandmaison.

affectu Didonis æstuet: dulcedinem deprehendes ex mira temperatura spondæorum, dactylorumque, quibus poeta auribus subblanditur; itaque neque præcipitantur versus pluribus dactylicis, neque tardantur spondæis: ad hæc, ut plurimum sunt vocales soni tenuioris; grandioris vero ita insertæ, ut non abeant a modulo lenitatis. Sed præcipue in hac descriptione ordo elucet non vulgaris, et dignus quem omnes sciant. Tota descriptio septem versibus continetur; primi tres generales sunt: quatuor reliqui illos explicant: ergo ait; fessa corpora soporem carpunt per terras; sylvæ quiescunt; æquora quiescunt; idque media nocte. Carpunt corpora somnos, quia omnis ager tacet: quiescunt sylvæ, quia, pecudes, volucres, et feræ, quæ agunt in dumetis: quiescunt æquora, quia subinde quæ habitant lacus liquidos: demum in corporibus fessis sunt corda laborum oblita; et ad soporem placidum curæ leniuntur; et ad volutationem cursumque siderum est positio et substratio corporum. Itaque silentium agrorum omnium respondet taciturnitati terrarum: pecudes, et volucres, et feræ, quæ degunt inter dumeta, sylvis; quæ in lacubus, æquoribus: corda oblita, corporibus fessis; lenimen curarum, placiditati somni: verbum *positæ* verbo *volvuntur*. Adi jam descriptiones reliquorum, et præ hac sordere omnes videbuntur.

529. Quod hic verbum? nullum reperias signatum; nam quæ sequuntur invite huc trahas. Igitur oratio præcedentibus verbis fulcitur; mortales fessi somnos carpebant; omnia tacebant, quiescebantque, miseri lenibant curas et corda: Dido interim nullo cæterorum oblectamento perfundebatur; quin suis curis æquabat superabatque aliorum voluptates: vigilans erat, secum sermocinans, præ dolore inquieta, curis lacera, corde exulcerata: et, ut bene ait Scaliger, Elissæ curas affert nox, quæ aliis somnum. Addit, *Curæ ingeminant, rursusque.* etc. vide quot affectus in una Elissa, cura, sævitia, ira, fluctus, æstus: et sunt hæ causæ superiorum: ideo non solvitur in somnos, non accipit noctem, quia curæ se ingeminant, quia amor rursus sævit, et fluctuat æstu irarum.

533. Comparat se poeta hoc versu ad explicandum, uti Elissa eruperit in querelas, dum alii omnes tacent somno oppressi, videlicet non capiens tot sævientis amoris et irarum fluctus; ergo, insistit inhæretque plurimum eidem cogitationi, et sæpe rem eamdem secum volvit.

534. Dicam in hoc initio de tota oratione, quæ mire pathe-

tica. Elissæ amantis oratio tam varia est, quam varius amoris circuitus: triplex ea inprimis; omitto alias, non tanti momenti: prima suasoria ad Æneam, *Dissimulare etiam sperasti;* etc. secunda exprobratoria; *Nec tibi diva parens;* de quibus jam dictum supra. Tertia, quam nunc aggredimur, tota tumultuans in deliberatione animi spe spoliati; in qua ideo interceptæ sententiæ, concisæ, contortæ: fertur, refertur, rapitur: crebræ interrogationes, consiliorum mutationes, petitio, repetitio, correctio. Incipit autem miserorum more per interrogationem, *quid agam?* an sic manendum? non potest: instant enim gentes Libycæ: an illæ suppliciter adeundæ: qui fiet? contemptæ a me, fastus mei memores, flecti nollent: an cum Trojanis abeundum? at frustra tentabitur; ingrati enim sunt, obliti veterum beneficiorum, quum me invitam relinquunt. Me in regno meo contemptui habuere, in suo quid facient? quin non recipient: idcirco dixit *superbas rates*, et se *irrisam*, eosque *Laomedontiadas*, perjuros scilicet. An extrema audenda mihi, ipsique bello persequendi? At hoc quid est consilii? Equidem cives hosce vix e Sidonia urbe revelli e manibus tyranni; quonam igitur animo objieiam rursus eos, vel belli, vel pelagi periculis? Igitur concludit, *morere.* Hæc visa mihi necessaria ad integram orationem. Ipse jam per partes, ut soleo, digeram. In voce *irrisa* latet causa: Experiarne rursus priores procos, irrisa jam a Trojanis? Pergit: petam supplex connubia Nomadum? habent omnia emphasin, pathos, conquestionem. Egone fœmina petam connubia? fœminæ enim ambiri solent, non ipsæ ambire. Egone Regina supplex accidam ad pedes Nomadum, qui barbari, qui a me toties contempti? Illud contra castitatem est; hoc contra regiam dignitatem.

537. Repulsa a primo consilio proponit alterum, abeundi cum Trojanis. Accipio *ultima jussa* decretum ultimum abeundi. Evertit per ironiam susceptum consilium: quasi vero juverit me, profueritque levasse eos ante auxilio? quasi ipsi memores

534. *En quid ago. En*, *ecce*, et quasi demonstrantis particula est, per quam intelligimus, eam multa cogitasse, et sic proruppisse, *ecce quid actura sum?* Macrob. vide Saturn. IV, 6. — Deliberat noctu Dido, quid factura sit: quinque sibi proponit consilia. I. Procos priores adire precibus, ut per eos læsum amorem mox ulciscatur. II. Trojanorum navibus et fidei se committere. III. Solam Trojanos fugientes sequi. IV. Eos totius regni sui viribus persequi. V. Rejectis his omnibus, MORI. Denique miseriarum causam in sororem refert; cujus blanditiis impulsa est, ut datam Sichæo falleret fidem.

sint beneficiorum, et ego bene apud illos posnerim tantorum beneficiorum gratiam?

540. Pergit in eodem consilio, urgetque hac ratione: etiam si ingrati sint, volo me tamen ingratis dare comitem. Evertit sic: si tu velis, illi nolint, illi non sinent: ratio duplex, quia superbi, quia perjuri sunt: ideo Laomedontæi. Nescis heu perdita! ipsa secum loquitur; quod dicas: non solum sunt superbi: nam si boc tantum essent, vinci humilitate tua possent; sed sunt perjuri, à quibus qnid speres?

543. Rejectis duobus consiliis, tertium proponit hac divisione: comitaborne illos supplex usque ad Italiam? an insequar cum hostili exercitu? Hujus consilii partes rejicit, priorem ut turpem, posteriorem nt difficilem. Primo non possum illos comitari, quia *sola fuga nautas* (*comitabor*) *ovantes*. Qui enim *sola*, quæ sum Regina? qui *fugiam*, quod indignum? qui *nautas*, qui ideo viles bomines? qui *ovantes*, qui me ducant in triumpbum? deinde non possum insequi cum hostili exercitu: nam qui rursus objectem maris periculis, quos vix ac tanto negotio revelli a Tyro?

547. Propositis solutisque argumentis, deliberat sibi moriendum: ratio duplex, et quia mereor; inducit enim suæ descriptioni colorem, ait Scaliger: et ut dolorem avertam. Causam desperationis a se rejicit in sororem, sed ita tamen ut in se quoque convertat: nam tu me hosti objicis; sed ut evicta meis lacrymis, sed ut furori medearis.

550. Perstat in sui reprehensione, quod nuptias expetiverit, non servata fide Sichæo conjugi: ita se Dido reprehendit, ut dicat circuitu quodam se excusans, vitam, quam ipsa optabat, esse ferarum ac brutorum vitam; hanc autem bominum, ac propterea non damnandam. Desinit in suum Sichæum, se reprebendens. Sententia est: *Fides promissa Sichæo, non servata est cineri* ejus. Quæ sententia quum clara sit, nescio cur se multi crucient, vel proferentes vetustos codices, in quibus est *Sichæi*, non *Sichæo:* vel dicunt *Sichæo* pro *Sichæio*.

553. Veluti epiphonema superioris orationis: ideo vero *rumpebat questus e pectore*, ut signetur doloris abstrusi atque alte repositi magnitudo.

554. Dicta hæc cum quadam oppositione præteriti status, quem Didoni attribuerat. Illa insomnis erat, hic dormiens: illa anxia de abitione hujus, hic eundi certus. Sed qui dux, cui

res tanta commissa ab Jove, ab Jovis nuntio, somnos carpebat? excusatio, *rebus jam rite paratis.*

556. Unum prævidere nequiverat Æneas, quid ardoris lateret in animo Elissæ, quid furiarum, quid irarum : ad quam rem indicandam oportuit mitti Deum, aut Dei imaginem, ut moneretur. Erat forma hæc similis juxta omnia Mercurio, videlicet, juxta vocem, colorem, crines, membra. An hic vere Mercurius Æneæ apparuerit? an visus tantum apparuisse per ludibrium somni? in ancipiti est.

560. Duplex ratio, cur statim Æneæ navigandum, cur non immorandum. Prima a malis, quæ immînent, si moram fecerit: ideo non cernis pericula, quia demens: in illis *hoc sub casu,* sermo est emphaticus; quasi, magno et periculoso. Altera à temporis opportunitate; nam spirant Zephyri, qui secundi sunt ad navigandum : nec aliud jam est argumentum : nam quæ sequuntur, omnia huc referenda : etenim more suo poeta generatim rem proposuit, in quam mox recurrit augens, explicans, amplificans.

563. Explicat jam superiores : circumstant te magna pericula, quia Regina versat in pectore contra te dolos, nefas; fluctuatque irarum æstu : Zephyri secundi sunt; da ergo te in fugam præceps, dum potes, spirantibus Zephyris : si maneas, mox trabibus navium Punicarum mare turbabitur, circumstant te pericula, quibus nisi præcaves, videbis subito faces collucere accensas contra te, et litora flammis fervere : ergo abi; nam aliter, et mare turbabitur; et flammæ contra te collucebunt; namque mox clamabit suis Dido : *ferte citi flammas; date vela, impellite remos.*

569. Post argumenta, hortatur ad fugæ necessitatem verbis concitatissimis, cujus hortationis rationem adhibet ex innata fœminis inconstantia : præclare illud; *rumpe moras, ne te morantem :* quo vero sollicitiorem relinquat, disparet responso nullo exspectato; ut jam II Æn. *Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris;* et supra idem Mercurius, *evanuit ex oculis in tenuem auram.*

571. Spirant ista celeritatem; surgit *exterritus; corripit corpus; fatigat socios.*

573. Tria jubet, et modum adhibet, vigilent, considant transtris; solvant vela : modus, ut præcipites, ut citi. Nullum est

566. *Trabibus.* Vel navibus, vel remis, ut, « Vastumque cava trabe currimus æquor. » Æneid. III, vers. 191.

exordium; nam celeritas nihil sinit præmitti; nisi vice exordii sit vox *viri*, quæ nata ad laudem : ut vero læti pareant, subjicit auctoritatem Numinis : ac statim eadem celeritate, qua surrexerat, qua imperaverat, qua monuerat, sese convertit ad cælestem nuntium, nihil examinans, an Juppiter, an Mercurius, an alius quispiam : nihil præmittens ad exordium; tantum promittens se obedientem fore; ac ne promittens qnidem, sed statim *sequimur:* nec solum, sequimur, sed prompte etiam; nam *ovantes.*

578. Oratio brevissima ad Numen, quod apparuerat: ades; juva placidus; fer dextra sidera: nihil amplius patiuntur angustiæ temporis; eadem celeritate ensis non educitur; sed *eripitur:* funes, quibus naves illigatæ ad litora, non solvuntur, sed inciduntur, sed feriuntur: ensis vero instar est fulminis; adeo omnia celerrime!

581. Ducis ardor transiit ad milites: itaque *idem ardor habet omnes simul;* id est, cunctos: *omnes* enim, et *cuncti,* non idem, ut putat vulgus: sed *omnes simul* et *cuncti* idem: itaque non dicit, *idem simul ardor habet omnes:* sed *idem ardor habet omnes simul:* sequitur *rapiuntque ruuntque:* vide an hæc concitata? Ac puncto temporis litus deseritur; mare plenum est navibus; torquentur spumæ; verruntur maria. Vide quam multa dicta, quam multa facta carminibus decem et tribus. Surgit Æneas e somno : hortatur suos, vigilent, considant, solvant: præcidit argumenta reliqua, et uno tantum Numinis utitur. Post brevem hortationem ad suos; eadem brevitate se ad Numen convertit; sequitur, et paret: petit, ut adsit, ut juvet, ut ferat dextra sidera. Vix hoc dicto, gladium stringit, ferit funes: eodem ardore sunt milites: rapiunt, ruunt, litus deserunt, sunt in mari, remis dant operam; itaque, qui initio sunt in litore, et somno torpidi, jam navigant superatis ingentibus difficultatibus, quæ solent intervenire. Disce esse poeta; eo enim destinavi hunc sermonis cursum.

584. *Prima Aurora* est initium Auroræ nascentis: *novo lumine* capias vel vulgariter, vel ex opinione illorum, qui putabant, solem quotidie perire, quotidie reviviscere: *croceum cubile* interpretor splendidum, illustre.

586. *E speculis,* ut vere aut amans, aut irata: *lucem albescere,*

585. *Tithoni cubile.* Tithonus frater Laomedontis fuit: hunc Aurora adamatum in cælum levavit, quem longinquitas vitæ in cicadam convertit. Horatius: « Longa Tithonum minuit senectus. » *Serv.*

quia hic color in prima aurora, et novo lumine; *æquatis velis*, aut feliciter plenis, aut paribus omnium navium velis.

588. Utque sensit litora vacua, et portus vacuos sine remige; libenter retulerim hæc ad sensum aurium: incœpit enim dolor a sensu oculorum, quibus vidit abeuntes Trojanos; recruduit ab altero aurium, quæ carebant noto et grato nautarum strepitu.

589. Ad hoc spectaculum sequuntur doloris notæ duæ; percussio crebra pectoris, et comarum revulsio: has notas sequitur oratio omni interpretatione superior, plena contumeliarum in Æneam, querelarum, amentiæ, furoris, indignationis. Ergo abrupte incipit, concitate, truculenter, sæve. Jovem advocet? an obtestetur? an exclamet? an increpet? nescias: ita multa latent sensa animi: ideo vero ad illum vocem dirigit, abeunte infido hospite, ad quem direxerat eodem veniente in primo Æneid. *Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.* Verba reliqua plena sunt ἐμφάσεων. *Hic*, vilissimus, ridiculusque impostor: *advena* cum contemptu, unde recrudescit indignatio acceptæ injuriæ; et est quasi antithetum *advena nostris regnis*: nam peregrinus et Rex prope contraria sunt.

592. Qui expedient? qui sequentur? Nemo hic agit signate, omnia scilicet furore perturbante: tantum ultioni intenta fœmina, qui ulcisci debeant, non nominat: diripere rates ex navalibus, est, deducere ex navalibus armatas naves ad insequendum hostem; verum non sinit furor rem dicere solito verbo, sed raptim omnia: vix animo cogitaverat ultionem, quum statim vult rem sequi: Aderat nemo, et tanquam cum præsentibus loquitur, sensum omnem abripiente dolore. Trojani velis remisque navigabant: sic Dido vela vult dari; re-

590. *Proh Jupiter*, etc. Erumpit in hanc orationem Reginæ furor. *Imprecatoria* est; habetque partes septem: I. Exclamationem abruptam, qua Jovem appellat, quasi violati hospitii vindicem: quemadmodum in excipiendo primum hospite eum appellaverat, Æn. I, 735. II. Jussa aspera et concitata, quibus Carthaginienses in fugaces Trojanos commovet. III. Correctionem amentiæ suæ, qua se absentibus stulta imperare cognoscit: tum enim sola loquebatur e speculis. IV. Exprobrationem fictæ Æneæ pietatis, in Deos, in Patrem. V. Dolorem amissæ ultionis; quam in Æneam, ejusque filium et gentem, exercere potuisset. VI. Obtestationem Deorum, tam superorum, quam inferorum; ut sibi adesse ultores velint. VII. Diram imprecationem, tam in Æneam, quam in ejus posteros, quæ æterna Carthaginiensibus et Italis inter se odia portendit.

mos impelli, ut occupetur navigantium auxilium. Deinde, est aliud quod observes : illi procedunt velis æquatis; vide lentam dignitatem : illa a citis vela vult dari; vide festinationem; illi adnixi torquent spumas; vide difficultatem : illa vult remos impelli; vide expeditionem : ut videlicet celeritas Afrorum in persequendo suppleat, quicquid in navigando transmissum a Trojanis.

595. Redit ad se ex tam præcipiti amentia : nescit quid loquatur; ubi sit; quæ ista amentia : exclamat, o Dido misera, jam te fata pertrahunt ad exitium tuum : debuisses fatis providere, quum dabas sceptra. Sequitur, *en dextra fidesque*, etc. oratio tota ironica, quasi nihil tale fecerit Æneas, non Deos secum Troja eduxerit, non patrem humeris.

600. *Divellere abreptum*, est, abripere, ac divellere. Expende omnia; et videbis nihil potuisse dici truculentius; indignata enim varias attingit cædes, quibus voluisset Æneam obruere, e veterum sive fabulis, sive historiis petitas : quum optat corpus divellere, et undis spargere, ad Absyrtum respicit : quum socios interfecisse, credo, ad fabulam sociorum Ulyssis, quam audierat ab ipso Ænea : quum filium dedisse patri devorandum, ad historiam Atrei et Thyestæ, vel ad Ityos fabulam. Ita singulari indignatione multorum pœnas vult in unum caput recidisse.

603. Occurrit sibi προληπτικῶς, objiciendo belli dubium exitum, *verum anceps pugnæ fuerat fortuna;* et concedit objectum, *fuisset:* nam si tandem moritura, quid metui? Quin ego ipsa nullo usa milite faces tulissem, ego sola invasissem castra. Quis hic furor, qui non sinit fœminam periculi magnitudinem expavescere? Naves incendissem; extinxissem natum Ascanium; patrem Æneam; et natum priusquam patrem, ut pater ipse cerneret oculis atrocem filii carnificinam : sic totum genus abolevissem, ac me tandem super ipsa dedissem. Etenim sicut su-

601. *Ipsum Ascanium*. Aut qui est causa navigationis : ut, « Quem regno Hesperiæ fraudo et fatalibus arvis » : aut ad patris dolorem : ut, « Qui nati coram me cernere lethum Fecisti. *Serv.* — *Epulandum*. Tangit fabulam, qua Progne filium Ityn patri Tereo comedendum apposuit; quam copiose narrat Ovidius Metam. lib. VI. Vel respicit Harpalycen, quæ vi a patre Clymeno compressa, decoctum filium Presbonem ei epulandum apposuit. *Taubm.*

604. *In castra tulissem*. Classes dixit *castra* : ut, « Nos castra movemus » : nam sequitur, « Implessemque foros flammis. » — *Foros*. Tabulata navium; ab eo, quod vel onera, vel nautarum incessus ferant : et est generis masculini, numeri tantum pluralis. *Serv.*

pra in aliorum interitu allusit ad fabulas, sic credibile in suô quoque ad fabulam Althææ allusum, quæ quum incenso fatali torre filium Meleagrum consumpsisset, in eumdem rogum se præcipitem dedit, pœnitens etiamsi sero.

607. Vult Æneæ imprecari in extremo vitæ exitu, ut hosti acerbissimo. Præcedit imprecationes invocatio Numinum, Solis, Junonis, Hecates, Dirarum, Deorum qui mortem afferunt, ut illæ ratæ sint, firmæ, stabiles : ideo ait, *advertite, audite.*

612. Sequuntur imprecationes multæ quarum hic tantum paraphrasin dabo. Si necesse est fatorum lege, ut debeat ad Italiam pervenire, ibi bello affligatur; patiatur exilium; avellatur ab complexu Iuli; imploret aliorum opem; videat indignam suorum cædem : si quando contingat pacem cum hostibus inire, subeat pacem iniquam, factam non suo, sed hostis commodo; non fruatur regno, non vita : mors illi contingat ante fatalem diem, ac tum nullus sit honor tumulo, jaceatque in arena inhumatus, quo sit infelice vita exitus infelicior. Hæc ego imprecor; ita animam fundo, obsignans hasce im-

614. *Hic terminus hæret.* Si hoc fixum ratumque est, nec unquam potest mutari, nec moveri. Peramœna traductio ab agrorum terminis, quos movere et mutare non liceat. Sumptum ex Lucret. « alte terminus hærens. » Termini enim agrorum interdum alte panguntur : in summo tamen hærent solo.

615. *At bello audacis populi vexatus.* Habuisse has diras exitum in bello Latino interpretes sic admonent. — Nam Æneas : 1° appulsus in Italiam, vexatus est armis Turni regis; 2° avulsus est ab Iuli complexu, quum ab eo discessit, ut, apud Evandrum quæreret auxilium, Æn. VIII, 80; 3° vidit indigna suorum funera variis in prœliis, Æneid. X, 11, 12 : præsertim cædem Palantis, Æn. X, 489; 4° pacem, aiunt, iniquis conditionibus cum Latino rege sancivit; quia propriæ gentis amisit nomen, et commune Latinorum nomen accepit, Æneid. I, 10; 5° cecidit ante diem, et inhumatus jacuit : quia dicitur, tertio imperii anno cum Mezentio pugnans, in Numici fluminis ripa, nusquam comparuisse : alii tamen aliter; Æn. I, 270; 6° nullus amor populis, nec fœdera fuerunt; si quidem tria Romanos inter et Carthaginienses orta sunt punica bella ex Pœnorum perfidia, qui nulla fœderum religione coerceri poterant; 7° exortus ex ipsius gente Annibal; vix novem annos natus ab Amilcare patre ad aras Deorum jurejurando adactus est, ut quamprimum posset, hostis Romanorum foret : idem bellum punicum secundum Romanis intulit, in ipsum Italiæ sinum; illudque octodecim annis gessit : victus demum a Scipione Africano majore in Africa; apud Prusiam Bythiniæ Regem veneno se ipse interemit, ne in manus Flaminini Romanorum legati traderetur.

precationes morte mea. Vos vero, o Tyrii mei, exercete pertinacissime odia in hanc gentem, in omnes posteros. Ut vero alii ad tumulum, serta, unguenta, et flores afferunt, existimate nihil fore gratius meo cineri his odiis. Nullus sit amor utrique populo; nulla fœdera; utinam, ex meis ossibus oriatur aliquis, qui Trojanos ferro ignique persequatur, idque contingat nulla temporis intermissione. Sint nostra litora contraria illorum litoribus; illorum undæ nostris fluctibus; arma armis: discordiæ istæ durent in omnem posteritatem.

630. Exprimitur vivide æstus curarum, quæ quum illam in omnem partem raperent, demum quiescebant in imponendo vitæ exitu.

632. Dat mandata ad Barcem Sichæi nutricem; nam sua jam obierat in urbe Tyro: jubet vero, ut sororem accersat, quæ secum afferat aquam, et hanc signate fluvialem, et signate ad spargendum; utrumque e more: deinde *pecudes*, quæ mactandæ; *piacula*, quæ maga indicaverat, id est, reliqua purgamina, quæ superstitiosa antiquitas cognovit.

637. Varie verba ista *sic veniat* interpretes: credamus, post mandata adhibitum modum, quo illa peragenda. Seqnitur, quid ipsa debeat nutrix sibi afferre, vittam videlicet; et hanc tegendis temporibus ex more.

638. Cui Deo facta hæc sacra? Plutoni; hic enim est Juppiter Stygius. Cui fini? solvendis amoribus: ait *perficere*, quia *incepta*.

640. Scias, *rogum* proprie esse *extructionem lignorum*: nihil est aliud, *rogum flammæ* permittere, quam struem lignorum flammæ tradere. Sed deinde, quare rogus dicitur esse Æneæ?

625. *Exoriare aliquis.* Aliqui de Annibale volunt intelligere: sed melius est, ut sic hoc perturbatæ personæ, quæ nesciat se impossibilia postulare: quod sequentia indicant, quum postulet, et litora et undas inter se discordare. *Don.*

627. *Nunc, olim.* Modo, *olim* futuri temporis: et quidam separant pronunciantes, ut sit modo, *olim*, postea: quasi dicat, vel olim. *Serv.*

632. *Breviter.* Festinatione mortis: simul nectit caussam morarum, et ipsi, et sorori. — *Tum breviter.* Namque hoc conveniebat, quæ quam primum mori cuperet. *Donat.* — *Barcen.* Hoc cognomen familiæ Annibalis fuit. *Serv.*

634. *Cara.* Blanditur, ut impetret per blandimenta, quod illa propter ingravescentem ætatem poterat recusare. Elegit personam, quæ tarde pergeret, et cum mora remearet, ut sibi longiusculum ad mortem patrandam spatium daretur: et propter hoc dixit *siste*, et non *mitte*. Donat.

quia videlicet inter composita ligna, erant etiam omnia Æneæ monumenta, quæ flammis abolenda fore mentita fuerat Dido; interque ea monumenta Æneæ effigies, quam signat per caput Dardanium, persistens in eadem periphrasi, qua supra dixit, *infandum caput*, idque odio Æneæ : consulto enim abstinet ab illius nomine.

641. Id est, properabat, ut anuum est sedulitas; vel significat studium illud sine affectu fuisse, quum studeret properare; sed anile studium esset, neque voto succederet conatus.

642. Ætiologia est: ideo *trepida;* ideo *effera*, quia cœptat immania : itaque trepidatio referenda ad incœptationem; feritas ad immanitatem et audaciam. Sequuntur tres notæ instantis furoris; *acies oculorum sanguinea; interfusæ maculæ in genis; pallor in ore.* Tremebant quippe genæ ex vario discursu sanguinis; maculæ illæ erant rubor non continuus, quia contrarium est naturæ, ut idem sibi noceat; idcirco in pugna animi, pugna quoque humorum. Itaque audacem color unus, pavidam alius subibat, et ideo *interfusa maculis:* inter tot vero maculas pallor validior erat ob futuram mortem. Ita affecta *irrumpit ut furibunda* interiorem altamque ædium partem, ubi ensem nudat; quod munus non datum in hos usus : vide πάθος admirabile!

648. Confer quæ præcesserunt cum his, et orationem semper magnis affectibus crescentem invenies : *irrumpit limina* ubi cædes patranda; en primus gradus doloris, attigisse limina : ibi *rogos* videt, ubi Æneæ imago, en alter gradus : tertius, et utroque major, *ensis nudatio :* quarto *conspicit vestes Iliacas, et cubile notum*, nimia amoris assuetudine : ad hoc spectaculum lacrymas ubertim fudit, et suspensa constitit; quæ lacrymæ et suspensio moram aliquam attulerunt futuræ cædi : quinto demum *lectum* videt, qui gradus doloris ultimus, cui incubuit, et ubi dixit extrema verba ante ictum.

651. Præclare monuit Jul. Scal. hanc extremam orationem

651. *Dulces exuviæ.* Quæ istæ sunt exuviæ? nimirum reliquiæ ab Ænea, vestes Iliacæ, ensis, lectus genialis, etc. — In hac suprema Didonis oratione tres elucent præcipue sensus, amoris, gloriæ, ultionis. I. Amoris : quum Æneæ imagini, jugalique lecto vitam suam animamque committit : et in iis exuviis non tam præsentem intuetur acerbitatem, quam præteritæ dulcedinis recordator; *dulces dum fata*, etc. II. Gloriæ : quum se sperat illustrem fore, tam apud inferos, *magna mei sub terras*, etc., quam inter homines; apud quos, et præclaram urbem fondavit muniritque, et Sichæum ulta est, raptis Pygmalionis opibus, illustrior ac felicior futura, si nunquam Æneas Carthaginem appulsus esset. III. Ultionis : quum os lecto

Didonis esse omni succo suaviorem, omni nectare et ambrosia potiorem. Quam censuram esse optimam satis indicant duo primi versus hujus orationis.

653. Magnus affectus *vixi*, quasi dicat, jam deinde non vivam : sed major, qui sequitur, *peregi cursum*, *quem fortuna dederat* : quasi dicat; non mihi vitæ limitem Dii, cælum, aut fata constituerunt; sed fortuna, quæ amens; cui nulla virtutis, aut justitiæ ratio; quæ pro libidine, non ex merito, huic longam vitam, alii brevem dat. Maximus adhuc qui sequitur de imagine jam itura ad inferos : sed vide fugam doloris, non sub inferos, sed *sub terras*; non anima, sed *imago*.

655. Enumerat felicem elapsi temporis fortunam, ut inde præsentis infelicis deformitas major appareat. Nulla est tautologia : duo enim dicit; et statui urbem, et ad perfectionem perduxi; nam ea quoque cincta est mœnibus : urbem vidi, et hanc præclaram : mœnia non alterius, sed mea : quæ hæc felicitas!

656. Altera felicitas, quæ duplicem quoque involvit, sicut versus superior. Abstuli a fratre Pygmalione aurum, cujus cupiditate incensus virum meum Sichæum interfecerat, ac perinde et ab illo pœnas sumpsi, et ulta sum virum : quæ enim avaro major pœna, quam pecuniam perdere, propter quam scelus perpetraverat?

657. Hæc infelicitas superiores felicitates deformat; et nota parcimoniam vatis : alius quispiam hic lasciviret oratione, et longe commemoraret secutas calamitates. Virgilius tantum pro infelicitate constituit navium appulsum, ex qua facile reliquæ intelliguntur; neque enim tempus nunc postulabat, ut miseræ Didoni omnes refricarentur.

659. Dubitari potest, quis hic affectus ? et ex quo fonte ortus ? duplex fortasse mens poetæ : vel dici potest impressum os toro, ne inter moriendum in aliquid erumperet indignum se : quo trahi possunt verba sequentia *moriemur inultæ?* quasi aliquid voluerit dicere atrox, et sævum; sed se represserit; vel factum id esse potuit ad animi ferocitatem indicandam perciti furore et rabie.

imprimens rabie quadam furoris, inultam se mori dolet : mox perpensis quasi rerum momentis, et secum existimans, duo esse quæ morte quærere possit; ultionem et miseriarum finem, statuit sibi esse moriendum, saltem ut finem illum et quietem consequatur; *sic, sic juvat ire sub umbras*, maxime quum aspectus incensi rogi permovere Æneæ animum possit, et ultionem inchoare. *Serv.* et *Ruæus*.

660. Quæ esse potest digna ultio tanto flagitio? mori volo, nec enim aliter elui scelus potest. Pergit, *Sic sic juvat ire sub umbras.* Alii placidius, mitiusque moriuntur; mihi sic ire conveniat truculenter et dire.

661. Haurire oculis, pro, videndo satisfacere suæ crudelitati, vere poeticum est. Dido vult, ut mors sua triste sit Æneæ naviganti omen, et perfidus videat ab alto mari fatales rogi flammas, in quo se interficit, et mox cremabitur.

663. In hoc tempore sibi ferrum applicuit, pectusque transfodit: hujus ictus triplex nota; videlicet, collapsio membrorum; gladius cruore spumans; manus sparsæ jactatæque huc illuc, ut mos est morientium.

665. Exhibet mirus poeta rem pæne tragicam, tanto rerum et verborum apparatu, quem necesse erat consequi atrocem mortem Reginæ: oratio semper crescit: primum enim intra atria regiæ auditur clamor: mox fama per urbem bacchatur: ex urbe lamenta penetrant in ædes uniuscujusque; sic enim intelligo *tecta fremunt;* demum voces omnium dissonæ in cælum eunt. Hos affectus augent, quæ mox sequuntur: *non aliter*, etc. Sed quibus verbis hæ sententiæ exprimuntur? Audis clamorem in atriis; bacchantem famam; tecta frementia; resonantem ætherem: adde adjuncta alia, quæ etiam horrida: quid enim non mali concipies ex urbe concussa, ex lamentis, gemitu, ululatu, plangoribus? Hæc enim tam insueta debebant non nisi casum tam insuetum consequi.

672. Fit Anna exanimis, audiens exanimatam sororem, quam præclare! hoc nuntio exterrita, non hæret; quem affectum alius potiorem putasset; sed ruit; neque enim tantus terror impediit, quo minus convolaret, si posset opem afferre: ruit vero per medios cives; quo magis extollitur successus hic tragicus: est enim quiddam magnum cernere primatem feminam convolantem per impeditas civium turbas: jam si consideres eam fœdantem ora unguibus, et pugnis pectora, sororemque suam nomine inclamantem; hoc porro πραγικώτατον.

662. *Et nostræ secum ferat omina mortis.* Ut Æneas quoque per vim maturius obeat; et bene infausta omina imprecatur ei, qui ad novi regni auspicia properat. *S.*

663. *Atque illam.* Ostendit celeritatem in Didone, ut nemo ictum viderit, sed illam cadentem aspexerunt. *Donat.*

669. *Non aliter*, etc. Alludi putant ad direptionem Carthaginis, quæ facta est tertio bello Punico. Macrob. IV, 6, docet, hic augeri πάθος a majore: quod tamen fieri

675. Oratio plena magis affectibus : nullum exordium, ut in re trepida, et abrupta : statim querelæ incipiunt; o *germana*, signate ad rem : si nemo a nemine capiendus fraude, multo minus germana a germana : ex qua mente additum, *petebas me fraude?* deinde, *hoc parabant rogus, ignes, aræ?* perinde ac si dicat, esto sororem soror falleres; sed quis putaret prætextu religionis includi dolos, fraudes?

677. Continent hæc magnum affectum, et imprimis verbum *sprevisti:* quasi dicat, quum deserta sim et spreta comes sorore, quid primum ex his querar? sed non tam acerbum deseri me, quam sperni: talis, ut ego sum, comes et soror spernenda sane non fuit. Sequitur, *eadem me ad fata vocasses*, etc. Scilicet vocasses me ad fata eadem, ut comitem; idem dolor hausisset ambas, ut sorores : itaque comes jungenda fuit tibi tua soror.

680. Transfert jam in se facti culpam ad majorem exaggerationem doloris : ego rogos meis manibus struxi; ego Deos ad sacrum hoc vocavi ex more, ut abessem a te posita, id est, carerem te mortua.

682. Numerat nocumenta, quæ secuta mortem Didonis : non te solam exstinxisti, sed me, sed populum, sed patres, Senatum Carthaginiensem, sed urbem totam. Sequitur, *date, vulnera lymphis abluam*, id est concedite, ut abluam lymphis vulnera; hoc potius placet, quam hypallagen agnoscere; nam pari sententia sequitur: date, ut legam ore extremum halitum: hæc dicens, simul evaserat ad locum, ubi erat pyra.

posse, quidam negaverint. *Taub.*

680. *Struxi manibus.* Quasi sceleris contaminata, et quasi ipsa interitum sororis adjuverit. *Struxi manibus*, subaudis *rogos.* — *Patrios deos.* Saturnum et Junonem.

682. *Exstinxsti.* Pro *exstinxisti*, syncope; ut supra, 606, *exstinxem*, pro *exstinxissem* : et Æneid. I, 205, *accestis*, pro *accessistis* : ita legunt Valerius Probus, Carisius, etc. Veteres tamen plurimi codices habent *exstinxi*, prima persona; ita ut culpam omnem damnumque commune Anna in se unam conferat. — *Populumque, patresque, urbemque tuam.* Patres, id est, Senatum. *Urbem tuam*, quam extruxisti. Et quidam hoc loco volunt tres partes politiæ comprehensas, populi, optimatium, regiæ potestatis : Cato enim ait de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem. *S.*

683. *Date lymphis.* Date lymphas, ut vulnera abluam; hoc est, date aquam : aut *date*, id est, permittite. Lavare autem cadavera satis proximis concedebatur. Unde queritur mater Euryali : « nec vulnera lavi Veste tegens. »

685. *Ore legam.* Muliebriter, tanquam possit animam sororis excipere, et in se transferre. Sic Cicero in Verrinis : « Ut extremum

686. Fiunt omnia παθητικὰ καὶ τραγικὰ, et consona tertio dolori: quæ enim jam jactata vocibus, hic re firmantur. Duo dixerat: primum velle se legere ore spiritum; ergo, *Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat*, exceptura halitum: alterum, velle se abluere vulnera; ergo, *atros siccabat veste cruores:* neque enim aliam potuit ablutionem adhibere in tam subito rerum tumultu.

688. Post clamores sororis recurrit ad Didonem; quæ ideo *conata* est oculos attollere, quia jam *graves:* opus enim fuit conamine in tanta gravitate; sed statim animo et corpore *deficit*, cum oppositione ad verbum *attollere:* ratio; nam *vulnus infixum sub pectore* signat cor; *stridet* signat prorumpentem ubertim cruorem cum fervore et æstu.

690. Miri versus ad explicandam difficultatem animæ exeuntis e corpore, cui manus violenter illatæ: vides enim, ut ter se attollat, ter relabatur; oculi errent, lucem quærat, ingemiscat reperta. Sed cur hoc extremum? an quia lucem noluisset invenire, ut quam tædebat vitæ? an quia doluisset amittere lucem, quam amabat? Sic sæpe accidit: abripit homines impetus, quo se abripi, momento temporis dolent, defervescente ira.

693. Juno dicta est a juvando non solum eos, qui ex utero in lucem exeunt, sed qui rursus ex luce abeunt ad sepulcrum; itaque præest omni juvamini: inde forsitan epithetum *omnipotens*, quod non obvium. Ergo, *Juno miserata laborem longum, obitusque difficiles;* ac si dicat; ideo longus labor, quia obitus difficiles: *demisit Olympo Irim;* nam hæc semper præsto est illi ad omnia: *quæ resolveret animam luctantem, artusque nexos:* ducta tralatio a palæstra; inest enim lucta quædam inter ægritudinem, et animam; volente hac retineri conservarique in corpore tanquam in veteri, et familiari domicilio, contra illa extrudente, et impellente per vim exire: nec aliter fortasse Gallico idiomate usurpatur verbum *agonie*, a Græco ἀγὼν, de morientibus: nam quod majus periculum? quod majus prælium, ac contentio?

696. Mors fatalis est, quæ contingit natura fatoque, non

filiorum spiritum ore excipere liceret. » Græcis est ψυχοῤῥοφεῖν. Ut enim carissimi oculos claudebant morientibus; ita et os ori admovebant, ut extremum ejus spiritum excipere ac haurire velle viderentur.

696. *Nam quia nec fato, merita nec morte*, etc. Triplex distinguit genus mortis; quæ *fato;* quæ *merito:*

aliqua violentia : mors merita, quam scelera afferunt, et quævis intemperantia; merentur enim scelerati cadere: Dido igitur cadit non fato, quia ante diem violento ictu rapta : non morte merita, quia tantum accensa furore subito. Hinc est, ut nondum Proserpina crinem illi flavum capite abstulisset; quod necessarium ad mortem.

700. Consultissime in morte Reginæ Afrorum inducitur hic apparatus a poeta totius decori observantissimo. Juno imperat; descendit Iris venustissimis coloribus induta; adstat supra caput; secat crinem; fert illum ad Plutonem, ut cui est sacer; solvit Reginæ animam a corpore : inde factum ut obeat placidissime : quanto enim difficilior prius obitus insecto crine, tanto postea placidior : hanc placiditatem versus ipse repræsentat.

quæ *casu* contingit. Contingit *fato*, quæ naturalis est; *merito*, quæ propter scelera, aut intemperantiam accidit; *casu*, quæ nec natura, nec merito. In primis duabus fatalem crinem secari definit Virgilius, in tertia negat; quasi *fata* tantum, hominumque *merita*, sub Deorum providentiam caderent; *casus* eam falleret. At Dido cadit *ante diem*, non *fato*, et natura supra V, 620. Cadit *misera*, non rea, nec merita. Igitur *casu*: quare crinis ipsi non amputatur.

698, *Flavum Proserpina crinem*. Credebant Græci Romanique, mori neminem posse, nisi Proserpina morientis crinem abstulisset, quasi sacras sibi inferisque primitias. Hic Iris officio illo fungitur. Mos forte repetitus e sacrificiis : ubi setas aliquot e media victimarum fronte decerpere, et in ignem conjicere solebant, Æneid. VI, 245. Ita et in omnibus putabant fieri, quos Orco quasi victimas mors demittebat. Vide Macrob. V, 19. Muret. Var. IV, 16. Turneb. XIX, 17.

703. *Sacrum jussa fero*. Euripides Alcestin Diti sacratum habuisse crinem dicit, quod Poeta transtulit ad Didonem. — *Corpore solvo*. Id est, animam tuam, quia ait supra, « Nexosque resolveret artus. » *Serv.* — *Solvo*. Omnia, quibus vita constat, sibi invicem nexa sunt : sed quum resoluta fuerint, atque a sese recesserint, tunc mors sequitur. *Donat.*

704. *Omnis et una dilapsus calor*. Uno impetu effusa est vita, id est, anima, secundum eos qui dicunt animam calorem esse, qua recedente, corpus friget; ut, « Corpusque lavant frigentis et ungunt. » — *In ventos vita recessit;* aut eos sequitur, qui animam aerem dicunt, hoc est, in materiam suam redire : aut certe eos, qui dicunt animam perire cum corpore; ut intelligamus, evanuit, in ventos recessit. Ovid. Metam. XI, 43. *S.*

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER QUINTUS.

(Vide Argumentum generale, vol. III, p. 1.)

ANALYSIS.

Navigant Trojani Carthagine; ex cujus incendio æstimant quid possit violatus amor, quid furens fœmina; 1—7. In alto quum essent et Italiam versus, tempestate iovaduntur: ad eam pervincendam se comparat Palinurus; nihil quum prosit, admonet sequendam fortunam, relinqueodum cursum, eondum ad Siciliam; 8—25. Annuit Æneas Palinuro ratiooe triplici, deflectit in Siciliam classis; 26—34. Cui venienti Acestes occurrit cum muneribus, Trojanus origine; 35—41. Sequeoti die quam ad portum Æneas appulit, proponit consilium soum de sacris Anchisæ peragendis; 42—54. Coofert in Deos appulsum suum ad eum portum: vult patrem prosequi divinis honoribus et apotheosi: enumerat certamina quatuor: favorem imperat; 55—71. Coronat se myrto, faciunt hoc reliqui, it ad tumulum; funditque inferias tres; flores jacit; patrem salutat; affectus movet; 72—83. Exit anguis ab tumulo, quem poeta a magnitudine et pulchritudine describit; et cum cælesti arcu comparat. Ille libatis dapibus iterum se ad tumulum recepit; 84—93. Hoc omine excitatus dux hostias cædit; vinum fundit; patris manes vocat: ducem milites imitantur; tum etiam comparant, quæ necessaria ad epulas, qoæ hic tantum assæ exhibentur; 94—103. Adest ludorum dies; conveniunt et spectatores et certatores: locantur præmia in medio; tuba signum dat; 104—113. Numerantur navalis pugnæ principes quatuor, Mnestheus, Gyas, Sergestus, Cloanthus; et eorum navigia, Pristis, Chimæra, Centaurus, Scylla; 114—123. Describitur saxum, ubi Æneas metam coostituit; 124—131. Loca per sortes ductores capiont, qui auro et purpura splendidi: juventus cætera coronatur populo; oleo inungitur, ad remos consistit; exspectat signum; 132—138. Tuba insooat; prosiliunt ad cursum naves; celeusma tollitur; spumat et convellitur mare: illustrantur omnia comparatiooe pe-

tita a Romano Circo; 139—150. Describitur exitus primus navium ad cursum; celeritas; contentio: gloria prima est Gyæ; 151—158. Cadit Gyas a gloria; nautici rectoris culpa, qui metu scopuli sinistram fugit, ubi erat meta; dextram petit, et apertum pelagus: locum Gyæ, et victoriam, Cloanthus, facto breviore gyro, occupat; 159—171. Ardet Gyas dolore; lacrymatur præ indignatione; amens et ferox Menœtem in undas præcipitat; ipse agit navem: emergit ex undis Menœtes; sedet in rupe; fluctus vomit; ridetur a turba; 172—182. Sergestus quoque, et Mnestheus Gyan anteire student: prior est Sergestus; sed Mnestheus remiges suos acriter concitat, præteritarum rerum gloria; pudore, si extremi sint: incumbunt illi perquam strenue; 183—200. Vincunt, favente fortuna, adversante eadem Sergesto: dum enim hic hæret in scopulis, et facto naufragio moras trahit, interim Mnestheus et socii procedunt alacres: successus comparatione illustratur; 201—224. Ex successu superati Sergesti et Gyæ, aspirat Mnestheus ad gloriam Cloanthi: hic contra vult tueri decus semel partum; 225—234. Precatur maris Numina; reum se voti facit; auditur; a Diis juvatur; portum occupat feliciter; 235—243. Vocat Æneas certatores; victorem declarat Cloanthum; dat illi coronam ex lauro, impertitur munera navium omnium remigibus; uni Cloantho chlamydem, cujus describitur textus, ars, materia; 244—257. Donatur deinde Mnestheus lorica; hæc commendatur a materia, a forma, a possessoribus vetere et novo, a pondere: donantur tertio loco Gyæ lebetes et cymbia; 258—267. Victoribus affectis præmio, tandem Sergestus advenit nave lacera; ridetur a turba; ejus navis serpenti comparatur; ipse præmium accipit; 268—285. Post certamen navale sequitur cursus. Describitur locus, in quo est exercitus: eo se Æneas confert, et cursores invitat præmiis; 286—292. Conveniunt illi, quorum singulis elogia perpolitè assignat; 293—302. Proponit omnibus præmia communia, tribus victoribus separata; 303—314. Curritur; it primus Nisus; deinde Salius; tertius Euryalus; quartus Helymus; quintus et pæne par Helymo Diores. Cadit Nisus in cursu, qui consequi palmam quum nequeat, proximum sibi Salium objectu corporis ad ruinam compellit, ut Euryali sit victoria. Inde mutata est omnium fortuna, principem locum obtinente Euryalo; alterum Helymo; tertium Diore; 315—339. Vociferatur Salius, inique sibi præmium eripi Nisi dolo: juvant Euryalum pulchritudo ejus et Diores. Donat Æneas constitutis præmiis victores tres: novis deinde atque extra ordinem Salium et Nisum; 340—361. Proponitur tertium certamen cœstuum; assignantur præmia victori et victo; 362—367. Dat se Dares jactabunde ad pugnam, et dupliciter commendatur; 368—374. Ejusdem arrogantia describitur, militarisque ostentatio, et facto et verbis: Trojani favent jactabundo; 375—386. Acestes senem Entellum corripit, ferentem inanes glorias juvenis ostentabundi; 387—393. Excusat se ab senecta Entellus; optat juventutem, et annos fervidos: surgit, projicitque in medium cæstus, quos gerebat ipse, quibusque olim usus Eryx: stupent omnes ad pondus immane; 394—408. Laudat Entellus

cæstus a possessore Eryce, facta comparatione cum Hercule, etiamsi ab hoc victus Eryx : infert alia, quæ ad rem, Æneas utrique pugili dat cæstus pares; 409—425. Describitur pugnæ initium, et progressus; virtus utriusque pugilis; et pugnandi ratio : adhibentur comparationes; 426—442. Cadit in pugna Entellus; fit strepitus; ab Aceste erigitur; redit acrior ad pugnam; vincit Daretem. Persparsa est comparatio duplex, altera cadentis Entelli; altera Daretis victi; 443—460. Cohibetur a furore Entellus; illi Dares subtrahitur, qui et a sociis ad naves ducitur ægro et male multato corpore : datur utrique præmium propositum; 461—472. Victor Entellus, interfecto tauro, unico cæstuum ictu, ostendit quibus olim viribus in juventa valuerit; 473—484. Proponit Æneas certamen quartum sagittariorum; malum erigit; inde columbam suspendit; 485—489. Dejiciuntur sortes: prima est Hippocoontis; altera Mnesthei; tertia Eurytionis; quarta Acestæ. Nominautur omnes cum elegio; 490—499. Incurvant arcus, et sagittas promunt : Hippocoon malum figit, et timet ales : Mnestheus rumpit vincula, et illa volat : Eurytion volautem configit, et illa cadit; 500—518. Acestes restabat, et torsit is telum : monstrum inde, sagitta conversa in ignem et transcurrente instar cometæ; 519—528. Obstupescunt omnes; Æneas omen accipit; Acestem amplectitur; præminm dat; coronat lauro : alios item honore et præmiis exornat; 529—544. Secreto loquitur cum Epytide; dat mandata ad Ascanium, ut secum ducat equestres turmas : ipse interim circum aperit ab infusa turba 545—552. Adsunt pueri : describitur illorum ornatus; 553—559. Sed et turmæ : hæ tres, sub ducibus Priamo, Aty, Iulo. Commendatur primus a regio genere et equo quo invectus : alter ab genere Augusti et Iuli amore : tertius se ipso commendabilis est, et dignus sua pulchritudine, cui Dido munus contulerit; 560—574. Excipiuntur cum gaudio : lustraut hi concessum : signum datur : Troja peragitur; 575—587. Eaque duplici comparatione illustratur Labyrinthi, et Delphinorum; 588—595. Illam Ascanius Albanis tradidit; inde Romani accepere : nunc retinet nomen Trojæ; 596—602. Celebrato funere commutatur rerum status : Juno enim ad classem mittit in perniciem Trojanorum Deam Irim : hæc citissime paret, et devolat; 603—612. Erant tum Trojanæ fœminæ separatæ a reliquo virorum cætu, ac lacrymabundæ recordatione præteritorum, atque futurorum malorum. Assimilat se Iris Beroæ, notæ fœminæ; 613—622. Commovet illas ad dolorem fœdo mortis genere, quo absumendæ; et recordatione calamitatum, quas passæ, quas patiuntur. Deinde rem agit a facili, atque excitat conquestionem ingentem; 623—634. Adjungit argumenta divina duo : alterum Cassandræ; alterum Neptuni; porrigentium sibi ignem in manus. Postquam verbis acuerat, jam movet facto, nam ignes jacit in classem. Iridis argumenta juvat Pyrgo et conjecturis, et veritate; 635—653. Hærent primo fœminæ, deinde divino signo excitatæ, naves incendunt; 654—663. Incendii testis nuntius Eumelus est; advolat eo Ascanius; increpat fœminas; 664—674. Post Ascanium Æneas, et Teucri agminatim concurrunt; fugiunt matres;

at quærunt latibula : grassantur flammæ ; nec remedium ullum ; 675—684. Æneas vestem abscindit præ dolore. Deorum opem implorat, et exauditur, imbribus subito restinguentibus flammam : pereunt nihilominus quatuor naves, 685—699. Est in æstu curarum Æneas, anceps-que utrum in Sicilia remaneat, an in Italiam tendat : hunc æstum Nautes adimit, senex sapiens, doctusque a Pallade ; 700--708. Monet enim sequenda fata ; ferendam fortunam ; advocandum ad consilia Acestem ; tradendam huic partem Trojanorum debilem, ac meticulosam, qui urbem condant. Hoc audito, conjicitur Æneas in majores curas. Nox advenit ; Anchisæ imago nato apparet et loquitur ; 709—723. Præmissisque nonnullis ait, standum Nautæ consilio : jubet deinde, ut ad se in Elysiis locis agitantem veniat : tandem imago discedit ; 724—740. Narratur Æneæ in patrem affectus ; in Deos religio ; consilium relinquendæ partis Trojanorum in Sicilia ; virtus in reficiendis ratibus ; 741—754. Acesta urbs constituitur moris, legibus, religione ; 755—761. Fiunt epulæ per dies novem et Diis sacra : mare et venti apti sunt ad navigandum : exoritur comploratio et discedentium, et remanentium : imbellis turba vult dare se comitem Æneæ ; hic plenus pietate illam Acestæ commendat : fiunt sacra Eryci, et tempestatibus : adnavigatur velis remisque ; 762—778. Adit Neptunum Venus ; queritur de Junone, quam vocat iracundam, pertinacem, immitem, pervicacem, infractam, nefandam, impiam, furibundam, audacem, sceleratam : summa petitionis, transmissio in Italiam ; 779—798. Dat Neptunus confidentiam Veneri, fore ut a se omnia impetret : commendat merita sua in illam ; acquiescit petitioni ; 799—815. Deinde placat maria ; per illa equitans, ex qua occasione describitur ejus equitatio, et plausus quo exceptus est ab universo mari ; 816—826. Navigat interim Æneas ; adsistunt omnes ad velificationem ; nox advenit ; Deus Somnus Palinurum invadit ; 827—842. Hortatur insidiose ad quietem, proposita maris tranquillitate ; cui Palinurus respondet, nihil esse fidendum inconstantiæ maris, præsertim ubi salus agitur principis sui Æneæ ; 843—851. His dictis, hæret clavo firmissime ; contingitor ramo somni : præcipitatur, at emoritur. Sentit Æneas navem fluitantem ; succedit ipse rector ; amicum deflet ; 852—871.

EXPLICATIO.

1. Consurgit ex hoc initio non modicum πάθος. Dido se interficit ; thalamus exundat sanguine ; Regia personat clamori-

NOTÆ.

1. *Interea.* Dum fletur, aut sepelitur Dido, et hoc sermone librum, ut solet, superioribus junxit : cujus pars major ex Homero sumpta. Nam omnia, quæ hic commemorat, exhibentur circa tumulum Patrocli : nisi quod illic curule exercetur, hic navale certamen.

bus; urbs tota ardet incendio; Æneas interim *certus* eundi, *jam classe iter tenebat medium*, *secabatque fluctus atros ab Aquilone*, *respiciens mœnia*, *quæ collucent flammis Elissæ jam infelicis*. Vide etiam, quam magna repræsententur, et illa formidanda : in mari est tempestas, flammæ in urbe.

4 Non caret difficultate sententia horum versuum. Mihi visum posse explicari poetam subordinatis dictionibus, ut hic repræsentabo. *Latet causa quæ tantum ignem accenderit : sed pectora Teucrorum ducunt*, id est æstimant, *per augurium triste* flammarum quas vident, *quid* possint *dolores duri amore magno, polluto*, violato, deinde*que notum* illis est, *quid possit femina furens* amore contemptuve. Itaque sententia erit; Trojanos secum ducere, et æstimare, quid possit violatus et contemptus amor, quid possit furens femina : et hoc æstimant per flammas, quas vident, quæque illis sunt augurium triste : nam quantus ille furor, qui potuit incendere urbem florentissimam? Id si non placeat, sic concipe : duri dolores de magno amore violato concepti; et illud quod furore correpta mulier potest facere, cognitum et compertum Trojanis, hæc omnia illorum animos per triste augurium deducunt; id est, triste aliquid augurari faciunt de rebus, aut vita Didonis. Ultimum hunc sensum libenter prætulerim.

8. Ubi provectæ naves in altum sunt, id enim est pelagus : inde sequitur; non jam tellus apparet; tantum cælum undique, et pontus undique. Tunc tempestate Æneas invaditur : nox et hyems ponto incubant, undæ tenebris inhorrescunt.

12. Dat primas doloris partes gubernatori ex magno judicio, ideo *ipse* ἐμφατικῶς. Itaque primus conqueritur, cur tanti nimbi cælum cinxerint; convertit se deinde indignabundus ad Neptunum : fiunt hæc verbis paucissimis, etiam si magnus

Vide tom. III, pag. 2 et 3. — *Medium*. Aut *medium* est quicquid a principio recedit, et necdum finem sortitur : aut *medium*, sic altum ut medium putares : « ut, « Graditurque per æquor Jam medium. » Hic de media sinus vel secessus Punici parte intelligendum est.

6. *Notumque, furens quid femina possit*. Nihil non audet femina, *κακῶν θήσαυρος*, ut Menander, præcipue quum amoris exitum infelicem sortitur, quum læditur, vel contempta erubescit : de Medea et aliis dicam nihil.

7. *Teucrorum pectora ducunt*. Sicut dictam est propter visas flammas rogales, quæ malum navigantibus omen efficiunt, et Trojani auguriorum periti sunt; nam neque ad Italiam veniunt, et mox naves incendio amittant. *Serv.*

dolor; nam tempestas urgebat : ideo statim jubet vela colligi; remis incumbi; obliquari in sinum vela; omnia contra vim tempestatis.

17. Statim ad Æneam conversus ait, se de salute et Italia desperare, etiam spondente Jove : præclare; nam hoc hominum genus protervum vel in Deos et procax.

19. Ratio prima cur desperet; quia venti fremunt etiam in transversa vela, in vela obliquata in sinus. Itaque remedium illud obliquationis nullum fuit, quia venti quoque inde flabant pertinaciter. Ratio altera, quia venti consurgunt a vespere; et eo erat cursus : nam Italia sita est venientibus ab oriente ad occasum, ubi nox, et vesper surgunt : ergo, non spero posse me Italiam contingere; nam ea pars tota est atra tempestate, et inde venti surgunt. Ratio tertia, quia non solum ea pars atra est turbine, sed aer totus addensatur in nubes; itaque undique malum imminet.

21. Ab his rationibus statuit non posse iri obviam vento, ideo monet, ut fortunam sequantur, deflectant ad Siciliam, ubi est Eryx Æneæ frater.

26. Probat Palinuri consilium Æneas, et nequit aliter, vento semper pertinaciter flante. Ratio triplex, cur victus eat in sententiam Palinuri : prima, quia frustra obnituntur contra tempestatem, et venti id poscunt, id est, volunt : altera ratio, cur libenter avertatur a cursu Italiæ, divertatque ad Drepanum Siciliæ, quia ibi Acestes Dardanius : tertia, quia ibi tumulus Anchisæ : itaque Æneam movet vis venti; amicitia erga Acestem; pietas erga patrem.

21. *Fida, fraterna. Fida*, propter Acestis Trojani affinitatem. *Fraterna*, propter Erycem, Veneris et Butæ filium, Æneæ μητράδελφον. Nam *Eryx* ante Acesten tenuit Siciliam : a quo et mons nominatus, ubi templum *Veneri Erycinæ*, quod ab Ænea dicitur excitatum : cujus simulacrum Marcellus postea Romam transtulit. *Taubm.* — Vide Excursus I et II, vol. III, pag. 90, ubi de accessu Æneæ ad Siciliam; et pag. 93, ubi de Eryce.

25. *Rite memor servata remetior astra*. Si rite remetior astra, paulo ante servata : scilicet ante tempestatem. Colligit autem vicinitatem ex ratione cursus, qui a peritis, horis colligitur, quas indicant astra. *Serv.* — *Remetior.* Eleganter *remetior* dixit ex disciplina Astrologorum, qui numeris, argumentis, et instrumentis astra metiantur.

28. *Flecte viam velis*. Ex re mirabilis nata declamatio. In terra enim a via deflectimus nos : in mari ipsam deflectimus viam : non ergo velorum viam, sed per vela ipsius cursus viam dixit. Ergo obsequere ventis, et in viam, quæ

32. It jam in semel deliberata; nam relinquit Italiæ cursum; divertit ad Drepanum; Zephyri flant secundi, atque ita classis fertur citissime. Ait *notæ arenæ*, quia jam fuerant in Sicilia; atque etiam Drepani.

35. Admirationem in Aceste successus parit: poterat enim suspicari classem esse in Italia, ut qui nesciret tempestate delatam esse in Africam. Ex occasione describitur Acestis habitus, genus, humanitas: habitus, nam cum jaculis, et pelle ursæ libycæ: genus, nam filius Egestæ Trojanæ fœminæ, et Crinisi amnis Siculi: humanitas, nam Trojanos rusticanis divitiis solatus est, et excepit convivio, non tam sumptuoso, quam ad laborem statim sublevandum opportuno.

42. Parentis cura pium hominem ante omnia premebat: itaque vix pedem Drepani fixerat, quum sequenti die summo mane socios in locum unum conjungit, quibus ex aggerato tumulo proponit, adesse diem, ac tum compleri annum, quo Anchises fuerit terra conditus: qui dies tum acerbus propter magnitudinem doloris, tum in honore habendus propter apotheosin patris; additque se semper annua vota, solemnes pompas patri exstructurum, cumulaturumque donis altaria, etiam si esset inter Syrtes Afrorum, qui immanissimi; inter ipsos Græcos, qui acerbissimi hostes.

55. Pergit Æneas, dicitque, Deos fuisse adventus sui in Siciliam auctores: vocat portus eos *amicos* propter Acestem: hortatur jam ad celebrandam apotheosin Anchisæ.

59. Quam ad rem poscendi venti? ad certamen fortasse nauticum, quod jam instabat: vel, ut alii volunt, ad futuram navigationem: in quod inclinem; nam venti, qui necessarii ad ludos, qui peracti intra portum, et remorum tantum auxilio? pergit; *atque hæc me sacra*, etc. Sententia est; utinam ipse Anchises velit me quotannis ferre hæc sacra urbe posita, templis dicatis sibi; id est, post urbem positam; post dicata templa.

61. Circumstantia ad perficienda sacra ex Acestis liberali-

datur, vela converte; vel, obliquatis velis contende in Siciliam.

42. *Stellas fugarat.* Poetice dixit: nam si *stellæ* ab stando dictæ sunt, non fugantur; semper enim fixæ sunt præter planetas. Pindarus Olymp. Od. I, solem, ait, lucere *ἱμέρας διὰ αἰθέρος*, *per desertum ætherem*, nimirum fugatis reliquis sideribus suo splendore.

46. *Annuus orbis.* Quia menses in sese recurrunt, et annum faciunt. Unde et *annulus* quasi *annuus* dictus. Sic alibi, Georg. II, 402, « Atque in se sua per vestigia volvitur annus. » *Serv.*

tate, qui ut cognatus Trojanorum dabat *capita boum bina, munera in naves*, id est, boves duos navibus singulis. Inde admonet adhibendos ad hæc sacra, et Penates patrios, et Acestis.

64. Absolvit cum ingenti pollicitatione celebrandi apotheosin ad diem nonum; atque enumerat quatuor certamina, quæ editurus in honorem patris; principe loco nauticum; deinde certamen cursus; tertio jaculorum; quarto cæstuum : porro Trojæ non meminit, quod ultimum et quintum certamen; nam hoc, non tam ab Ænea, quam ab Ascanio exhibitum. Dubitet aliquis verba illa, *et qui viribus audax*, ad quod certamen pertineant; vel ad omnia, vel ad luctationem, quæ non exhibita : neutrum credo; non primum; quia cur eo magis loci posita pars illa pertinens ad omnia certamina, quam aut initio, aut in fine? non alterum; quia non sic solet esse obliviosus Maro : ergo refero ad cursum, ad quem cur non necessariæ audacia et vires? judicet, qui in simili certamine constitutus fuit. Sed quid illud? *incedit :* hoc genus hominum victoriam adepti incedunt per ora hominum magnifice, suasque victorias ostentant : apte itaque juncta, *incedit melior*.

70. Desinit cum admonitiuncula, qua paratos jubet esse, poscit favorem, atque invitat, ut sacris operaturi, capita ramis adornent.

72. Præit Æneas ad sacra, velat caput myrto, quæ sacra matri Veneri : hoc idem ad ejus exemplum faciunt omnes; ætas, inquam, omnis; viri; senes; pueri : vir Helymus; senex Acestes; puer Ascanius.

71. *Ore favete omnes.* Apto sermone osus est, et sacrificio et ludis : nam in sacris taciturnitas necessaria est, quod etiam præco magistratu sacrificante dicebat, *favete linguis*, *favete vocibus*, hoc est, bona omina habete; aut tacete. In ludis quoque necessarius favor est, quem propter plausum futuris spectatoribus dicit. Favet autem ore quis per taciturnitatem. Horatius posuit : « Favete linguis: carmina non prius Audita musarum sacerdos. » — *Tempora cingite ramis.* Ex Romano more : nam festis ludis omnis ætas coronata spectabat, quod ostendit per Æneam, Acestem, Ascanium; per quos omnem demonstrat ætatem.

73. *Hoc Helymus facit.* Princeps Trojanorum, qui dicitur in Sicilia condidisse civitates Ascam, Entellam, Segestam : alii dicunt eum post incensum Ilium, cum Aceste in Siciliam venisse, eique participem fuisse : alii Anchisæ nothum filium tradunt fuisse Helymum regem, in Sicilia genitum, et Erycis fratrem fuisse dicunt. *Serv.* — Vide Excursum III, vol. III, p. 93; de Helymo, Entello, aliisque et antiquitate Siciliæ.

75. Pergit mox ad tumulum : vide comitatum : hac enim frequentia induci oportebat principem omnium Æneam. Postquam accessit ad tumulum, sequuntur inferiæ, Græci dicunt χοὰς; fudit Æneas vinum meracum, lac, sanguinem; uniuscujusque bina pocula : addidit inferiis flores : *libans fundit;* libat, et fundit : *rite*, pure, explicatore Scaligero.

80. Voces omnes signatæ sunt, neque fusæ tantum currente vena : *Salve* vox est apotheoseon, ut et *sancte :* ideo *recepti cineres iterum*, quia post tempus insumptum Carthagine, iterum Drepanum rediit. *Nequicquam* παθητικῶς : ereptus enim Anchises fuerat a Trojano incendio, ut Italiam videret : sed frustra ereptus; nam non vidit; ideo sequitur, *Non licuit,* etc. Cur *animæque umbræque*, vide infra in Notis.

82. O vim fatorum! *Non licuit*, post tot errores *quærere tecum* (plena omnia ἐμφάσεων) *fines Italos*, *arva fatalia*, *Tibrim Ausonium :* et quia nunquam viderat, addit ἐκ μεγάλου πάθους, *quicumque est.*

84. Describitur magnitudo anguis, qui emicuit ex tumulo, ab septem gyris, ab septem voluminibus : deinde pulchritudo ab notis cæruleis, quæ erant in tergo : a fulgore, qui instar auri, squammarum maculas incendebat : a similitudine arcus cælestis contrahentis in nubibus varios multiplicesque colores, ex adverso Sole. Cave putes illa *cæruleæ notæ* esse in casu singulari; est enim rectus pluralis hac sententia; cui notæ cæru-

81. *Animæque umbræque paternæ.* Vocativus pluralis est : nam Plato, et Aristoteles et omnes periti dicunt in homine quatuor esse animas : unam *intellectualem*, per quam et cogitare et judicare possumus : alteram esse *sensualem*, vel ut in mutis animalibus, in quibus est sensus et timoris et gaudii : esse etiam *vitalem*, ut in vermibus, qui tantum moventur : esse etiam quartam infra omnes, quæ physice vocatur *naturalitas;* ut est in herbis et in arboribus, quæ etiam motu carent, vitam tamen habent; nam et nascuntur, et crescunt, et pereunt : inde est, « atque interfice messes. » His rebus colligitur hominem harum omnium animarum esse participem. De umbris autem facilis est probatio : nam si quatuor sunt animæ, sequitur ut tot sint umbræ; ut, si quis inter duas stet lucernas, geminam umbram creat. Hoc autem de animis etiam Lucretius asserit : sed non tantum veritati studet, quam sectæ Epicureæ. Alii ista fugientes, cum Donato dicunt *animæ* et *umbræ* genitivum esse singularem, velsit, *cineres umbræ et animæ paternæ*, quod non valde probandum est : nec enim umbra, aut anima cineres habet. *Serv.* — Sed ego puto poetam plurali numero pro singulari usum esse, ut passim vatibus mox est.

84. *Adytis ab imis.* Ecce, sicut

leæ erant per terga, et fulgor maculosus auro incendebat squammam.

90. Sequitur Æneæ stupor ad hoc prodigium: quid vero tum anguis? accessit serpendo ad pateras, ubi cibus; ad pocula, ubi merum, ac libatis depastisque omnibus, sese in tumulum abdidit, nullo illorum, qui aderant, nocumento. Duo observes: primum; opponit agmen longum septenis gyris; itaque quum apparuit, voluminosus apparuit; quum voluit libare, jam tum se in longitudinem exporrexit: alterum: *serpens* hic est obrepens, ut dicat, *anguis serpens.*

94. Dubitat Æneas, an anguis ille sit genius loci; id est, loci illius Deus sub ea forma apparens: an vero parentis Anchisæ famulus: utcumque vero eo omine excitatus pergit, vultque de integro sacrificare Anchisæ; nam hoc est, *instaurare honores:* respicit quippe ad ea, quæ præcesserunt, jam fuderat merum, lac, sanguinem: ergo *instaurat*, id est, renovat: nam *cædit bidentes*, et has *quinas de more:* cædit sues quinos; juvencos quinos, et hos nigrantes per terga ex ritu Deorum Manium: deinde fundit iterum vina; en instaurationem; vocat animam parentis; vocat manes remissos Acheronte: qui hi manes; profecto anguis ille, qui e tumulo exierat. Acheron non est solum flumen inferorum, sed ipsi etiam inferi.

100. Vide quo ardore alii incumbant in sacra, sequuti suum Principem. Verba omnia sacrorum sunt *ferre dona, onerare aras, mactare.*

102. Intellige lebetes per *ahena:* cui usui illi adhibentur, non liquet; alii ad lavanda corpora; alii ad elixandas carnes, quod negat Cerda; nam *elixa* nunquam in conviviis Virgilianis apponuntur: alii ad potum aquæ vel calidæ, vel decoctæ et refrigeratæ comparandum.

104. Adest jam dies nona ludis destinata; *exspectata*, quasi tardius venisset desiderantibus: diem hanc feliciorem reddit circumstantia Solis micantis, pura quadam et serena luce: itaque in verbis omen est.

dictum est, ubi tanquam de deo loquitur; templorum enim et deorum *adyta* dicimus. *Serv.*

95. *Incertus Geniumne loci, famulumne parentis.* Heroibus sacer erat draco, teste Turnebo, XIII, 12: unde serpentem famulum parentis vocat Æneas. Vide Plutarchum in Cleomene et Artemid. Quod locis et regionibus attributus sit suus Genius vel Deus, Meurs. pluribus docet ad Lycophr. pag. 346. *Emm.* Servius quoque ait locum sine genio esse nullum.

106. Duplex causa concursus; fama certantium; Acestæ nomen: placet enim hoc præ illo, *fama, et nomen Acestæ:* nam quid bis dicat, quod semel potuit? ergo *fama* ad Æneam spectat, qui ibi hospes novus: *nomen* ad Acestem, qui ibi Rex vetus: inde in effectu sequitur, *visuri Æneadas.*

109. Proponuntur certatoribus præmia ante oculos, ut illorum studia visis illis accendantur. Poeta septem numerat; tripodas; coronas; palmas; arma; vestes purpureas; argentum; aurum. Quo facto, tuba insonat: itaque vides duplicem ardorem immitti certatoribus, unum ab præmiis, alterum ab sonitu tubæ: præmia oculos, tuba aures, complent; et omnia animos excitant. Tripodes vocantur *sacri,* vel quia serviunt his certaminibus, quæ sacra; vel, quia illis templa ornabantur.

114. Quæ sunt in hoc tractu, horum breviter explicationem absolvam. Incipit itaque ab navali certamine, in quo describendo majores moras, quam in aliis trahit; fuit hoc enim reliquis speciosius. Quatuor, ut vides, certatores nominantur, et naves quatuor? ita omnia circumstantiis distinguuntur, ut mira sit poesis. Duces laudantur a posterorum nobilitate, quorum ipsi fuerunt capita: Mnestheus, Memmiorum, nam poeta *Memmi,* pro, *Memmii;* Sergestus, Sergiorum; Cloanthus, Cluentiorum; tacuit Geganios, qui a Gya; sed supplet hoc majore et ornatiore navis illius narratione: dixi de ducibus, vide jam ornatum navium; pristis Mnesthei velox est, nam ibi acres, et fervidi remiges. Chimæra Gyæ ingens, et ingenti mole, quasi opus urbis, et quia hæc moles; ideo non utcumque agitur, sed impellitur, et ab juvenibus, quia valentissimi, ideo *pubes Dardana:* quum ait *triplici versu, et remi terno ordine,* triremem signat: Centaurus Sergesti *magna* est: Cloanthi Scylla *cærulea.*

124. Describitur saxum metæ: hic scopulus hyberno tempore, et sævientibus fluctibus totus latet, undis submersus;

109. *Circo.* Hoc est in spatioso ludorum loco: non quod esset circus, sed in formam circi. — *Locantur.* Ponuntur. — *In medio.* Ut ab omnibus spectari possint.

111. *Et palmæ, pretium victoribus.* Zeugma utriusque lateris: nam *victoribus pretium,* et ad supra dicta et ad dicenda pertinet. *S.* — De his vide Fabri Agonist. II, 9.

114. *Prima certamina.* Punico bello primo naumachiam ad exercitium instituere Romani: postquam experti senserunt exteras gentes etiam navali certamine plurimum posse: ad quam rem in hoc certamine alludit poeta. *Serv.*

126. *Condunt ubi sidera Cori.* Id est, tempore nubilo, ait Scalig. P. IV, 16; vel, quando Cori, qui ab occasu æstivo spirant, nubibus sidera abscondunt et obruunt.

contra quum mare est placidum, et unda immota, tunc ipse attollitur, et longe eminet : campum tunc appelles; nam planitiem efficit, ad quam mergi confugiunt, qui quum sæpius mergantur, locos amant Soli expositos, et apricos. In hoc saxo constituit Æneas metam ex ilice, quæ pro signo esset nautis, ut scirent, unde revertendum, ubi circumflectenda navigia.

131. Dedit sors locum cuique navium, non principum dignitas; nam ea omnes pares. Principes vero ipsi Mnestheus, Gyas, Sergestus, Cloanthus, ex magno decoro inducuntur auro et purpura prælucentes.

134. Præclare juventus, quæ ad victoriam aspirat, coronatur populo, quæ arbor victoriæ omen habet, ex quo illa coronatus est Hercules. Signate humeri remigum inunguntur ad remos agilius versandos : ait *nudatos humeros*, quia hic habitus remigum est, *nitescit perfusa oleo humeros*, id est, perfusa oleo per humeros

136. Sedent in transtris omnes simul remiges; ideo signate *Considunt*. Vide vero, ut expliccm quæ sequuntur; *Brachia* remigum *intenta remis exspectaut signum intenti*, id est, illius qui præerat huic negotio; illius qui daturus signum. Sequuntur notæ duæ comparantium se ad certamen, *pavor* et *cupido;* in quibus poesis mira : nam *pavor* et *pulsat*, et *haurit corda* [illegible]*ultantia;* et *cupido* tota est ad laudem *arrecta*.

139. Sententia clara est; quid morer in ea explicanda? tantum expende : sonat tuba dactylicis; nullus enim spondæus in istis *inde ibi clara dedit souitum tuba;* factum hoc ad indicandam celeritatem prosilientium : nam, si in tuba essent tarda molimina, videretur inferri torpor certatoribus. Ideo de istis pari alacritate, et nullis spondæis; *finibus omnes, Haud mora prosiluere suis*, ubi frequentissimæ vocales cum hiatu, quasi

131. *Circumflectere.* Bene uno sermone profectionem complexus est et reversionem. — *Ductores;* domini navium, non gubernatores. *Serv.*

136. *Intentaque brachia... Intenti.* Servins quidem et *intenta brachia* et *intenti Juvenes* agnoscit : neque tamen idem repetitum, quum diversa sit significatio : aliter enim brachia, aliter mentem intendimus, ait ille. — Toto corpore et animo ad signum, quod exspectabatur, intenti erant, qui brachia remis intenta habebant, id est, brachiorum parata virtute remos tenebant. J. C. Scaliger suavissimam in his verbis ταυτότητα, mutato sensu, agnoscit et laudat. Cerdæ sensum in explicatione relatum non probaverim.

139. *Finibus omnes.* Secundum naturam primum generali usus est descriptione, venturus ad specialitatem. *Serv.*

illis aperiatur via per maria. Non dissident quæ sequuntur; nam celeusma ita attollitur, *ferit æthera clamor Nauticus*. In versandis tantum remis fiunt moræ; nam necessariæ; ideo freta *adductis spumant* brachiis : sequitur mira poesis de sulcis factis per mare, de mari ipso dehiscente ac convulso remis rostrisque.

144. In comparatione par celeritas; imo volatus : nam de curribus, *præcipites*, *corripuere*, *ruunt*, *effusi* : pertinent hæc ad pernicitatem, qua naves comparantur cum curribus. Quid vero ipsi navium ductores? non secus rem gerunt, atque aurigæ, qui *proni pendent in verbera*, *immissis jugis*, *loris undantibus*.

148. Divina hæc; quum enim præmittat tria, videlicet plausum, fremitum, studia; sequuntur tria, nimirum, *nemus consonat; litora volutant vocem; colles resultant clamore;* et omnia proprie : nam sonitum nemoris possis referre ad plausum, ex vicinitate utriusque vocis in significato : vocem volutatam ad fremitum virorum : resultantes colles clamore, ad studia faventium cum clamoribus. Possis Græciam totam conferre cum his versibus; et certe non illa satis!

151. Placitum vati ad delectationem, qua semper vult capere suos lectores, variare hic nomina. Itaque jam Gyan, et Cloanthum inducit, qui Chimæra et Scylla ferebantur : jam omissis ductoribus, Pristin et Centaurum nominat pro Mnestheo, pro Sergesto. Sed jam ad sententiam : fuit gloria prima Gyæ, qui reliquis promptior in primo exitu : signata verba, *effugit*, *elabitur*. Secunda gloria in exeundo, Cloanthi fuit : nam tametsi illius navis Scylla melior esset Chimæra Gyæ, remo-

144. *Bijugo*. Pro *bigarum* : nove dixit. Sane et hoc celeritatis est : plures enim se impediunt. — *Carcere*. Usurpavit : nam *carcer* est numero tantum singulari, custodia noxiorum : *carceres* vero numero tantum plurali, ostia, quibus equi arcentur : unde et *carceres*, quasi *arceres*, secundum Varronem. *Serv.*

147. *Jugis*. Pro *equis jugalibus*. Jugales equi Græce ζύγιοι ἵπποι. — *Pronique in verbera pendent*. Nullus satis sermo occurrit, quo possim tantum hunc affectum explicare : is est Virgilius, quem sæpissime sentiendo magis debeas meditari, quam interpretari loquendo. Nota hemistichium hoc, ubi nullum otium in rectoribus, nullum in equis tempus vacuum a metu. Sed est aliud, quod hic notes; sicut supra in præterito *corripuere*, et deinde in præsenti, *ruunt* : ita nunc quoque, *concussere*, et deinde, *pendent* ; nam, quemadmodum equi, qui corripuere ab ipsis carceribus cursum, jam nunc ruunt : ita aurigæ, qui initio concussere lora ad illos excitandos, jam nunc sine ulla intermissione pendent semper in verbera : adeo sibi Poeta est consonus!

rum substantia; tamen lignorum genere, quibus fabricata erat, et pondere erat tardior.

154. Pristis et Centaurus, naves Mnesthei, et Sergesti, contendebant inter se superare locum priorem, id est, utra esset prior. Itaque de tertio loco contendebant; neque enim tunc isti duo aspirabant ad gloriam Gyæ, et Cloanthi. Erat vero jam Pristis victrix, jam Centaurus; jam simul ambæ ferebantur, sulcabantque maria.

159. Quia nimirum Æneas metam constituerat in scopulo. Amittit gloriam suam Gyas culpa Menœtæ navarchi sui; qui saue Menœtes ut ad litus, ad saxa, ad lævam accederet; nullis vocibus sui principis adduci potuit: itaque navem ad dextram detorsit cum magno incommodo victoriæ, ad quam Gyas aspirabat. Interea Cloanthus interior radit viam sinistram inter saxa scopuli et navem Gyæ; qui modo fuerat prior, et quem nunc præterit securus æquoris, et meta superata.

172. Exprimitur vis doloris ab ardore, et ossibus in quæ ille penetrabat; immo quæ absumebat. Accedunt lacrymæ ad dolorem; accedit furor: nam socium salutis suæ præcipitem deturbat in pelagus; et *oblitus decoris*, quia est indignum principe homine, ut pœnam ipse ab alio, aut supplicium sumat suis manibus.

176. Rem gerit ipse pro Menœte, tum gubernando, tum hortando, conaturque clavum torquere ad litora, id est, ad scopulos, ubi erat meta, unde Menœtes fugerat.

178. Mira hypotyposis hominis ab unda emergentis: rem circumstantiæ exornant, quas tute expende: nec fuit prætermittendum, quin vulgi spectantis mos indicaretur, ut huic loco quæreretur festivitas.

171. *Metis tenet æquora tuta relictis.* Hæc fuit felicitas Cloanthi, ut citius ad metam perveniret, quia interior ivit, id est, sinisterior; itaque evasit inter navem *Gyæ*, et inter scopulos, qui erant ad saxum illud, ubi sita erat meta; evasit vero in pelagus jam expeditum et liberum. *Cerda.*

174. *Decorisque sui.* Inhonestum enim est irasci, duci præsertim. — *Sociumque salutis.* Possumus intelligere, *oblitus salutis suæ socium*, id est, gubernatorem, ut Cerda: possumus et *socium salutis oblitus*, pro *sociorum*, præcipitato scilicet gubernatore; quod magis placet. — *Clavum.* Fusteum gubernaculi. *S.*

178. *Fundo vix tandem redditus.* Præcipitatus Menœtes, et *vix*, et *tandem* emersit ex undis: ideo *tandem*, quia *vix*. Dicit caussas difficultatis et moræ: cadenti enim in præceps, ne mature possit emergere, impedimento fuerunt et vestes et senectus. *Donat.*

183. Hæc tantum lectore egent. Cecidit Gyas a gloria, hanc illi Cloanthus eripuit : itaque jam secundus est, qui primus fuerat : sed ad hunc secundum gradum, qui misero fuerat reliquus, Sergestus quoque et Mnestheus aspirant. Ibat ante Mnestheum Sergestus, propinquior scopulo, in quo erat meta; sed ita tamen, ut non toto navigio superaret, sed esset prior parte tantum quadam; nam Pristis Mnesthei, si non toto corpore, saltem rostro partem Centauri æquabat, qua vehebatur Sergestus. Ita toto conatu pro laude certabatur inter Centaurum, et Pristin; hoc est, inter Sergestum et Mnestheum.

188. Ubi vidit Mnestheus fieri posse, ut Centaurum Sergesti præcederet, essetque in secundo loco propiorque Cloantho, remiges suos acriter exhortatur; ratio triplex est, sumptaque a virtute ipsorummet remigum, et laude : « Incumbite in remos acriter, ut decet viros, non e vulgo, sed qui *Hectorei socii*, en prima; sed *quos delegi comites suprema sorte Trojæ*, abjectis aliis; itaque vos estis socii Hectoris, Mnesthei comites, en altera; sed quos jam Getulia suis syrtibus, jam mare suis periculis satis exercuit, en tertia. Ergo promite nunc vires illas, quas cum Hectore ostentastis per decennium in acie, quas mecum in extrema expugnatione Trojæ, quas in mari adversus procellas. »

194. Ingens emphasis in voce *Mnestheus;* quasi dicat : ego qui Mnestheus sum, ac perinde qui debuissem vincere, et primum locum tenere, non jam Mnestheus, neque pro loco primo, neque pro victoria certo. — *Quanquam o!* expende ipse quid intus lateat. Addit : *sed superent quibus hoc, Neptune, dedisti*. Scaliger notat in tanto ardore juvenis non defuisse pietatem : itaque abstinet ab ea victoria, quæ non ex Numine.

196. Est vox ista, *Extremos pudeat rediisse*, magni et cordati viri : illud, *hoc vincite cives*, est, vel vincite et contendite, ne extremi sitis : vel hanc unam mihi victoriam date : hoc unum vincite, nihil aliud : *et prohibete nefas :* nihil hic nefarium, sed ad excitandos animos; quasi nefas, rediisse extremos, non vincere.

197. Sequuntur versus divini, quibus studium certamenque remigum ita magnum significatur, ut nullum esse majus possit. Verba prima quasi causa sunt eorum, quæ sequuntur : nam quia summum est certamen, quo usi remiges, inde *puppis tremit, solum subtrahitur*, ad vastas videlicet grandesque vires re-

195. *Quamquam o*. Tamen utinam vincere possem! duplex affectus : primum optat victoriam; deinde votum corrigit, maris Deum veneratus.

199. *Subtrahiturque solum*. Uni-

migum : est *anhelitus*, *sudor;* ille *creber*, hic *quatit;* optimo judicio poeta voluit non *incumbo*, sed *procumbo*, ut habitum remigum exprimeret, qui proni, et inclinati ad opus : ait *ora arida*, qui *sudor fluit undique rivis:* quippe ex copioso sudore factum, ut essent ora arida. Et quis non videt acumen? in rivis est ariditas: centena hæc in Marone, si habeas oculos!

201. Concitati remiges oratione Mnesthei, victoriam obtinent; horum studium, et Mnesthei fortunam juvit infelix successus Sergesti, quem sic narrare aggreditur: ibat Sergestus interior, id est, breviore spatio, quam Mnestheus, ad metam. Præ furore autem animi, atque ardore victoriæ, forsitan hæsit in scopulis, qui erant ad metam; illi enim in mare excurrebant, unde poetæ dicuntur *saxa procurrentia.*

205. Signatur per hyperbolem impetus delatæ navis, quum et ipsi scopuli concussi fuerint. Vide vero ut navis miserandum in modum laceretur: *remi crepuere*, quia *obnixi*, (notatur impetus) *in murice*, et hoc *acuto :* deinde *prora illisa pependit*, quo spectaculo in navibus nullum miserabilius.

207. Vide jam remiges cogitantes, non de victoria, sed de salute: ita certe fit in exercitibus. *Consurgunt nautæ*, relinquentes remos : *morantur clamore magno*, qualem credibile est excitatum in eo infortunio : *expediunt sudes*, et contos, quæ instrumenta necessaria ad salutem; illas *ferratas*, hos *acuta cuspide :* deinde *legunt in gurgite remos fractos;* sic ordina; non *fractos in gurgite.*

210. Vide varietatem poeseos, ab unius infelicitate ad alterius felicitatem. Sergestus *infelix* fuit; Mnestheus *lætus:* ille *hæsit*, hic factus est *acrior* alacriorque: illius *remi fracti*, hic pergit *agmine remorum :* ad moras illius, nam *morantur* dixit, opponit hujus celeritatem, quæ auxilio remorum, et ventorum : ille miserrimus est *in gurgite*, *in saxis*, in *spatio iniquo ;* hic *petit prona maria*, *apertum pelagus.*

cuique rei quod subjacet, *solum* ei est : unde est *solum navis* mare, et aer avium : et est verbum, cujus perlucida significatio per naturam non invenitur. *S.*—Ovidius: « Astra tenent cœleste solum. »

212. *Prona maria.* Servius male interpretatur vicina litoribus. Facilitatem reditus demonstrare voluit poeta: *pronum* enim dicimus, quicquid difficultatem non habet, et *arduum*, quicquid difficulter superatur. Hic *maria* tam plana, tam facilia sunt, ut quasi in campo declivi *pronus* et *præceps* currere videatur. — *Pelago decurrit aperto.* Signate dicit, *decurrit :* quasi alto mari, quod proprie *pelagus* est : *apertum* vocat, scopulis aut brevibus non infestum.

213. Dicit, columbam initio volatus, quum primum exterretur, plausum edere, et strepitum, quod ex natura ejus animantis, quamvis deinceps tranquillissime volet: sic navem Mnesthei primum sese expedivisse cum aliqua difficultate inter moras naufragiumque Sergesti, quum tamen deinceps aperto æquore et tranquillissime volaverit. Perpende quæpiam: *Dulces nidi*, propter amorem prolis, qua nihil dulcius: egregie usurpat vocem, *pumice*, ad locum plenum foraminum et hiatuum, in quibus sunt nidi: quum ait, *latebroso*, adumbrat Homeri χήραμον: quum ait, *plausum ingentem*, naturam hujus volucris: quis non audit ingentem strepitum, quum ea volare incipit? certe quo tranquillior in reliquo volatu, eo strepitantior in primo: ideo postea opponens, *lapsa*, et *quieto aere*, et *iter liquidum*, et *radit;* in quibus omnibus mira tranquillitas: jam quis non videt acumen illud? *celeres neque commovet alas:* in summa celeritate non est commotio: quid pulchrius potuit? sic supra, in ariditate sudor.

218. Accommodat rei comparationem: sic Mnestheus fugit; parum fugit; imo sic Mnestheus volat: itaque non contentus *fuga secat*, addidit *volantem*. Inveniunt hic miserrima ingenia tautologiam: pudeat: immo *fugit*, cum respectu ad avem, quæ exterrita e tecto volavit; est enim fuga territi; et *volat*, ut deinde columba volavit per aerem liquidum.

220. Pergit accommodatio: ut columba fugit tectum, sic Mnestheus deserit Sergesti locum iniquum, ubi luctatio cum scopulis, cum vadis; ubi frustra auxilia vocantur; ubi fractis remis nova ars addiscitur currendi per maria. Ut columba labitur jam per quietum aerem, ita Mnestheus Gyan, et Chimæram ejus consequitur: hæc quippe navis *cedit* jam, et fatiscit: ratio, *quoniam spoliata est magistro* Menœte.

225. Vide quo spes victoriæ in Mnestheo assurrexerit: jure dixit Seneca Rhetor, Controv. libri V per initia, semper mortalibus spem esse reliquam. Erat Cloanthus jam in ipso pæne victoriæ fine; erat in exitu gloriæ; et eo tamen aspirat Mnestheus; Cloanthum petit; hunc urget, summas intendens vires.

227. Tantam spem accendit vulgi clamor, favor spectatorum, studium omnium: omnia ita magna, ut etiam æther ipse insonaret.

229. Quippe Cloanthus et socii ægre ferunt, sibi e mani-

222. *Fractis discentem currere remis.* Jocose et argute: et habet speciem proverbii, in eos qui tenui præsidio nituntur. *Taubm.*

bus victoriam abripi, ac *decus* jam pæne *partum*, et veluti *proprium;* atque ita *volunt pacisci vitam pro laude:* id est, mutare ex pacto vitam cum laude; eligere mortem pro laude.

231. Mnestheus contra, et qui cum illo, ex successu, quo Sergestum vicerant, sperabant quoque fore, ut Cloanthum fortasse aut superarent, aut certe æquarent: sententiam nota dignam Marone, *possunt, quia posse videntur:* ita certe sæpissime fit in conatibus.

232. Qui *æquatis rostris?* nonne potius superatis? sententiam accipe: cepissent par præmium æquatis rostris: ad hanc enim solum gloriam aspirabat Mnestheus, non ut superaret; nam hoc sperare amentis et temerarii esset, quum jam Cloanthus esset in ipso pæne exitu et fine victoriæ: inde supra Mnestheus idem: « Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo. » Contra vim Mnesthei nihil jam habet Cloanthus, quod opponat, nisi vota, et preces.

235. Sequitur Cloanthi votum ad Deos maris, quod continet, taurum, exta, vina; et locum, nam taurum in litore; exta et vina, in fluctus: omnia ex more, non res solum, sed etiam verba.

239. Auditur Cloanthus a Diis marinis, ipse inprimis Neptunus manu propria euntem navem impulit: quo facto non jam ire est visa, sed volare citius Noto et sagitta; donec ad terram pervenit, et portui successit, lustrato jam et circumito scopulo, ubi erat meta.

244. Quo major sit victoris gloria, cunctos jubet vocari, ut cuncti sint honoris spectatores: vocatis jam *declarat Cloanthum victorem;* non sua, sed *præconis voce*, et *magna*, ut ad omnium aures perveniat; hoc per præconem: ipse vero Æneas manu sua, sic est credendum, *advelat lauro viridi* Cloanthi *tempora;* quamvis Taubmannus aliter censuerit.

247. Præter munera, quibus affecit ipsos victores, navibus

233. *Ni palmas.* Festivum commentum, sed tamen pium: quo docetur omnem victoriam cælitus dari: unde et *Victoriam* deam pinnatam finxerunt, ut e cælo devolare posset. Romæ Victoriæ simulacrum de cælo tactum fuit; ejusque solæ alæ deciderunt. Illud prodigium faustum esse interpretatus est Pompeius; quod inde avolare Victoria amplius non posset. *Taubm.*

237. *Voti reus.* Debitor: unde vota solventes, dicimus *absolutos*: inde est, « Damnabis tu quoque votis », quasi reos facies. — *Porriciam.* Exta projiciuntur in fluctus: *aris projiciuntur*, hoc est porriguntur: nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri; quod si

assignavit juvencos ternos, vina, argenti talentum : itaque voluit, ut remiges quoque et navarchi, qui una insudaverant, participes essent lætitiæ. Ista remigibus et navarchis; victoribus vero ἐξαιρέτως donat καὶ κατ' ἐξοχὴν, hoc est enim *præcipuos honores*. Sed qui hi victores? Certe Cloanthus, Mnestheus, Gyas: nam Sergestus non victor, sed victus; et illi potius ex *promisso*, quam ex victoria datum præmium : inde est, ut illa *munera in naves* capiam tantum de navibus Cloanthi, Mnesthei, Gyæ : nam hi præsentes, non Sergestus : et *terni juvenci* non sunt, terni singulis navibus; sed cuilibet unicus; et ideo terni, quia naves tres.

250. Pergit ad præmium, quod datum victori omnium Cloantho; hæc est chlamys : describitur hujus materia, forma : materia; nam ex auro, et purpura; et hæc purpura facta ab artificibus insulæ Melibœæ : nam hæc purpura instar fluvii duplicis per vestem fluitabat vario cursu recursuque : quæ pertinent ad purpuram capienda tantum de ora, et fimbria. Quæ sequuntur, omnia pertinent ad formam : placuit vero poetæ historiam Ganymedis intexere huic operi ex magno judicio : celebrat enim princeps Trojæ Æneas principis pueri Trojani successum, non confugiens ad alienas historias.

258. Fit transitus in particula *at*, ad Mnestheum alterum principem e certatoribus, et cum significatione non vulgari, quasi dicat : Cloantho, qui adeptus est victoriam precibus et votis, data est chlamys, quæ etiamsi militaris, tamen cum textu auri, cum purpura, cum Mæandris, cum fabula Ganymedis; at viro illi, qui, non precibus, sed virtute obtinuit secundum locum, datur lorica hamis et auro conserta, id est, hamis aureis : et hæc trilix; nam hami erant triplicati, atque instar liciorum; qui etiam politi, et lævigati. Hanc Æneas ipse

est, *porriciam* legendum est, id est, *porro jaciam*. Serv.

248. *Dat ferre*. Græcum est duo verba conjungere, ut paulo post : « Donat habere viro » : sed hoc datur poetis. *Serv.*

252. *Regius*. Trois regis Phrygiæ filius. — *Intextusque puer*. Significat, chlamydi intextum fuisse, quo pacto Ganymedes, Trois regis filius, in venatu ad montem Idam ab Aquila in cælum sit raptus. De quo et Hom. Iliad. XX; et Ovid. Metam. X, 5. Comparat autem hæc cum aliis Scalig. V, 16. *Taubm.* — Vide Excursum IV, vol. III, p. 94, de raptu Ganymedis huic chlamydi intexto.

258. *Virtute secundum*. Quia primus favore vicerat numinum : unde et præmia dantur congrua : illi chlamys, deorum contiuens fabulam : huic lorica, id est, virtutis insigne. *Serv.*

Demoleo in victoria detraxerat, qua indutus Demoleus afferebat exitium et vastitatem Phrygibus. Extrema hæc jam pertinent ad commendationem loricæ; quæ commendatio quintuplex: prima, quod allatura esset Mnestheo non gloriam solum ac decus, sed etiam tuitionem: altera, quod Æneæ tunc esset, quæ laus non modica: tertia, quod prius Demolei fuisset, viri fortissimi: quarta, quod in certamine, eoque decennali, et ante mœnia Trojana, erepta esset hosti, gloriosissimi spolii loco: quinta, quod eo esset pondere propter multiplicem innexionem liciorum hamorumque, ut vix illam ferrent famuli duo. In particula, *at*, quum ait, *indutus at olim*, etc. eadem vis ac supra: quasi dicat: vix loricam ferebant duo famuli, quum tamen Demoleus indutus illa Troas ageret, in fugamque verteret.

266. Tertius Gyas accipit pro præmio duos lebetes, cymbia etiam duo: commendatio lebetum, quia *ex* ære; cymbiorum, quia *ex argento*: in materia; et cum *signis asperis*, hoc ad formam pertinet; et omnia *perfecta*.

268. Habent hæc jucundam varietatem: incedunt victores cum donis, et coronis; atque eodem tempore Sergestus miser agit navem irrisam, et sine honore, quam vix potuit revellere ab scopulo, in quem se induerat: scopulum *sævum* dicit, id est, durum; eamque agit, amisso uno ordine remorum. Dixi has quatuor certatorum naves fuisse triremes, hoc est, triplici remigum ordine: quorum unum amiserat navis Sergesti: itaque claudicantem navem cum risu Trojani accipiunt, non aliter atque in cœtibus fieri solet, si quis adveniat cum insigni aliqua deformitate corporis.

273. Sententia est, navem ita se tarde commovisse, ut solet serpens, quem aut rota currus, aut saxum viatoris contrivit

261. *Simoenta*. Venit a nominativo Græco, non in ις, sed in εις, exeunte: ut σιμόεις, σιμόεντος. — *Sub Ilio alto*. O brevis fit sequente vocali. *Serv.* — Græcorum imitatione, qui pro Poetica opportunitate et modulo, vel eliduut, vel retinent vocalem corripiendo ante vocalem.

262. *Decus et tutamen*. Quia triplex et aurea. *Serv.* — *Decus*. Propter aurum. — *Tutamen*. Propter texturam trilicem laudat Demoleum, quia illa armatus agebat hostes. Laudat magis Æneam, qui illum vicerit ac spoliaverit, et portaverit. Laudat eum, cui donatur, quia et ipse portare optime posset, et ideo esset dignus dono.

269. *Puniceis tænis*. Vittis roseis: et significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus et discoloribus fasciis: et sicut dicit Varro, magni honoris sunt. *Tænis* autem

in cauda postrema : habes obiter elegantem hypotyposin colubri, quum ferox est illato vulnere : nam quum pars caudæ, quæ tota lacera est, et clauda, nexet se in nodos, plicet se in spiras; tum pars illa, quæ ad caput, et sana est, ferocissima sævit, ardent oculi, caput attollitur cum minis et sibilis. Est *retentat*, tentat se sæpius, conaturque ad motum. *Serpens obliquus* est, exporrectus transversum.

280. Hunc in modum navis tarda erat remigio; nam videlicet debilis et clauda uno ordine, quum tamen vela, quæ erant supra, omnia essent sana, ideo *plenis subit ostia velis :* ita sane serpens claudus erat ad caudam, sanus ad caput : ideo hoc sublatum, illa repens. Nota acumen ex oppositione *tarda remigio* : nam remigium quidem ad celeritatem est, non ad tarditatem.

282. Quasi non ex merito, ideo *promisso munere;* neque tam illius cura habita, ut victi, quam quia servata navis, recuperati socii : ideo *lætus donat.*

284. Triplex præmii commendatio : erat serva sciens texturæ lanificiique; erat Cretensis genere; erant illi sub ubere infantes gemini. Acumen invenit Turnebus lib. 26, cap. 17 : Datur enim *serva* ob *servatam* navem : possis etiam dicere, homini imbelli datam in præmium fœminam.

286. Pergit Æneas ad locum, ubi peragendum secundum certamen, id est, cursus. Describitur hic locus : prima pars descriptionis; nam campus *gramineus :* pars altera, *quem collibus undique curvis Cingebant sylvæ :* pars tertia; nam locus ille

modo vittis : alias villarum extremitates dicit : ut « Fit longæ tænia vittæ. » *Serv.*

*276. *Tortus. Hos tortus :* id est, sine causa tentat incessus. — *Tortus* vocat elationem et vibrationem spiræ, τὴν καμπὴν, ἢ ἐπιστροφήν : et ut Cicero, « Vidimus immani specie tortuque draconem Terribilem »

278. *Clauda.* Ab homine transtulit. Cicero pro Milone, « Mancam ac debilem Præturam tuam. » *Serv.* — Ita Tacit. Ann. lib. II; de navibus fractis : « Claudæ naves raro remigio revertere. » Ita Lucr. de avib. lib. VI. « Claudicat extemplo pennarum nisus inanis. »

281. *Vela facit tamen.* Ἀνακόλουθον. Nam non præmisit, quamquam remigare non possit. *Serv.* — *Plenis velis.* Facit contra nauticam consuetudinem : nam subituri portum demittunt vela; sed necessitas coegerat, quia carebant remis.

287. *Gramineum.* Graminosum : *gramineum* est ex gramine, *graminosum* gramine abundans. — *Collibus undique curvis*, etc. Mutavit : non enim silva colles habet, sed est in collibus silva : debuit dicere, quem colles cingebant silvis. *Serv.*

formatus erat in modum circi in media quadam theatri valle. Conjunge omnia : locus erat herbosus gramine, cinctus sylvis, ad speciem circi : ergo *huc Æneas tulit se medium cum multis millibus, reseditque in consessu exstructo :* huc quum venisset, cœpit hortari ad cursum animos illorum, qui aderant, invitamento præmiorum.

293. Quia multi, et una Teucri, et Sicani, ideo *conveniunt* signate ; non veniunt. A confusa Teucrorum et Sicanorum mentione, discriminat jam, qui Teucri, qui Sicani. Primos Teucrorum memorat Nisum et Euryalum. Hoc habet eximie Virgilius, ut, quoties plurima nomina subinfert, aliqua interponat levando tædio nominum. Est enim tum jejuna oratio, tum plena tædii, quum multa nomina unico tractu audiuntur, nulla re interposita : in quo sæpe Homerus peccat. Vide in his versibus, quam multa sint ad jucunditatem composita : in Euryalo formam corporis laudat; in Niso castum amorem erga Euryalum; in Diore regiam stirpem; in Salio et Patrone genus; in adolescentibus Trinacriis studium venandi. Quam insipida esset oratio, si diceret : Nisus, Euryalus, Diores, Salius, Patron, Helymus, Panopes! de nominibus eorum vide Excursum III, vol. III, pag. 93.

303. *Quibus Æneas* positus *in mediis omnium, deinde locutus est sic :* vel *in quibus mediis Æneas* positus, etc. *Accipite.* Est, audite. *Lætæ mentes*, sunt alacres et promptæ.

305. Promittit se omnibus daturum præmium, tam victoribus quam victis : itaque omnes cursores habebunt duo spicula Cretensia, quæ laudatissima; est enim Cnosos, urbs Cretæ; quæ etiam commendat à nitore; nam erunt *lucida ferro lævato*, id est, lævigato : deinde habebunt bipennem, quam commendat a materia et arte; a materia, nam ex argento; ab arte, nam addita argento cælatura : ita explicandus hic locus; non enim dicit, cælatam fuisse argento.

295. *Viridique juventa.* Ætates omnes Varro sic dividit ; « infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventam, senectam. » Hæ tamen singulæ trifariam dividuntur, ut sit prima, viridis, præceps : hinc est, « Et viridi juventa » : et, « cruda deo viridisque senectus » : sic Ovidius, « viride ævum. » Item Sallustius, « sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre sua veneno interfecta. » *Serv.*

302. *Quos fama obscura recondit.* Hoc dicendo per contrarium illos omnes esse nobiles indicavit.

306. *Levato lucida ferro.* Sic Stat. Theb. lib. I : « Pars teretes levare manus, pars ponere mensas. » *Levis* et *levare* scribendum absque diphthongo : consuetudini est op-

308. Quum omnibus tam victis, quam victoribus, daturus sit bina spicula, et bipennem; promittit deinde tribus primis peculiaria præmia; ita vero peculiaria, ut corona tamen futura sit communis tribus primis; ideo sequitur *flavaque caput nectentur oliva.* Numerat jam præmia trium singulorum, et omnia cum elogio: non minus certe versus phaleratus, quam ipse equus. Alteri pharetram, et sagittas; illam *Amazoniam:* nam ea forma, qua usæ Amazones; has *Threicias,* nam Amazones potissime in Thracia consederunt. Sed quod ornamentum pharetræ? Hanc, inquit, *balteus circumplectitur auro lato, et fibula subnectit gemma tereti.* Dices forsitan: alterum ergo otiosum, aut complexus balthei, aut fibula? non ita sane: baltheus pharetram tenebat complexu suo; fibula baltheum ipsum nectebat suo morsu: itaque fibula nihil ad pharetram. Alii aliter: non pugnem.

314. Tertio galea Argolica; et *hac* δεικτικῶς, et quia parvum munus, ait Servius, ideo *contentus abito.*

315. Clara omnia: nota celeritatem cursorum, ex dactylicis volantibus, qui crebri: ex vocalibus hiantibus, quasi illis aperiatur via ad cursuram: ex comparatione cum nimbo, cujus instar effusi. Sed illud? *simul ultima signant:* nihil amplius requiro, ubi est Servii duplex interpretatio hæc: « *ultima signant:* intuentes et notantes *ultima* spatia, id est, finem aviditate vincendi; et decst, visu, ut Cicero, notat et designat oculis: aut *signant ultima,* arenæ scilicet summitatem signant vestigiis, ut alibi: vix summa vestigia signat arena. » Vestigium signatum cursu ἴσχιος δρομαῖον vocat Xenophon.

318. Omnium victor initio cursus Nisus fuit; *longe* enim *emicat ante omnia* aliorum *corpora:* ideo de illo grande elogium, *ocior ventis, et alis fulminis.* Niso ita fuit Salius *proximus,* ut *longo intervallo:* non ita Euryalus Salio; notat enim

ponendum vocis etymon λεῖος glaber. Vid. Dausq. orthogr. *Emm.*

311. *Amazoniam pharetram.* Vel quasi Amazoniam; vel ea forma, qua utebantur Amazones; vel revera a bello Amazonico superstitem, cui Priamus cum Anchisa interfuit.

314. *Galea.* Galeam Varro a galero deducit: sunt qui ἀπὸ τῆς γαλέης, fele, aut mustela; dicuntque galeam proprie esse, quæ a feris petitur. Isidorus certe sic discernit, « cassis de lamina est; galea de coriu. » Tacitus de Germanis; Statius lib. VII, adjuvant etymon.

320. *Proximus huic.* Secundum hunc locum; *proximum* autem dicimus etiam longe positum nullo interveniente. *Serv.* — *Sed longo proximus intervallo.* Ita et Cic. in Bruto: « Duobus summis proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. » *Taubm.*

vicinitatem *post deinde :* pust Euryalum Helymus : postremus fuit Diores; sed ita postremus, ut tamen volaret, et calce suo Helymi calcem attereret ex æquo cum illo, et ad latus currens, non a tergo: incumbebat enim humeris Helymi : ita vero urgebat, ut si spatii plus ad currendum suppeteret, transiret, relinqueretque ambiguum, id est, ambigentem de cursus palma; quasi dicat poeta; si plus spatii superesset, Diores Helymum præteriret, qui secum juris in cursu ambigui fuit.

327. Ornat poesin suam divinus præceptor variis casibus e bono in malum, e malo in bonum : nam Nisi infelicitas aliis fuit commodo. Sententia vero est; Nisum jam prope finem cursus concidisse lapsum, lapsantemque in sanguine lævi, id est, lubrico, ubi hic sanguis erat humi fusus, herbasque madefecerat, ac lubricas reddiderat, ab juvencis ibi fortasse cæsis : ibi itaque quum esset pæne jam victor atque ovans, presso solo vestigia cœperunt titubare, donec tandem concidit in fimo boum, et cruore sacrificii.

334. In summa miseria non est Nisus oblitus Euryali, quem mire amabat : itaque oppunens se currenti Salio, traxit illum ad ruinam : quo facto jam Euryalus amici munere ante alios emicat, ut prius Nisus; volat; tenet prima, acclamante populo, et favente plausu : sic jam factum, ut tertius esset Diores in exitu cursus, qui initio ultimus : cumulata ad lapsum Nisi omnium fortuna.

340. Salius, qui Nisi dolo, præmium sibi eripi dolebat, convertit se vociferabundus ad populum, et ad patres spectatores, qui primi, et principes in eo consessu, supplicans pro honore.

324. *Calcem calce terit. Calcem* dicimus unde terram calcamus : recte dixit : *Calce calcem terit;* nam in cursu pari, æquata linea utriosque calcibus ita dirigebatur, ut calces inter se attererent; quod fieri non potuit, si alter subsequatur : quum currimus certatim, nunquam quemquam sequimur; neque enim ullum antecedentem præcurrere aut superare possemus, si in ejus vestigia pedes poneremus : sed a latere cursum continuamus, quemadmodum ipsis in carceribus constiteramus : neque si par sit in duobus celeritas, alter alterius occupare cursus lineam audeat. — Heynius aliter explicat, quem vide vol. III, pag. 36.

332. *Titubata.* Participium sine verbi origine. *Serv.* — *Titubata.* Pro *titubantia :* neque enim *titubor* dico. *Taubm.* — *In ipso Concidit.* Ablativum posuit, quia non est mutatio. *Serv.*

340. *Hic totum caveæ. Hic* temporis adverbium est, modo. — *Caveæ consessum.* Per *caveam* autem plebem significat : nam *cavea* consessus est populi. *Serv.*

343. Contra pro Euryalo est favor omnium, quem ille et lacrymis, et virtute conciliabat: quæ sane virtus eo gratior efficaciorque ad movendos animos, quo adolescens formosior: nam pulchritudo cujus non animum expugnet? Diores juvat causam Euryali; nam si hic princeps sit trium in accipiendis præmiis, ipse erit ultimus, et abibit donatus: si vero princeps sit Salius, ipse jam excludetur, neque erit ultimus.

348. Placuit Æneæ in hoc animorum dissidio, tres, Euryalum, Helymum, Diorem afficere statutis præmiis; Euryalum equo phalerato; Helymum pharetra Amazonia; Diorem galea Argolica: id enim est, quod ait; *vestra munera manent vobis certa, et palmam movet ordine nemo.*

350. Ut tamen erat pius, noluit Salium indonatum relinquere: ratio, quia et amicus, et insons: non enim fas fuit carere illum honore, Nisi fraude: itaque jubet afferri *tergum leonis*, id est, indumentum instar thoracis militaris factum ex leonis pelle, juxta morem quo viri fortes donis talibus ornabantur. Est vero duplex commentatio; naturalis et artificiata; nam villis leonis additi ab arte ungues aurei.

353. Ubi vidit Nisus donatum alium extra tres primos, petit etiam sibi præmium dari. Ratio duplex: prima; nam *te lapsorum miseret:* altera; nam *merui primam coronam;* sed abstulit fortuna, quæ mihi inimica: ut vero efficacius moveret, faciem fimo inquinatam ostentabat, et corpus reliquum. Æneas cum favore illi arrisit.

359. Ergo donat illum clypeo, quem ait fuisse fabricam Didymaonis: in voce *artes* observo excellentiam clypei: numerus enim multitudinis indicat laudem non vulgarem, quasi in eo efformando omnes artes consumserit et pæne exhauserit Didymaon: *donat* ergo *juvenem egregium præstanti munere*, videlicet militarem juventam militari munere. Sed quid illud, *Neptuni sacro Danais de poste refixum?* In Trojano excidio templa etiam Deorum profanata a Græcis, et sacra omnia violata; quod hic obiter tangit poeta, nullam occasionem prætermittens nominis Græci infamandi.

343. *Tutatur.* Tale quid in Statio; « Accessit lacrymarum gratia formæ. » Euryali pulchritudo hic, et in nono Æn. extollitur. — *Lacrymæque decoræ.* Ipse etiam fletus habebat aliquid venustatis, ortus a gaudio: ut Terentius; *Lacrymo gaudio:* quod et congruit puero propter victoriam inopinatam; aut certe ad miserationem movendam contra eum, qui se adserebat esse victorem. *Serv.*

362. Fit transitio ad tertium certamen. In his verbis *præsens*, et *adsit*, est acumen ex affinitate significationis vocis utriusque: itaque ait; si cui est animus præsens, id est, virilis, et fortis; adsit, id est, audeat. In illis, *evinctis attollat brachia palmis*, significat cæstus, de quibus postea; his enim manus vinciebantur. Statim proponit præmia duo; unum victori, alterum victo; utrumque exornat: juvencum victoris ab auro et vittis: galeam victi ab insigni, id est, a cristis; nam galeæ insignes, cristatæ sunt: ensi nullum dat elogium.

368. Indicatur alacritas in Darete ad pugnam, *nec mora;* et jactantia in *vastis viribus*, cum allusione ad vastum et magnum corpus: illud *tollit se magno murmure*, est, effert se secundo adstantium rumore.

370. Prima Daretis commendatio. Capiendus poeta de juvenili quapiam exercitatione, quæ habita inter Trojanos ipsos; nam Dares non hostis fuit Paridis. Quæras, quæ hæc commendatio, quum Paris imbellis sæpe describatur? Duo in Paride contraria; amor quo perdite amavit Helenam; virtus satis magna, qua sæpe afflixit Græcos: neque alternm nocet alteri; utriusque rei exempla redundant in Iliade.

371. Commendatio altera, qua Dares, in ludo funebri, qui habitus ad tumulum Hectoris, perculit Buten, qui aliorum victor, qui immani corpore, qui se superbissime efferebat, quod ab Amyco Rege Bebryciorum, optimo pugillatore, genus duceret: hunc, inquam, tot nominibus commendatum *perculit, et extendit in arena moribundum*, id est, *semimortuum.*

375. Notæ quatuor ferocientis et ostentabundi juvenis; attollit caput; ostendit humeros; jactat et protendit brachia; auras verberat stolide.

378. Adeo cunctos terruerat ostentatio inanis! mirum enim in tanto exercitu reperiri neminem, qui cum Darete depugnaret cæstibus.

380. Ergo Dares non plus morarum traxit; dedit vero notas magnæ amentiæ: fuit enim *alacris*, quasi parta victoria, pu-

375. *Talis.* Qualem multitudo loquebatur; cum tanta fama; et est eximia ὑποτύπωσις jactabundi: in quod exemplum ferocula juventus intueatur. Vide Scal. Poet. V, 6.

380. *Alacris;* quum *acer* ubique dicat, *alacer* tamen non dicit; licet inde nascatur: vitat enim confusionem; unde utrumque non vult dicere: nam *alacer* nusquam; et iterum *acris* nusquam dixit: inde est quod etiam Papinius suppressit genus, quia dubitatur. *S.* Vide infra Æn. VI, notam 685.

tans se alios excedere: deinde *taurum manu tenet* arrogantissime, quasi rem propriam. Sed hujus stoliditatem satis signat poeta verbo illo *putans:* innuit enim Daretis νηπιότητα ex notione hujus verbi. Quum ait, *stetit ante pedes*, cave putes illum procubuisse: non enim est hoc, et verbi hujus significatio; neque hoc in Daretem caderet, qui tum arrogantissimus.

383. Si nemo vult mecum pugnare; « quo fine, o Ænea, hic stamus, tempusque terimus? quid me tamdiu suspensum tenes? Jube me ducere hoc præmium, quod jam manu teneo; » læva videlicet tenebat taurum e cornu: inclinavit in Dareta Trojanorum assensus, tanquam in victorem; ideo, *reddi*, quasi rem debitam et promissam, supra, v. 366.

387. Potuit Acestes Entellum reprehendere facilius, quam alii, ut qui princeps Siciliæ: dedit vero occasionem arrogantia Daretis; ac prætcrea erat Acestes Entello proximus. Objurgationis non injuriosæ quadruplex est ratio; præterita Entelli virtus; spectatus magister; præsens fama; spolia hostilia. Ergo ait Acestes; « cur fers, Entelle, tibi pretium tantum, et gloriam eripi, qui olim fortissimus Heroum? cui Eryx magister in pugilatu? cujus fama sparsa per totam Siciliam? cujus e tectis pendent spolia? Ista omnia frustranea sunt, et a te nequicquam magnis laudibus memorata, nisi surgis, nisi vincis. »

394. Ait, non abesse stimulos laudis, et gloriæ; sed præ senectute consumptas vires. Tractum *hebet* a gladiis usu hebetibus; *effœtæ* a mulieribus exhaustis et multo partu delassatis.

397. Affectus optantis primam juventutem, augetur mire repetitione illa *si*, *si:* obiter carpit Daretem; nam *improbus*, nam *exultabundus*, nam *fidens*. Improbitas notat pertinaciam illam in petendo, *Quæ finis standi? quo me decet usque teneri?* Exsultantia, versus illos, *ostenditque humeros*, etc. Confidentia, verba illa, *si nemo audet se credere pugnæ*. Et in omnibus simul notatur Daretis ἀδολεσχία, καὶ ἄνθρωπος ἀνακουφιζόμενος: æque enim et garrientem, et superbientem vides.

399. Sed laude, sed gloria, qui longe meliores stimuli: quum ait, *inductus pretio, juvencoque*, est alterum explicatio alterius, id est, inductus pretio juvenci. Sequitur, *nec dona*

394. *Ille sub hæc.* Aut statim, aut post hæc. — *Sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet.* Aliud pendet ex alio: quare *hebet?* quia gelidus est: quare *gelidus?* quia senex. *Serv.* Hor. A. P. 169.

moror. Hæc quum dixisset Entellus, projecit in medium cæstus utriusque manus; nam hoc est *geminos;* cæstus videlicet, quos Eryx manibus et brachiis aptabat ad pugnam.

404. Hic ipse stupor indicat magnitudinem cæstuum: est vero triplex ratio stuporis: prima; confecti erant et consuti cæstus ex septem tergoribus boum, ut septemplices posses vocare: secunda, non septem tantum tergora impensa erant, sed ea ingentia, et magna; ita ut tanta pæne essent, quanta sunt tergora: tertia, insutum erat his cæstibus ferrum, et plumbum, unde illis rigor. Ait ergo: obstupuere animi visis septem tergoribus tantorum boum, et his ingentibus, et quibus magnus rigor ab assuto ferro, ac plumbo. Itaque non satis duxit dicere, *septem terga*, sed addidit, *tantorum*, ad majorem stuporem: neque abiret a vero, qui putaret latere in poeta Epiphonema, cui conficiendo servit particula, *tantus, a, m:* ac si diceret: tanti boves impensi erant in eam fabricam; ut illud, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

406. Ideo *ante omnes*, quia propior periculo: est *longe* idem quod, valde, interpretibus Servio, et Nonio. Sed vere Æneas *magnanimus*, qui aliis præ metu stupentibus, ipse solus versaret facile immanem illam fabricam cæstuum: et obiter illius vires commendantur, qui facile huc illuc commovet immane pondus.

409. Ne cape vulgariter *referebat*, pro, dicebat, sed pro respondebat: respondemus enim plerumque quasi relato et repetito sermone alterius.

410. Obstupescitis cæstus Erycis? quid si cerneretis Herculeos, quibus ipse Eryx interfectus? sic dictum hic *arma*, et *cæstus*, ut supra *pretio*, *pulchroque juvenco*, hac sententia: cæstus; nam hæc erant arma Herculis. Illud *tristemque hoc ipso in litore pugnam*, pendet ex historia. Hercules ex Hispania

400. *Nec dona moror.* Non expecto: hic enim sensus tam superioribus quam sequentibus congruit; nam supra ait, se non præmii causa dimicare, sed gloriæ; et paulo post bovem victor interimit. Sic Horat. Epist. I, 15; « vina nihil *moror* illius oræ. »

404. *Animi tantorum.* Hic distinguendum est; id est, virorum fortium, quos æquum non erat magna mirari: unde addit; « Ante omnes stupet ipse Dares: » nam stultum est dicere tantorum boum, quum diceret septem. *Serv.* — Pace tanti viri rejicienda est hæc explicatio: *qualitas* addit *quantitati.*

411. *Tristemque hoc ipso in litore pugnam.* Aut in quo magister occisus est: aut in tristi litore, id est, infœcundo. Varro enim dicit sub Eryce monte esse infœcundum

in Italiam venit cum magna præda boum: taurus unus ex Rhegio in Siciliam transnavit; Eryx interceptum suo armamento immiscuit: scivit Hercules; concessit eo; pugnavit cum Eryce, et ter repetito certamine, in extremo interfecit Erycem, fratrem Acestæ.

413. Me etiam tacente, cæstus ipsi infecti sanguine indicabunt crudelitatem gesti certaminis inter Herculem, atque Erycem. Sed cujus hic sanguis? cujus cerebri narratur sparsio? Non Herculis, quippe victoris: sed victi, qui se tegendo cæstus infecerat. *Servius.* Si quis autem velit mentionem fieri aliorum, quos Eryx ipse interfecerat, non pugnem.

414. Laus cæstuum, laus Entelli: cæstuum, quia in illis satis spei habuit Eryx, posse se pugnare contra Herculem; neque impedit victum fuisse in illo certamine: Entelli, qui adhuc juvenis utebatur cæstibus, quibus vir Eryx. Est *senecta æmula*, explicante Servio, *adversa virtuti*, quasi dicat, senectutem esse adversam et inimicam viribus pristinis.

417. Sententia tota clara est; *Dares Troius* cum oppositione ad se, quia Entellus ipse Siculus: ideo *recusat*, quia viderat Daretem obstupentem ante alios: de Ænea *pio*, quia vere pius, qui noluit Trojanum adolescentem conjicere in apertum vitæ discrimen: ideo Acestes *auctor*, quia ille excitator hortatorque Entello ad eam pugnam. *Remitto terga Erycis*, est, cedo ac renuntio cæstibus Erycis, quos habeo: pugnam, ne time, æquabimus; tu exue cæstus Trojanos, ut ego Siculos.

421. Ut supra Dares illis versibus, *ostenditque humeros latos*, etc., ostentabundus exsiluit; sic nunc Entellus rejecto amictu duplici, ostentat artus, membra, ossa, lacertos; magna omnia, et ideo ipse ingens.

424. Allusum in his ad leges certaminum singularium; nostri satis barbare *duellos* vocant: in his paria omnia a judicibus distribuuntur, etiam sol ipse, et solis lux. Nota acumen in verbis; quem *satum*, eumdem *patrem* vocat.

426. Ita describit initium pugnæ, et primum illum ardorem, ut te quoque post tam longa sæcula faciat timere: ipse

campum fere in tribus jugeribus, in quo Eryx et Hercules inter se dimicarunt. *Serv.*

415. *Melior sanguis.* Propert. « dum vernat sanguis. » Silius: «Hinc virides ausis anni.» — *Æmula senectus.* Cui quum vigor absit, aliis habentibus invidere solet. Ideo Donatus *æmulam* interpretatur *invidam*: alii; quæ vult esse æmula juvenilis roboris, et frustra id conatur. *Taubm.*

certe videor utrumque pugilem videre non absque honore arrectum in digitos pedum, et attollentem brachia. Et observa quiddam non vulgare ex affinitate multarum vocum, quæ pertinent ad partes hominis: vides enim digitos, brachia, capita, manus; quasi his vocibus vellet indicare, uti pugiles totum corpus compararent ad certamen.

430. Præstabat Dares ætate, Entellus virtute membrorum; nisi esset tardior senectute, inde infirmior vis in genibus; crebrior in pectore anhelitus, quo tam vasta moles quatiebatur.

433. Poetice admodum *jactare vulnera inter se*, pro, vicissim pugnis, et ictibus cædere: et *nequicquam*, quia non semper pugilibus ictus contingit ex voto; immo præter votum frequentius.

434. Vivida descriptio pugnæ. Per *cavum latus* capio partes illas, quæ ad costas: ergo duplicem causam constituit, quam duplex effectus consequitur: destinantur enim ictus in latus; ideo dantur sonitus e pectore: destinantur ad tempora et circum aures; ideo malæ crepitant. Servius *vulnere* accipit pro ictibus.

437. Adhibetur ratio pugnandi utriusque. Entellus præ gravitate sua erat immotus eodem in nisu; ac parva corporis declinatione, sic accipiendus poeta, et præsertim oculis vigilantissimis, ictus cavebat.

439. Ut Entellum senem in eodem statu, atque immobilem fixit; ita Daretem juvenem hac illac pererrantem, locum omnem circumeuntem: quin rem comparatione illustrat imperatoris urbem aliquam obsidentis, et tentantis aditus ad illam omnes. Tu in Virgilio quiddam observes non vulgare: utrique pugili comparationem dat, qua explicet rationem pugnandi utriusque. Hoc interest discriminis, quod Daretis comparatio clara, Entelli obscura; sed eam sumi ab homine gladiatore, satis indicat verbum *exit*, *vigilantes oculi*, *nisus immotus*, *declinatio facta corpore*. Itaque intellige Entelli pugnam comparari, etiamsi non videas particulas, veluti, sicuti, et similes.

428. *Abduxere retro*, etc. Solent pugiles, quum dextra adversarium petant, caput ab ictu in lævam longius deflectere, ne feriantur. Vide Turneb. XIII, II. *Taubm.*

438. *Tela.* Ictus. — *Exit.* Vitat, declinat, unde de Tarchonte, « Et vim viribus exit »: et hoc verbo bis usus est tantum. *Serv.*

439. *Qui molibus urbem.* Amphibolon est; aut celsam molibus; aut quæ molibus oppugnatur. *Serv.*

443. Omnia signate ex pugilum certamine: nam ista, *ostendit*, *insurgens*, *alte extulit*, indicant jactantiam athleticam: nec minus Daretis cautio artem gymnasticam, præsertim in illis *prævidit*, *elapsus*, *cessit:* quantum enim Entellus ostentabundus, tantum Dares vitabundus.

446. Elabente quippe Darete, ut erat velocissimus motu pedum, factum ut Entellus inaniter vires omnes in ventum effunderet, atque, ut erat gravis, concideret graviter præ vasto pondere. Est *ultro* suo nutu, et impellente nemine. Sequitur comparatio, ubi præclare pinus dicitur *cava*, id est, vitiosa, cum allusione ad senilem ætatem Entelli. Est Erymanthus, mons Arcadiæ, Ida Trojæ.

450. Omnia ex decoro. Juventus clamorem edit, et excitat crepitus: senex exercet misericordiam cum sene: apparet simul studium Trojanorum, et Siculorum, quia certabant Trojanus, et Siculus; et quæque gens suo favebat.

453. Respondent sibi hi duo versus. Redit acrior ad pugnam, non tardatus casu; suscitat vim ira: non territus; nam qui acer est, eo ipso promptus: qui iratus, eo ipso absque metu.

455. Quum semper pudor rubicundum quiddam et flammeum ad faciem extrahat, reddatque vultum ἐρυθριῶντα, recte poeta *pudor incendit;* et quia *incendit*, ideo postea *ardens*.

457. Vide vero an ullam possis hypotyposim cum ista conferre? Non grando ipsa crebrius crepitat: dextra ictus ingeminat; sinistra ingeminat; nulla est mora; nulla est requies; densi sunt ictus; miser Dares agitur, præcipitatur, pulsatur, versatur. Assumitur omnis comparatio ad attollendam rem, ut superior. Atqui hoc loco, Entelli præcipitantia, et crebri ictus, videntur superare crepitantem insonantemque grandinem in culminibus. Adeo magnus est poeta Virgilius, dignissimus, quem tota posteritas admiretur, cui se submittat Græcorum fastus. Extrema sic conjunge: *creber manu utraque pulsat versatque densis ictibus:* non, *pulsat manu utraque*.

461. Dicitur hic Æneas *pater* et affectu, et auctoritate: nam

443. *Ostendit dextram*. Aut fiducia virtutis est, ostendere quod minaris: aut certe proventus ætatis ostenditur, qui eum ex improviso ferire non sinit. *Serv.*

454. *Vim suscitat ira*. Pythagoricum est: *Ira cos fortitudinis.* — *Pudor.* Est hic magnus stimulus ad vires recuperandas, et languentem animum excitandum. Livius lib. II, lib. III, lib. VII, et passim, idem ait de ira et pudore.

et Daretis saluti consulit, ideo affectu: et Entellum cohibet, quod in tanto iræ fervore nemo fortasse alius; ideo auctoritate. Vide affectum in illis, *non passus iras longius procedere, non passus Entellum sævire animis.* Vide auctoritatem in illis, *imposuit finem pugnæ, eripuit fessum Dareta.* Sic solet hic ingeniorum apex Maro conjungere res, quæ videntur minus cognatæ: hic enim cum affectu misericordiæ magna est principis auctoritas, et utraque re pater.

465. Eadem, quæ nunc dicebam, hic etiam elucent. *Infelix*, hoc dolenter, et cum affectu, atque omnino παθητικῶς: *quæ tanta animum dementia cepit?* hoc cum summa auctoritate: nec a te vires, nec Dii sunt: non *sentis vires alias;* ideo tu infelix: non *conversa numina*; ideo tu demens: cede Deo te non juvanti, quia dixerat, conversa Numina. Qui hic pro Deo capiunt rationem, nescio an ad rem. Sequitur, *dixitque, et prælia voce diremit*, id est, dixitque, et dicendo prælia diremit. Tanta erat dicentis auctoritas!

468. Vide ut lacerum hominem egregie pingat: tu solus poeta Maro! ut nemo præter te, si tecum saltem conferatur. Quæ hæc-admiratio roget aliquis? nonne vides, lector, sibi hunc virum mire consentientem? Entelli superioris iras, quum dextra sinistraque ictus ingeminabat; quum, instar grandinis, sæviebat densis ictibus; quum Dareta ardenter agebat, pulsabat, versabat, præcipitabat: has, inquam, sævas iras nonne sequi debebat hæc carnificina? Trahit miserrimus ægra genua, quibus paulo ante valebat; jactat caput utroque, quod paulo ante in cælum tollebat superbus: ejectat cruorem ore, et una cum cruore dentes. Sed expende adhuc alia: quia *æquales*, ideo *fidi:* nam qui tibi fidi, nisi qui una tecum nutriti, et aliti? nota etiam acumen, *ducunt trahentem genua:* is enim ab aliis ducitur, qui se ipse vix trahit. Est etiam elegantia ex affinitate vocum, jactat caput, et ejectat cruorem. Ideo *vocati*, ait Macrobius lib. IV, cap. 1, *quasi non sponte socii accepturi munus, quod erat damnum verecundiæ;* et *accipiunt* pro Darete, quia hic non sui compos præ vulneribus; quid vero accipiunt? *ensem galeamque:* advertit enim Julius Scaliger lib. III, poetic. cap. 12, victum Dareta luculentiore auctum dono, quam victorem Entellum; ut ostendatur virtus sibi ipsi et præmium,

465. *Infelix.* Consolatio est; unde non dicit imbellis, ut fortunæ videatur esse quod victus est. *Serv.* — Est autem optima consolatio, quum ostendat non illum ab homine, sed a numine vinci. *Donat.*

et pretium esse: idcirco in legibus proposita sunt criminibus supplicia, virtutibus nihil. In verbo *relinquunt* invenio notam pudoris; quasi dicat: vocati accipiunt hoc præmium; pudibundi relinquunt illud: sed quid relinquunt? *taurum;* nam hoc præmium ab initio victori propositum.

473. Captat Entellus aures Æneæ, et Trojanorum ad ea, quæ dicturus, quæ acturus in sui commendationem: et præclare Æneæ, et Trojanorum: non Acestæ, non Siculorum; nam his jam ejus virtus satis cognita; oportebat externi audirent: servat vero decorum ex ingenio senum, quibus propria et insita arrogantia.

477. Acumen ex cognatis verbis; stat contra adstantem: ait *reducta dextra*, pro, adducta retro dextra; nam hoc est *reducere*, quo ictus validior; ex majore enim spatio vis major: ideo *libravit*, quia *inter media cornua:* explicat enim directum ictum, neque aberrantem. Est *arduus*, erectus in pedes: in illis *effractoque illisit in ossa cerebro*, hypallagen cum Servio agnosco: perinde ac si diceret: fractis ossibus illisit cæstus in cerebrum; pervenere enim usque ad illud.

481 Procumbit bos ex ictu, et cum bove versus miro artificio: ait Entellus, se animam bovis pro Daretis anima exsolvere; et illam meliorem, quia diis gratiores sunt victimæ ex brutis animantibus, quam ex hominibus: ita victor et cæstus et artem reponit, nunquam deinde illis usurus.

476. *Et qua servetis.* Et quanta mortis acerbitate liberaveritis Dareta vestrum beneficio Æneæ: alii *qua* interpretantur, qua ratione, quo modo: sed perperam.

479. *Libravit media inter cornua.* Cæstus ergo illisit inter cornua juvenci: hæc enim pars capitis maximam habet duritiem, proindeque maximam frangendi difficultatem; et tamen ictus istius, effractis ossibus, usque ad cerebrum penetravit: qua ergo morte interiit bos, ipsa ostendit Daretem interire potuisse. *Don.* — *Libravit*, quasi collimans, ne ictus falleret.

481. *Procumbit humi bos.* Incomparabilis hic versus est; quem Servius incogitantissime pessimum vocat, quod terminetur monosyllabo. Nihil aptius indignationi, quam oratio desinens in monosyllabum; evolve Demosthenis orationes. Horatius quoque, quum e magnis cœptis futile poema exiturum stomacharetur, ex prolixis vocibus eduxit monosyllabum, « Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. » Vere igitur nulla re aptius potuit exprimi cadentis bovis casus, et ruinæ celeritas, quam Virgiliano modulo.

484. *Cæstus artemque repono.* Et arma deposuit, et arti renuntiavit. Alludit autem ad morem quo gladiatores, rude donati, solebant arma Herculi suspendere, et quasi consecrare; Horat. Epist. I, 1, 5.

485. Adnectens cum superiore hoc certamen, ait *protinus*, ut initio Georg. IV: *Protinus aerii mellis cœlestia dona Exsequar:* ideo *invitat*, quia *præmia ponit:* quasi positis præmiis invitet, alliciatque: *ingenti manu*, id est, ingenti militum agmine: hi enim necessarii ad erigendum malum, ut erat magnus: cur potius voluerit certamen fieri ad navem Seresti, quam aliorum, non quæro: suspendit columbam a pedibus; hoc enim postulat Homerica imitatio; ait enim δῆσεν ποδός.

490. Continent hi versus floridam poetæ narrationem: neque enim hos quatuor duces, quos nominat, jejune nominat, et sicce; sed omnes cum elogio; primum honestat pater Hyrtacus, et favor militum: alterum, victoriæ navalis gloria, et corona oleagina: tertium, Pandarus frater clarissimus: extremum senectus ipsa, et animus acer, quo voluit tentare laborem juvenum grandævus ipse Acestes.

500. Procedit ordine; nam primo inflectuntur arcus; deinde sagittæ depromuntur. In illis *incurvant flexos arcus*, hypallagen agnoscit Servius, pro flectunt incurvos. Est *pro se* quantum quisque potuit, quod Homerus, κατὰ σφέας, καθ' ἑαυτὸν: et Xenophon εἰς δύναμιν.

502. Sagitta prima, missa e nervo stridente, diverberat per cælum auras volucres; non per cælum stridente nervo: est nervus, chorda arcus: arbor mali est ipsissimus malus. Illud *sonuerunt omnia plausu*, refert Servius ad favorem; neque abnuo.

507. Respondent sibi hi duo versus, *acer constitit arcu adducto:* quia *acer, oculos tetendit;* quia *arcu adducto*, *arcum tetendit:* itaque Mnestheus dicitur acer in collineando: et ideo sic conjungo, *acer petens alta* subaudi oculis, *constitit arcu adducto*. Est ista singularis nostra explicatio, neque enim placent, qui vocem *acer* referunt ad virtutem, qua arcum incurvavit.

509. In vocula *at* agnosce emphasin; ut, *At Regina gravi*, etc. Ideo vero Mnestheus *miserandus*, quia facta re magna, tamen sine victoria mansit; nam tantum *rupit nodos et vincula*, id est, nodos vinculorum, phrasi usitatissima Virgilii. *Innexa pedem*, est, habens pedem in nexu, ait Servius. *Volans fugit Notos*, est, volatu anteit Notos; et *in nubila*, ubi tutus receptus; et *atra*, ut melius lateret.

513. Vocat Eurytion fratrem Pandarum, quia hic acerrimus jaculator; optatque esse fratri confatalis in dirigendo ictu.

peritissime. Servius ad religionem confugit; ait enim ideo vocari Pandarum, quod apud Lycios, ut Heros, coleretur.

515. Oratio pathetica in animante, quæ in summa lætitia et plausu vulnus accipit; putaverat quippe receptum tutum fore in nube nigra, excelsa; sed ibi figitur; ibi relinquit vitam; inde delabitur referens secum mortis causam.

519. Ita se Acestes ad jaculationem composuit; ita arcum in altum extulit; sagittam direxit, emisit; ut diceres, peritissimum esse jaculatorem, artemque in eo summam agnosceres: videas sæpe gloriabundos milites, et jactabundos de suis armis; hæc ostentant, laudant, proponunt oculis aliorum: ergo non artem solum, sed arcum ostentat.

522. Jam parat attentionem ad flammas ardentes quæ sequuntur volantem sagittam Acestis; *objicitur*, inquit, *subito monstrum*; et hoc *futurum augurio magno*, quia videlicet ex eo monstro dirum aliquid et magnum augurandum erat, ut postea *docuit ingens exitus*. Refer hoc ad classem mox incensam; fuit enim magnus et dirus exitus. Sequitur versus ad pavorem totus, *Seraque terrifici cecinerunt omina vates;* et qui nunc etiam mihi, post tot sæcula, ossa contrahit; nam *sera omina*, non cum Servio *gravia*, non cum Turnebo *dira* et *mala* explico: sed vates nunc ignari, quum in fine hujus libri classem incensam vidissent, *serius* et frustra dixerunt: hanc calamitatem nuntiaverat sagittæ incendium: ergo semper *sero sapiunt Phryges.*

525. Et nota acumen: ardor quippe in re liquida, et aquea, ait enim, *arsit in liquidis nubibus:* atque obiter allusum ad naturam fulminum fulgurumque, quæ ardentia ipsa erumpunt e nubibus. Addit vero, sagittam in flammas conversam, evanuisse in aerem, ad eum modum, quo evanescere cometæ solent.

529. Vere deceptus Æneas, dirum omen pro auspicato accepit: quum enim incensio classis portenderetur, inde ille aliquid faustum eventurum putabat, ducto fortassis argu-

521. *Artemque pater, arcumque sonantem.* Culpat hoc Virgiliomastix: artem enim in vaeno aere ostendere non poterat: quamquam dicant periti posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam comprobari. *Serv.*

529. *Attonitis animis.* Intentis, stupefactis per tonitrua, quæ cohærent cælestibus ignibus. *Serv.*

530. *Nec maximus omen Abnuit.* Amplexus est, et probavit: nàm secundum augurum disciplinam dixit ad se non pertinere: nostri enim

mento a felici igne, qui apparuerat supra caput Ascanii. Hoc potius visum, quam quod interpretes dicunt de Ænea dissimulante tristitiam: et quidem sequens oratio Æneæ tantis est affectibus lætitiæ plena, ut nihil possis conjectare de tristitia intus latente: alii aliter sentiant, et interpretentur poetam.

533. Primo honore afficit Acestem extra omnem sortem. Commendat vero craterem tripliciter: primo a possessore Anchise; et nota decorum; datur seni Acestæ munus, quod fuerat senis Anchisæ: altera commendatio ab opificio; erat enim crater impressus signis asperque: tertia, non solum Anchisæ fuerat vas hoc, sed ante illum, Cissei. Vide, inquit, o Aceste, quanti hoc vas sit, quod a nobilissimis ad nobilissimos pervenit, a Regibus ad Reges, a Cisseo ad Anchisen, ab Anchise ad Æneam, ab Ænea ad Acestem: deinde, prius fuit in Thracia; mox in Troja; jam in Sicilia; ergo nunquam contemptum, sed semper comes magnorum Principum. Fuit Cisseus pater Hecubæ, unde hæc dicta Cisseis.

539. Coronat lauro Acestem; et appellat victorem, nimirum voce præconis, ut supra Cloanthum. Temporibus autem senectute albentibus laurus viridis imponitur, quo signet laudem Acestæ recentem semper, et immortalem fore; ac tum maxime eam virescere, quum caput albi crines tegant.

541. Ideo Eurytion *bonus;* quia non *invidit* alium sibi honore præferri, et inverti ordinem victoriæ.

543. Non placet Servianum interpretamentum hoc, *ingreditur donis, id est, ad dona:* immo, *ingreditur donis,* id est, incedit gloriabundus cum donis.

544. Est hoc peculiaris facetiæ, ut omnia commutaverit. In jaculando primus fuit Hippocoon; secundus Mnestheus; tertius Eurytion; quartus Acestes: in capiendis præmiis, primus est Acestes; secundus Eurytion, nam hunc quoque præmium suum reportasse non dubium, quamvis sileatur: tertius Mnestheus; quartus Hippocoon.

545. Uti apparet ex verbis Poetæ, jam Æneas secreto cum Ascanio egerat, ut puerile agmen instrueret; ait enim, *si jam habet paratum agmen, si instruxit cursus equorum:* consilium

arbitrii est, visa omina vel improbare, vel recipere. *Serv.*

533. *Sume, pater.* Percipe: nam verbum est jurisconsultorum, quo utuntur quoties legatum non ab hærede datur, sed est in accipientis arbitrio. *Serv.*

544. *Extremus.* Ostendit hos sua munera percepisse: Acesten vero sumpsisse præcipua. *Serv.*

Æneæ fuit in hoc extremo certamine exhilarare animos spectatorum fessos longis contentionibus; atque ita illos avertere a mœstitia, qua affecti, viso deformi spectaculo Daretis.

553. Vide quo apparatu inferat pueros, qua admiratione spectatores: illi incedunt, lucent; isti admirantur, adfremunt.

556. Describit ornatum puerorum, quem gestabant in capite, manibus, humeris, pectore: erat omnibus in capite militaris galea, et supra galeam corona tonsa: coma vero pressa erat ab ipsa galea. Habebant in manibus bina hastilia e corno facta, quibus ferrum præfixum: in humero pharetras, has quidem leves, id est, politas, expolitasque ipso artificio: in pectore militarem torquem; describit hujus formam; torquebatur enim per collum, et inde descendebat in pectus summum: ne intelligas demissum usque ad alvum.

560. Tres erant turmæ; tres ductores: in singulis turmis erant duodecim pueri; et magister, qui pueros doceret, et flecteret in gyros.

568. Transit a generali sermone ad peculiarem. Ergo aciem unam aut turmam ducebat Priamus filius Politæ, ac perinde nepos Priami Regis: ideo *parvus Priamus*, id est nepos, quia cum oppositione ad avum: et videtur mihi poeta animum adjecisse ad historiam illam, quæ habetur lib. II, Æn. v. 526—558, plenam luctus, et lacrymarum. Sed, o gaudete manes Priami, et Politæ, qui nepotem, et filium habetis, qui vos iterum facit reviviscere; quique augeat populos Italorum, a quibus Græci mactandi, eruenda Græcia. Duxit me in hanc mentem apostrophe illa, *tua clara Polite Progenies*, plena desiderii. Transit deinde ad descriptionem equi, quo vectus Priamus: ponit patriam; nam *Thracius*: colorem, sed hic duplex; erat enim *bicolor*, quia

549. *Cursusque instruxit equorum.* Illustrari potest hic locus simili historia, quam adducit Athen. lib. IV: pueri enim Laconum in equis ornatis theatrum percurrebant, in ea celebritate, quæ ab Laconibus peragebatur, in honorem demortui Hyacinthi. *Cerda.*

552. *Campos jubet esse patentes.* Discessu populi jubet fieri campos patentes. *Serv.*

560. *Tres equitum numero turmæ.* Rem romanæ militiæ suo intulit carmini: nam constat primo tres partes fuisse populi Romani: unam *Tatiensium*, a Tito Tatio duce Sabinorum jam amico post fœdera: alteram *Rhamnetum* a Romulo: tertiam *Lucerum*, quorum secundum Livium et nomen et causa in occulto sunt.

568. *Genus unde Atii duxere Latini.* Propter Atiam dicit matrem Augusti: de qua Antonius ait, Aricina mater: vult enim ejus etiam maternum esse genus antiquum.

supra colorem proprium, quem poeta non exprimit, erant albentes maculæ. Sed ubi istæ maculæ? in pedibus primoribus, interprete Servio; vel in pede dextro, me interprete: deinde in fronte: quam frontis maculam candidam instar stellæ ostentabat. Sic concipit Julius Scaliger, cujus verba hæc sunt: *intellige frontem stella candida spectabilem: non autem totam albam; deteriores enim sunt.*

568. Hunc commendat a posterorum genere, et cum lepore; adhibetur enim geminatio *parvus Atys*, quasi a parvo adhuc spes magna generis: deinde commendat ab amore, quo illum Iulus prosequatur. Roges, cur nulla mentio equi, quo is vectus? quia varietas poesin ornat, et ideo noluit eadem de omnibus inculcare.

570. Acumen in vocibus; extremus ordine, qui primus omnium pulchitudine: et hæc est prima Ascanii commendatio: altera; illius equum esse donum Didonis, eumque in monumentum et amoris pignus.

573. Pertinuit equorum distinctio ad spectaculum: nam quale hoc, ubi equi Thraces, Phœnicii, Siculi. Aves scire, an pueri Siculi Trojanos comitentur, lusuri etiam Trojam? non puto: primo, quia Troja ludus a Trojanis tantum debuit peragi: deinde, si tantum tres turmæ, et harum auctores tres Trojani, quis locus pueris Siculis? tertio, quia Æneas ita cum Epytide locutus est, ut videatur res tantum communicata cum illo, et cum Ascanio.

575. Duplex sententia: prima Servii hæc: *pavidos; id est, gloriæ cupiditate sollicitos; ut, corda pavor pulsans.* Nostra altera, qua sic ordinamus; *excipiunt pavidos plausu*, ut dicat, expavisse pueros et equos ad subitum et ingentem plausum, qui excitatus: hoc enim consentaneum magis ad naturam puerorum. Sequitur, *gaudentque*, etc. in quibus est affectus, et causa: ideo gaudent, quia in illis agnoscunt ora: in verbis acumen est; pueri expavescunt, patres gaudent.

577. A narratione patrum transit ad liberos, qui jam *læti*, id est, ex pavore recreati, circumiere in equis spatium illud, in quo peragendum ludicrum: additque poeta naturæ par; non solum lustratum consessum, sed *oculos* signatissime, ex observatione naturæ, si rem altius expendas. Patres impensius amant liberos, quam liberi patres: ergo in patrum amore explicando tot verba insumpta, *excipiunt, tuentur, gaudent, agnoscunt.* Filii tantum lustrant oculos suorum, id est, figunt ocu-

los in oculis Teucrorum; et hoc uno explent amorem patrum, et seniorum, qui aderant.

578. Duplex signum: clamor, et flagelli sonitus: primum, quo pueri vocentur; alterum, quo equi excitentur: nam quum a longe signum detur, ictus virgæ quid faceret? ergo putemus, vere flagello insonitum, in quo vim magnam ad equos commovendos tu sæpius videris.

580. Hic primus aditus ludicri, in quo quatuor facta: primum eunt pares: dein solvunt se in triplex agmen, et sic perveniunt ad finem circi: tertio inde vocati convertunt se: quarto eunt sibi cum telis obviam. In voce *choris*, agnoscas puerilem exercitationem, et simulacrum belli; non bellum.

583. Quasi dicat: inde jam ex adversis spatiis, in quibus fuerunt, quum tulere sibi infesta tela, inivere cursus alios, recursus, orbes, quibus peractum simulacrum quoddam belli.

586. Tria, quæ in bellis geruntur, commemorat, fugam, pugnam, pacem: est autem *nudare terga fugæ*, fugere, sed subobscure: ideo placeret lectio illa, quam ferunt codices aliqui, et Pierius commeminit: *nudant terga fuga*, id est, fugiendo: nam qui fugit, eo ipso ostendit, et veluti nudat terga.

588. Luculenta labyrinthi Cretensis descriptio, atque ita ex arte facta, ut ipsa satis doceat ambages et errores veræ fabricæ, quam construxit Dædalus. Tripliciter indigitat *iter, dolum, errorem*, crescente semper oratione: deinde iter illud est textum, id est, implicatum; neque hoc satis, sed cæcis parietibus: dolus est anceps, et habet vias mille; error indeprensus, irremeabilis, et fallit. Quid his addendum?

592. Accommodat comparationem, et signate infert verbum *texo*, quod fuerat in descriptione labyrinthi: et quia supra, *alternos orbibus orbes impediunt*, ita hic, *vestigia cursu Impediunt*. Mox delabitur ad delphinos iterum comparans: etenim in ludicro puerorum, tum varii cursus ac recursus fuere, intexti omnes implicatique; ad hoc necessaria fuit comparatio labyrinthi: fuit deinde celeritas in his cursibus ac recursibus; ideo addita altera comparatio a delphinis. Quum ait *Carpa-*

588. *Ut quondam Creta.* Cælius Lect. Antiq. Proverb. IX, 34. *Labyrinthus* dicitur autem, παρὰ τὸ μὴ λαβεῖν θύρας. *Hart.* — *Labyrinthus.* Locus apud Cretam factus a Dædalo perplexis parietibus, ubi Minotaurus inclusus est. *Serv.* — Vide Ovid. Met. VIII, 2. Ita Catullus in Epithal. Pelei: « Ne labyrintheis e flexibus egredientem Tecti frustraretur inobservabilis error. » Vide Plin. XXXVI, 13.

thium Libycumque, accipe pro universis partibus; nisi quis velit, hæc duo maria hoc inprimis pisce abundare, atque ex aliquo vetere scriptore desumpsisse poetam.

596. Quum ait hunc morem et ludum ab Ascanio ad Albam *relatum*, referendus est poeta ad certamen, quod hic lusit Ascanius: itaque *rettulit*, est, repetivit; atque adeo decursio hæc primum nata est ab exsequiis Anchisæ; deinde traducta Albam, et mox Romam.

599. Quo modo puer ipse nunc lusit, et quo modo secum pnbes Troia; ita deinde Albani docuere pueros suos: hinc porro Roma maxima accepit, et servavit honorem patrium, id est, a patribus Albanis acceptum : quæ decursio deinceps dicta semper *Troja*. (De hoc ludo Trojæ vide Excursum V, tom. III, pag. 95.)

603. Ideo *sancto*, quia jam relato in Deos præterita celebritate. Conjunge divulsam voculam *hactenus*, quæ Tmesis est : adverbium temporis; nam hucusque significat.

604. Quæ narranda nunc sunt, omnia παθητικὰ; post risus, lusus, plausus, læta omnia, sequuntur lacrymæ, calamitates, luctus, tristia omnia : itaque hic liber divisus est in læta et in tristia. Observes etiam in funere, quod ex se mœstum, fuisse tot læta : in navibus, quibus lætissime vehendi in Italiam jam propinquam; in Palinuro, quo duce vehendi, tot tristia : et hujus cladis initium ortum a fœminis, quæ debuissent virorum res agere. Ergo Juno avida ruinæ Trojanorum, ipsamet mittit Irim, et, quo celerius nocumentum afferatur, ventos eunti aspirat; *multa movens* : signat agmen et turbam cogitationum, quæ erant in animo Junonis adversum miseros Trojanos: quibus cogitationibus parabat se ad magnarum cla-

598. *Rettulit.* Innovavit Ascanius, qnod ante jam fecerat. *Serv.* — *Priscos Latinos.* Ita dicti qui tenuerant loca ubi Alba est condita: ita Dan. Servius. Sed planius et propius ad rem, Trojani eum suo duce a Latino susceptis, et Aborigines communi nomine nuncupati fuerunt *Latini*; qui et Πρῖσκοι, auctore Dionysio lib. I. Ita Festus : « Prisci vocabantur proprie, qui priusquam Roma conderetur, fuerunt. » — Hi iidem et Casci.

600. *Porro.* Post longum intervallum : et est adverbium temporis. *Serv.*

606. *Irim de cœlo misit Saturnia Juno.* Ex magna parte servatur, ut Mercurius ad concordiam, Iris ad discordiam mittatur : unde et *Iris* dicta est quasi ἔρις. Falsum est autem quod dicitur ministra esse tantum dearum; quum et a Jove plerumque mittatur : ut, « Aeriam cælo nam Juppiter Irim demisit, germanæ haud mollia jussa feren-

dium originem et fata impedienda; nam incensis navibus spes omnis præcidebatur adeundi Italiam, quum videlicet non processissent insidiæ tantarum tempestatum. (Vide Excursum VI, tom. III, pag. 96.)

609. Describitur præcipitantia Iridis; nam *celerans viam:* colores, qui *mille,* id est, multi: modus volandi, nam *nulli visa:* quum ait *cito tramite,* videtur mihi signari compendium, ut brevius iret.

611. Vidit concursum, ubi ludi celebrantur; litora vero et classem desertam : itaque occasio fuit rei gerendæ idonea; nam viri erant longe, qui auxilio venirent.

613. Fingit miserrimas Trojanas fœminas : nunquam enim magis parati mortales ad quodcumque facinus obeundum, quam quum sunt in miseria, a qua, si ducem habeant, conentur se eximere. Vidit hoc Virgilius; et, ideo, quas voluit incœptare dirum deinde facinus, miserrimas prius fingit. Erant secretæ disjunctæque a reliquo cœtu virorum lætantium, longe ab omnibus, in solo litore : nec flent solum: sed in ipso fletu omnes simul in vocem hanc erumpunt doloris et angoris plenam : « Heu, tot adhuc vada, tantum maris superest nobis miseris, tam longa ac diuturna navigatione defessis! » Ab his querelis itum in unam sententiam, ut velint jam esse in urbe aliqua, non per maria errare.

618. Hoc puncto temporis, se Iris in medium earum conjicit; quo melius audiri ab omnibus possit, relicta prius persona deæ, atque assimilata Beroæ, quæ fuerat conjux Dorycli, et quæ satis nota ex genere, nomine, et natis. Quum de Iride ait, *haud ignara nocendi,* pro sciens fraudum, videtur mihi poeta alludere ad dolos, quibus sæpe usa Iris in ministerio deorum, præsertim Junonis.

623. Ideo *miseræ*, quia non in patria occubuerint, per decennalem obsidionem, *sub patria mœnibus.* Vividum illud : *O*

tem. Æn. IX, 803. *Serv.* — Heynius igitur hunc immerito reprehendit, tom. III, pag. 62, not. 604.

610. *Nulli visa.* Ad ipsum retulit numen : nam arcus semper videtur : quem non Irim, sed viam Iridis dixit. Alii *nulli visa*, celeritatis esse volunt. *Serv.*

613. *In sola acta.* Pro, Trojanæ mulieres solæ in deserto litore flebant. Georg. IV. « Te solo », etc. Etiam Cicero de Sicilia loquens in Verr. dixit *actam* pro litore; ut notat. Turneb. III, 1. Græcis ἀκτή. — *Secretæ Troades.* Πρίτοι. Indecorum est, honestas matronas in publicis spectaculis misceri viris. Tum autem in exsequiis, matronarum erat, pullatas solutis crinibus mortuos lugere. *Hartung.*

gens infelix, cui te exitio fortuna reservat! Expende poetæ ingenium: vult proponere Iris infelicem præsentem statum, in quo sunt fœminæ: inprimis ab egregia, sed præterita occasione moriendi, miseras esse judicavit: jam rem agit a futuro; neque nominat genus mortis, quod habituræ, sed loquitur in incertum, ut putent illæ acerbissimum fore: nam, quæ bello Trojano perire non potuere, quo nullum majus: quæ non potuerunt mergi tot tempestatibus, quas passa est classis Trojana, quibus nullæ aut fœdiores, aut atrociores: quid tandem credendum, nisi ut insolito aliquo exitio abripiantur? Ergo, infelices estis, non quia mortuæ: hoc enim in magna felicitate ponendum fuisset; sed infelices, quia vivæ; vos videlicet servante fortuna ad cladem aliquam abominandam, et insolitam.

626. Quid plura potuit ad persuasionem, afferendumque tædium, non jam fœminis natura mollibus, sed etiam viris promptissimis? Sunt enim verba omnia efficacissima, et argumentum a circumstantiis sumptum: a tempore; nam *vertitur jam æstas septima;* signat annos septem: a mari, quod emensæ, et *freta* ad αὔξησιν, nam hic locus periculosior; a terris non unis, sed omnibus: a saxis, quæ prætervectæ, et hæc vocat *inhospita*, ad exaggerandum. Quin ait: o fœminæ, non tam navigamus, quam *ferimur*, quam *volvimur;* quasi dicat: rapimur, jactamur, et vere fluctuamus, undis nos pro arbitrio suo ducentibus. Quid vero quærimus per tot labores? *Italiam*, et hanc *fugientem:* quæ ergo spes obtinendi?

630. Argumentum est a facili, post magnos jam terrores injectos: jam hic sumus, quid ultra quærimus? fuerunt olim hæc litora Erycis fratris Æneæ: nunc sunt Acestæ hospitis Trojanorum: cur negentur domicilia? Nos possumus urbem condere, Siculi facile urbem dare.

632. O patria, quam deseruimus! Præstaret te non deseruisse, quamvis eversam: nam facilius fuit in te iterum domicilium erigere, quam illud quærere per tot maria. *O Pe-*

628. *Sideraque emensæ ferimur.* Aut tempestates ait, quæ ortu vel occasu siderum sæpe nascuntur: aut provincias, quæ sideribus subjacent: ut, « Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri. » *Serv.* — Heynius hic castigans Servium, tom. III, pag. 65, not. 628, non mihi videtur illo felicior: nam *sidera* ad navigationem referenda sunt, quorum aspectu et quasi *mensura* regi classium cursus solet; vide supra 25: *rite memor servata* remetior *astra.*

629. *Italiam sequimur fugientem.* Ut alibi, « Jam tandem Italiam fugientis prendimus oras: et revera nullus sequitur, nisi quod fugit. *S.*

nates nequicquam rapti ex hoste! Frustra vos servavimus, nihil in vobis opis : nunquam enim, et nusquam apparet urbs illa vobis construenda. (Vide Excursum primum, Vol. III, pag. 90.) O felicem Helenum, felicem Andromachen, qui jam urbi a se conditæ Trojæ nomen indiderunt, qui flumina Epiri vocarunt Xanthum, et Simoenta, quos dicit *Hectoreos amnes*, in gratiam Hectoris, et cum invidia tacite pungente Æneam.

635. Hæc summa rei; ideo tot verba insumpta. Puppes hic pro navibns noto tropo; fortassis proprie capiendæ : naves quum sunt in portu, earum puppes litus prætexunt; hæ tantum cernuntur; ab illis inchoandum erat incendium : ergo Iris eas partes signat veluti digito, quas videt ab ipso litore.

636. Rem firmat divino testimonio; et quidem Cassandræ vaticinia vim habuerunt post eversam Trojam, quæ prius non credita. Quid vero Cassandræ imago? visa est et agere, et dicere : agere, nam mihi veluti in manus faces tradebat, ut injicerem in naves : dicere, nam me hortata est, nt hic in Sicilia Trojam quæreremus; hic nobis esse domum fatis constitutam; jam tempus res agi; quasi dicat : gnavæ fuimus, sed inutiliter; multa egimus, et nihil actum : jam agendi tempus.

639. Hic prodigia pro signis capio, et indiciis voluntatis deorum, qui nobis velut in manus præbent faces : nam ecce aræ, in quibus ignes.

641. Non jam verbis, sed opere excitat. Apparent in his versibus celeritas, et furor : nam *corripit ignem vi* magna, et hunc *infensum :* ideo vero *connixa*, quia dixerat *vi :* in verbo *coruscat*, subaudi *ignem*, ut explicatior sit sententia. Virgilius enim variis in locis *coruscat strictum mucronem*, *ensem*, *telum*. Effecit Iris quæ voluit : nam sequuntur signa persuasionis hæc, *arrectæ mentes*, *stupefactaque corda Iliadum*.

644. Quo efficaciora sint, quæ dictura est Pyrgo, ejus senec-

635. *Infaustas.* Mali ominis. — *Nam mihi Cassandræ.* Non cui credere non debuerant; sed cum sua pernicie non crediderant. *Serv.*

639. *En quatuor aræ.* Ab occasione; quum ipsi dii ab aris suis ignem subministrent : aras autem intelligit quatuor, vel a Cloantho victore superius Neptuno votas positasque, vel quia singuli duces singulas posuerunt. *Taubm.*

640. *Deus ipse.* Maris, vel navium. *Serv.* — *Animumque ministrat.* Quomodo *animum*, id est, audaciam, deus ministrat? An quia furorem Juno immisit in animos mulierum? unde mox ait, « excussaque pectore Juno est. » An Iridis oratione animatæ sunt? An Deus maris, vel navium id fecit? *Taub.*

641. *Infensum*, vel *inimicum* ignem, *δήϊον πῦρ*; vel ipsa *infensa*.

tutem, et dignitatem commendat : senectutem, *maxima natu :* dignitatcm, *nutrix regia tot natorum Priami.*

646. Probat a conjecturis hanc non esse Beroen, sed aliquam e deabus cælestibus. Conjecturæ quinque sunt : oculi ardentes; spiritus; vultus; sonus vocis; gressus alius, quam in mortalibus. Est *conjux Rhœteia* Trojana, a Rhœteo promontorio Trojæ.

650. Conjecturis addit ipsissimam veritatem. Non potest esse Beroe, quam ego nuper reliqui ægrotantem, et ob id ipsum indignantem ac dolentem, quod non posset adesse huic celebritati propter ægritudinem. Quum ait *inferret :* usus est signata voce : nam ab infero dictæ inferiæ : itaque dolebat, non posse se celebrare inferias Anchisæ.

653. Subaudi quod libeat; effata est hæc tantum; vel effata conticuit.

654. Æstu cogitationis in diversa trahebantur : hinc amor terræ præsentis; inde fata, quæ Italiam pollicebantur : itaque *ancipites* vere, et *ambiguæ.*

657. Accessit persuasio ultima; nimirum, divinum aliquid; quo vis addita superiori orationi : nam statim arcus formatus est in aere, quem medium Iris volando secuit. Sunt *alæ pares,* alæ æquali motu agitatæ; immo nullo motu, quem discernere possent oculi : ita enim agitabantur, ut viderentur non moveri; in alis representavit notam divinitatis, quam de pedibus jam explicui : pares ferebantur alæ deæ Iridis, ut pedes deorum, nulla transpositione.

659. Huc destinatæ superiores machinæ et technæ Iridis : habuit quod voluit; nam matres attonitæ monstris, et furore actæ, conclamant, ignem rapiunt, injiciunt : ignis furit; naves corripiuntur : omnia sunt παθητικὰ, præsertim quum nullus honos habitus sit aris, et sacris : ignis enim, qui destinatus ad deorum cultum, servit abominando crimini.

664. Excitatus erat tumulus in medio theatri; ideo *ad tumulum, cuneosque theatri :* theatrum quippe circumstabat tumulum : eo itaque advolavit Eumelus ad perferendum nuncium; fides accessit ab oculis spectantium fumum.

667. Ex magno decoro attribuit ardorem hunc puero incipienti adolescentiam : ergo is eo contendit concitato equo et cursu; neque illum possunt magistri retinere; erant quippe exanimes, ne quid puero accideret in tanto rerum fervore : et vide rerum commutationem ingeniosam : puer, qui ludicras

tantum, nunquam veras pugnas gesserat, nihil timet; acer advolat; cursu invehitur; contra magistri pugnarum periti timent; sunt exanimes; volunt retinere.

670. Vere novus furor; nam et in fœminis, et in uxoribus; et non contra hostes, sed contra viros suos: ideo furiosæ et miseræ, ut quæ sibi ipsis præriperent spem eundi in Italiam. Exordium nullum, ut in re abrupta.

672. Hoc puncto temporis, ut agnosceretur, galeam sibi Ascanius adimit, qua ludicrum peragebat certamen.

675. Geminatio *simul, simul*, indicat cunctos advenisse, et agminatim. Quid tum fœminæ? aliæ præ metu abeunt vagantes per litora; aliæ se in sylvas abdunt; aliæ in antra: *piget incepti*, quia nollent fecisse: *piget lucis*, quia nollent vivere. Sequitur *excussaque pectore Juno est;* id est, excussus est furor, quem concitarat Juno.

680. Describitur pertinacia ignis hærentis in navibus: dat illi *vires indomitas;* ita tamen, ut cunctabundum faciat, quia materia uda: ideo, tardus fumus, lentus calor: adeo vero se pestis illa insinuavit in totum corpus navium; adeo indomitæ vires ignis, ut esset supra omnes vires, supra omnem aquam: nam nec vires etiam heroum profuerunt aliquid, nec aquæ, etiamsi instar fluminum jactarentur.

685. Æneas vere *pius* petit opem a cælestibus, et voce et manu; abscissa prius veste, et detracta ab humeris.

687. Omnipotentiam Jovis præmittit, qua possit mederi

685. *Tum pius Æneas humeris abscindere vestem.* Et notant qnidam quod damnum quatnor navium vĩr fortis et rex impatienter doleat: sed magis illnd considerandnm est, qnod ait snpra Ascanins, « Vestras spes uritis »: ut non damnnm doleat, sed spem navigationis ereptam. *Serv.* — Plurima hunc scissæ vestis ritum spectantia collegit Vir reverendiss. et literatus Jac. Lydius in florum Sparsione ad Pass. pag. 75, 76. — Maximnm hoc signum doloris fnit: usitatissimum apud Hebræos, ut patet ex sacris literis. Sed et apud Ægyptios, ex Herodoto, lib. II, quos mortuos prosecutæ mulieres vagæ per urbem percutiebant se nndatis mamillis. Apud Trojanos, ex Seneca in Troad. V, 101, ubi Hecuba: « Cadat ex hnmeris vestis apertis; jam nnda vocant pectora dextras. » Apnd Græcos, ex Herodoto, lib. VIII, re male gesta a Mardonio. Apud Romanos, ex Suetonio in Nerone, c. 42; « qui postqnam Galbam et Hispanias descivisse cognovit..... veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit. » Cansa autem hnjus moris hæc erat, ut pectus pateret ad planctum, cnjns etiam frequens apud veteres usus. *R.*

tantæ cladi, si non odio flagrat in Trojanos, et pius sit : perinde ac si dicat : potes quidem, quia omnipotens : superest, ut velis; ut autem velis, pietas te inclinet tua, qua olim erga nos clarus fuisti. Itaque verba illa, *si nondum exosus es Trojanos ad unum*, refer ad voluntatem. Quid vero petit? *da classi evadere flammam, eripe leto res tenues.* Satiatus sis incendio Phrygio; eripe exitio hanc navium tenuitatem, ad quam redacti sumus ex florentissimo imperio.

691. Si flammis pereundum, cur non tuis, o Juppiter? Deinde : in quo potest hærere noxa, nisi in me, qui dux omnium? cur non ergo me interficis, et parcis multitudini? Tertio, vide, ut mortem, quam xepetit, amplificet : non vult simpliciter perire, sed obrui : non qnocumque telo, sed fulmineo ; non alia dextra, qnam Jovis.

693. Ostenditur qnanta vis orationis et precum. Vix oraverat Jovem, qnum adest remedinm ab Jove : et nota ingenium : flammas petebat, et contra se : immittuntur aquæ, et contra flammas. Vide, ut graphice tempestatem describat : ea est *atra*, et *furit*, et *effusis imbribus*, et *sine more*, quia ultra morem, et modnm. Quid præterea? tremiscunt omnia tonitribus, tam montes quam plana : montes, nam *ardua terrarum* : plana, nam *campi* : et præclare montes infert; nam inter horum cavitates tonitrua esse solent vividiora, validiora, sonantiora. Non ista satis; videbantur enim imbres ruere non una cæli parte, sed ex toto cælo. Furebat vero turbo, uno præsertim Austro, qui pater pluviarum : et ad incrementum non *Austro*, sed *Austris*, hisque *densis*, quia semper pertinaciter identidem flantibus. Itaque desuper puppes implentur. Sed quo gradu res facta? primo tantum *madescunt robora*, non videlicet aqua initio vincente ignem; ideo mador tantum ; deinde *vapor omnis restinctus est;* nam a plenissimis aquis effectus plenissimus restinctionis. Exitus incendii fuit, quatuor naves periisse, reliquas mansisse incolnmes.

695. *Ardua terrarum.* Locutio ista a poetis in alios manavit. Apuleius, lib. V, « Ardua montium, et lubrica vallium, et roscida cespitum, et glebosa camporum. » Sidon. epist. I, 5 : « amœna fontium, abstrusa puteorum. » Plin. VIII, I. « Vitulorum fatigatos », pro, fatigatos vitulos : et X, 73 : « condensa arborum. » *Cerda.*

697. *Semusta.* In antiquis fere omnibus, *semiusta* quadrysyllabum scriptum est. Coeunt vero duæ mediæ syllabæ in unam ex Synizesi figura poetica. *Pier.* — *Madescunt Robora.* Aut humectantur :

700. Successus hic navium, ut satis acerbus, Æneam dubitabundum reddidit, et mire anxium, an oblitus jam fatorum resideret in Sicilia; an vero ad Italiam contenderet : hinc ille æstus curarum in utramque partem : nam quæ esse majores poterant?

704. Quum faciat Nautem consiliarium Æneæ, oportuit præmittere commendationem ejus hanc, *quem unum* præ multis *Pallas docuit*, *quem reddidit insignem multa arte*, multiplicibus consiliis sapientiæ. Atqui non is interrogatus; cur ergo *responsa?* Præclare : responsa enim ad deos pertinent, et ita oracula *respondere* dicebantur : ergo is, quem Pallas docuit, respondet; et veluti fundit oracula, quæ a dea acceperat. Quum vero Nautes in oratione sequenti duo dicat, videlicet partem Trojanorum relinquendam in Sicilia apud Acestem, nam hoc indicabatur portento illo incensarum navium; partem item transmittendam in navibus superstitibus ad Italiam; quum hoc, inquam, dicturus sit Nautes, dubitat poeta, an hoc consilium a deorum ira proficiscatur; an a fatis ita poscentibus. Tamen si videas quæ Nautes loquitur, plena sunt solatii; demit enim curas, et liberat animum a sollicitudine.

709. Qui natus es dea, fata sequere, sive prospera, sive adversa, hoc enim heroem decet. Quo vero acrius incitet, se et omnes eodem conjicit, quasi dicat : et tu, et ego, et omnes sequamur, quo fata trahunt retrahuntque : quum ait, *nate dea*, colligit benevolentiam : et pro tota oratione sciendum, rem agi ab necessario, ab honesto, ab utili. Fata habent necessitatem, et sequenda quocumque trahunt, retrahuntve. Quum ait, *est tibi Dardanius*, etc. expositio est ab honesto. Jam quum subdit, *Huic trade*, etc., rem deducit ab utili : utile enim relinquere onus inane senum et fœminarum.

711. Quæ præmisit, sunt loco exordii : ait jam; est tibi Acestes *stirpis divinæ*, quia *Dardanius*, et Dardanus quidem relatus est in Deos. Hunc oportet consiliis tuis capias socium, quum ipse præsertim velit : trade huic primo, qui superant,

aut resolvuntur in cinerem : quod naturale est post incendium. *Serv.*

704. *Tum senior Nautes.* Bene daturum consilium et ab ætate, et a prudentia, et a religione commendat. Quod autem dicit, « Pallas quem docuit » : propter illud, quod supra diximus, fingitur, quia ipse Romam Palladium detulit; unde Nautiorum familia Minervæ sacra retinebat : quod etiam Varro ducet in libris, quos de familiis Trojanis scripsit. *S.*—Vide Dionys. Hal. lib. VI; et Turneb. XXVI, 17;

supersunt, amissis navibus. Consilium hoc a necessitate; incensis enim navibus quatuor, reliquæ capere vectores illos non poterant. Deinde, trade quod pertæsum est magni tui incœpti, tuarumque rerum : vocat magnum incœptum propter imperium excitandum in Italia : qua re quid majus? Tertio, *senes longævos*. Quarto, *matres fessas*, ab navigando æquore. Quinto, *quicquid est invalidum, metuensque pericli*. Hi, inquit, omnes habeant urbem in Sicilia, appellentque ab Aceste Acestam. (Vide Excursum I, Vol. III, pag. 90.)

719. Conjunge omnia : primo Æneas incensus æstuat; deinde premitur curis variis, atque ita multis, ut pæne omnibus obruatur : postremo hunc ardorem, æstum, curas, adjuvat nox atra : nec mirum, in hac re fuerint tot affectus expressi; nam quæ major sese poterat Æneæ offerre, quum audiret partem Trojanorum relinquendam in Sicilia; in quo expresse videbantur fata oppugnari, quæ Trojanis dabant Italiam. Itaque his omnibus affectibus satis indicat vates hominem ἀμηχανοῦντα, consilii inopia laborantem, καὶ ἀποροῦντα.

722. Nullum aliud libri hujus argumentum, quam referre Anchisem inter Deos : ergo qui jam factus Deus, et relatus in cælum, de cælo labitur.

724. Oratio prima benevolentiam colligit; ait enim *nate;* vox amoris : quum ait, *care magis vita*, indicat desiderium, quo mortui tenentur : *exercite fatis Iliacis*, nam fata et mala Trojana miserrima fuerunt, et omni ærumna graviora.

726. Adhibet auctorem adventus, quo fides major habeatur : ille me huc misit, cujus erga te summa fuit pietas et misericordia in imbribus e cælo lapsis ad exstinguendum ignem grassantem in naves.

728. Quid vero tandem Anchises ad natum : jubet, ut pareat consiliis Nautæ, quia *pulcherrima*, id est, sapientia, optima, honestissima : ideo vero sapientissima, quia a seniore. Quod

721. *Et nox atra polum*. Quasi major causa cogitationis : ut, « Et sub noctem cura recursat. » *Serv.* — Νὺξ μελανόχροος. Eamdem et Pindarus Nem. Od. Z. μέλαιναν εὐφρόναν vocat; quia tunc subtilius homo sapit, quam interdiu. — *Bigis*. Ut Soli quadrigas tribuunt, ita Lunæ bigas : cui duplex proprietas, crescendi et decrescendi. Man. V, 3 : « Quadrijugis et Phœbus equis, et Delia bigis. » Ovid. Fast. IV, equorum vehiculum ei tribuit « Ut solet, in niveis Luna vehetur equis » : Auson. Epist. IV, juvencarum : « Jam succedentes quatiebat Luna juvencas. » De his confer Excursum II, vol. II, pag. 321.

vero consilium? ut tantum lecti juvenes in Italiam deferantur, quibus corda fortissima. Subjungit rationem, cur hos velit: nam agrestes et inculti, quales tunc erant Itali, quomodo, nisi a lectissimis et fortissimis domentur, mitescant et mansuescant?

731. Pars altera mandatorum patris ad filium est, ut se adeat apud inferos: quo jacitur semen ad sequentem librum, ubi narratur descensus Æneæ ad ea loca: voce *congressus* signantur aut colloquia, aut complexus: quo audentior sit natus, demit horrorem, quem potuisset concipere auditis illis, *infernas accede domos:* potes tuto accedere: non enim me habent umbræ tristes, sed piorum concilia; non Tartara, sed Elysium. Victa est prima difficultas: est altera: quis me ducet? Sibylla, inquit, ex deorum placito; nam præcedent sacra.

737. Est hoc alterum invitamentum, quo facilius Æneas pervincat difficultatem adeundi inferos. His dictis discedit, et cur discedat rationem dat: vale; non enim possum diutius immorari; nam, vertente nocte media, Oriens appetit, qui sane sævus est, et inimicus umbris mortuorum. Hæc ut dixit, evanuit in auras, instar fumi.

741. Plena omnia desiderii, affectus, conquestionis, uti illa, *quid natum toties?* Paterne natum fugis? a complexibus filii quis potest patrem arcere?

743. Decurrit statim Æneas ad sacra, quo omnia sint feliciora: ideo quærit ignes servatos in cineribus, ut adoleat far, et thus, et ita Vestam expiet: in versu illo, *Pergameumque*

732. *Averna per alta.* Ut *Gargarus Gargara*, et *Tartarus Tartara*, *Mænalus Mænala*, pluraliter, ita *Avernus Averna*. Serv.

734. *Amœna. Amœna* sunt loca solius voluptatis plena: quasi *amunia*, unde nullus fructus exsolvitur; unde etiam nihil præstantes, *immunes* vocamus. — *Piorum concilia, Elysiumque colo. Elysium* est ubi piorum animæ habitant post corporis animæque discretionem: unde et *interitus* dicitur res inter animam et corpus veniens. Ergo *Elysium*, ἀπὸ τῆς λύσεως a solutione; quod secundum poetas in medio inferorum est suis felicitatibus plenum: ut, « Solemque suum, sua sidera norunt. » *Serv.*

737. *Tum genus omne tuum, et quæ dentur mœnia, disces.* Hæ sunt causæ propter quas Æneas descendit ad inferos: generis agnitio, et civitatis nomen: quod ei nullus unquam prædixerat; sed solus pater indicat; latet enim, ut supra diximus, verum urbis nomen, unde ei pater quasi pro mysterio et adfectione ait, *illa inclyta Roma:* et nomen quidem Romæ a poeta dictum est; nam verum urbis nomen, ut dictum est, latet. *Serv.*

larem, *et canæ penetralia Vestæ*, pars posterior explicatio est prioris, hac sententia; veneratur Larem illum, quem e Pergamo, id est, Troja, adduxit secum; qui sane Lar nihil aliud quam Vesta ipsa.

746. Ideo Acesten accersit, quia et Nautes Acesten signaverat, et Anchises ad filium dixerat, ut pareret consiliis Nautæ: quid vero accersitis Aceste et sociis? Docet primum *imperium Jovis;* quia Anchises, *Imperio Jovis huc venio.* Deinde *præcepta parentis*, quia idem Anchises, non rogans, sed clare præcipiens, *pare consiliis*, *accede infernas domos*, *pete meos congressus.* Tertio docet sententiam suam, et hanc constantem. Hic volo quidpiam expendere: habet jam Æneas mentem constantem firmamque relinquendæ partis Trojanorum in Sicilia, ad quam mentem illi obtrudendam tam multa, tam valida argumenta præcedunt: erat enim difficile, persuadere hoc homini tendenti ex fatis in Italiam, nec vir prudens facile debnisset ab hac mente dimoveri: ergo consulit Nautem, qui prudentissimus, et ætate, et sapientia Palladis: apparet Anchises qui pater, et ideo peramice hortabitur; qui mortuns, et ideo res tota putabitur esse miraculosa: demum accedit voluntas, et imperium Jovis, quo nullum majus Numen: non aliter oppugnandus et expugnandus Æneas fuit, munitus fatis: non aliter prior opinio exuenda; induenda posterior, in qua jam firmus, et constans.

749. Quam citissime conveniunt ad capiendum consilium; res decernitur decreto omnium: Acestes paret. Transacti consilii fit jam exsecutio: nam matres illæ, quæ naves incenderunt, et vulgus illud, in quo nullus ad gloriam conatus, transcribuntur in novam urbem; potius deponuntur, quasi onera de navibus deponerentur, ipsæque naves exonerarentur.

752. Qui vero in Italia imperium condituri, se ad sequentem navigationem comparant, reficientes naves; satis se mul-

745. *Farre pio.* Vel quia exinde sacrificabant: vel quia mos fuit apud majores, ut divinum ignem farre servarent: qui si durasset in alterum diem, eum aptum agendis rebus significabant. *Far* autem frumenti certa species est, sicut adoreum. Horatius, « Non sumptuosa blandior hostia, Mollibit aversos Penates Farre pio et saliente mica »: Et Tibullus, « Farre pio placant et saliente sale. » *S.* — *Acerra.* Festi verba trado: « acerra ara est », inquit, « quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur; alii dicunt arculam esse turariam, scilicet ubi tus reponebant. »

tos esse arbitrantes, etiamsi pauci numero, ad occupandam Italiam; nam videlicet bello acres, et vividi.

755. Videtur mihi poeta hic voluisse constituere formam, qua usi veteres in urbe de novo constituenda. Tria enim præ cæteris necessaria; videlicet munitio contra vim externam; leges ad conservandam internam urbem, demum religio numinum in templis. Hæc itaque causa cur excitentur muri ad circumductum aratrum; dentur leges in foro judiciali; fundetur templum Veneri: ergo ante omnia murus designatur, isque aratro ex more antiquo: signatur etiam domus cuique civium. Vult vero Æneas, ut hæc urbs referat similitudinem Trojanæ. Sequitur: *gaudet regno Trojanus Acestes:* non gaudet, quia rex; nam et ante urbem rex erat, sed quia Trojanus cernebat similitudinem regni Trojani.

758. En alterum de legibus: *indicit forum*, id est, diem, ad quem adessent in foro lecti senatores; quibus præsentibus, ac jam vocatis patribus jura dedit: non dicit; jura dat patribus quos vocaverat: sed jura dat his, qui vocati dictique patres.

759. En tertium de religione: constituitur templum in honorem Veneris; idque in monte, cui nomen Eryx: additur vero templo sacerdos et lucus; qui et sacerdos et lucus sacer esset Anchisæ sepulcro: est *lucus late* lucus magnus latusque. (Vide Excursum II, Vol. III, pag. 92, de *Eryce*, et aliis.)

762. Post novem dies, quibus celebrata variis epulis apotheosis Anchisæ ab Trojanis et Siculis, nam hi sunt *gens omnis;* postquam *honos factus aris*, id est, sacrum, cogitant Trojani de navigatione in Italiam; estque in manibus occasio; nam *venti placidi straverunt æquora*. Proprie *æquora*, quæ strata et æqua a ventis placidis. Stratum est æquor, compositum,

755. *Urbem designat aratro.* Quem Cato in Originibus dicit morem fuisse. Condituri enim civitates, taurum in dextra, vaccam in sinistra jungebant: et cincti ritu Sabino, id est, togæ parte caput velati, parte succincti tenebant stivam obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent: et ita, sulco ducto, loca designabant murorum, aratrum suspendentes et portantes circa loca portarum, unde illis nomen: hinc et *territorium* dictum est quasi tritorium, tritum bubus et aratro. *Serv.* — Vide notam in aratri descriptionem, vol. V, hujus editionis, pag. 384.

756. *Sortiturque domos;* spatia domorum ædificandarum sorte partitur et distribuit; ubi æquitas Æneæ notanda est: sorte enim quod cuique obtigit, levatur invidia principis animus. Vide Not. Æneid. I, 423. — *Hoc Ilium;* dat Trojana nomina, ut transcriptis desiderium patriæ sit levius.

lene; et tamen crebri Austri, quia videlicet hi non furentes, tantum cum favore aspirantes, et leniter crepitantes.

765. Necessarii isti affectus et conquestiones in hac abitione: considera, quantus esset dolor divelli illos, qui una e Troja enavigassent; quum præsertim, quod accidisse credendum est, filii a parentibus confectis senio abjungerentur. Primum sunt fletus; a fletibus itur ad complexus: quum vero videant se inter suorum complexus, jam nolunt divelli; volunt ire; volunt perferre laborem omnem; non jam illis videtur mare asperum; jam omnia tolerabilia, etiam si in fuga.

770. Exspirant ista Æneæ bonitatem, et pietatem: hanc enim partem sæpe repræsentat in suo duce Virgilius, ut quæ necessaria in omni principe: ergo *solatur dictis amicis*, quia ipse *bonus:* en bonitatem: *commendat Acestæ*, quia *consanguineo;* et hæc *lacrymans*, en pietatem.

772. Gratissima commutatio: placet Virgilius semper, et cur placeat sæpissime ignoras. Eryci uni tres vituli cæduntur; omnibus tempestatibus una agna: positus lepor in mutatione numerorum. Sed cur Eryci? quia discessio fit ex Sicilia: cur tempestatibus? quia ituri per maria: nam, quum appulerint ad Italiam, tunc sacra fient Numini illius loci. In istis, *solvique ex ordine funes,* videtur innui solemne aliquid in solvendis funibus, ita ut prima omnium solveretur navis, quæ princeps totius classis, et qua Æneas vectus; nisi quis simplicius referat ad ordinem, quo omnes alligatæ.

774. Sed jam sacrum sequitur, quod princeps *ipse* ἱερατικῶς peragit. Præcedit apparatus ex circumstantiis: quippe coronatus olea; stans, et in prora; et tenens pateram. Quod vero sacrum? audi: porricit exta vitulorum et agnæ in fluctus; fundit vinum.

777. Quia propitiati jam Dii; quasi causa illa favorabilem et secundum ventum effecerit: itur vero in Italiam et remis, et velis, in quo expressa cupiditas Trojanorum: velis; nam *ventus euntes prosequitur:* remis; *socii feriunt mare:* et quia ventus est *a puppi*, id est, secundus, inde ipsi quoque celerrime navigant; ideo *æquora verrunt:* omnia quippe se mutuo adjuvabant. Observa ita hic jam Siciliam deseri, ut in eam nunquam sit reditus.

779. Aggreditur narrationem opportunam historiæ. Tendit jam Trojana classis in Italiam; ergo propitiandum fuit Numen maris. Neptunus, quo cursus sit facilior, et lenior, neque

tempestatibus expositus, ut hactenus. Commode vero Venus inducitur sollicita de rebus filii; imo *exercita*, vexata curis, fatigata, enecta : et ideo *effundit* pro nato non verba, ut incassum; sed questus, quo exprimitur habitus interni doloris : et quia *questus*, ideo e *pectore*, ubi altius dolor insederat.

781. Nominat illum, *Neptune*, ut captet; adhibetque rationem, cur descendat ad preces; videlicet, *Junonis ira*, et hæc *gravis;* et *pectus inexsaturabile*. Ducit vero exordium a necessitate, quia ait se cogi.

783. Dixerat, gravem esse iram Junonis; ostendit jam a quadruplici capite hanc gravitatem : diuturnitas temporis omnia consumit, non iram Junonis, quæ duravit ante bellum Trojanum; in ipso bello; post bellum : pietas grata est Diis, et apta ad reconciliationem; illa non lenitur pietate Æneæ, non mitigatur : imperium Jovis potens est in reliquos superos; una Juno pervicax est : demum, fata quem non frangunt? illa adhuc infracta est. Quæ sequuntur deinde pertinent ad majorem explicationem horum capitum.

785. Non satis fuit Trojam exedisse odiis nefandis? Præclare *exedisse;* nam supra *pectus inexsaturabile;* itaque tamdiu exedens, numquam saturatur. Sed præclarius adhuc *odiis nefandis:* dixerat enim illam non mitigari pietate sacrificiorum; Jovis Imperio, fatis disponentibus : ergo Junonis odia non injusta solum sunt; sed contra pietatem, Jovem, fata; ac perinde nefanda. Non satis est, *traxisse reliquias Trojæ per omnem pœnam?* nam quibus non malis exercita est Trojana classis, quæ superstes fuit Trojano incendio? Sed ecce post eversam Trojam, post vexatas reliquias, *insequitur cineres, atque ossa peremptæ* jam Trojæ : quod odium immane, dirum, atrox : nam sævire in mortuos supra omnem sævitiam est : ergo, *sciat illa causas furoris tanti;* nam ego neque scio, neque assequor.

789. Ex tam multis cladibus, quibus Juno affecit Trojanos,

781. *Junonis gravis.* Magnum artificium : nam in ipso principio et suam personam commendat, et adversariæ deturpat. Et incipit a nomine, et addit, *gravis ira* : et exaggerat, quod pectus ejus dicat *insaturabile*. Quam autem crudelis in Trojanos sit, ipsius Neptuni testimonio probat. *Donat.* — Euripides dixit; ψυχὴ ἀκόρεστος.

785. *Media de gente.* Id est, totius gentis potentem. *Serv.* — *Exedisse.* Atrox metaphora : et muliebriter dictum : inde sequitur, « cineres atque ossa peremptæ », valde miserabiliter : quum cæteri hostes post mortem non sæviant in cineres et ossa. Est enim hoc loco crudelitatis amplificatio gradatim ad summum tendens. *Taub.*

duas tantum commemorat, videlicet tempestatem, qua classis delata est in Africam, et unde sumptum exordium hujus epici operis; et recentem hanc de incensis navibus: indicans miseram classem Trojanam aquis flammisque oppugnatam. Invidiose vero omnia: pertrahit enim Junonem in odium Neptuni, hac sententia: tuis te armis oppugnavit; nam in te armavit Æolum, Deum tibi subditum: deinde in regnis tuis audax fuit, alienam potestatem usurpans.

793. Dixerat, Junonem esse iracundam, idque multis verbis: pertinacem; *quam non longa dies:* immitem, quia non mitigaret illam pietas: pervicacem, quia contra imperium Jovis: infractam, quæ nec fatis cederet: nefandam, in qua nefanda odia; impiam, quæ mortuam Trojam vexaret: furibundam, in illis; *causas tanti sciat illa furoris:* audacem, *in regnis hoc ausa tuis.* Post tot crimina, post tot opprobria, ecce de novo sceleratam arguit. Sed quod tandem scelus? *Exussit puppes*, etc., neque enim nisi per summum scelus matres in eam rabiem agerentur, ut contra suos liberos, contra sua, inquam, viscera sævirent: ademerunt enim quantum in se fuit, suis liberis adjumenta adipiscendæ laudis, gloriæ, immortalitatis: quæ omnia posita in transmissione ad Italiam: cum hoc tanto scelere Junonis adjuncta fuit fœditas, et indignitas facinoris: Siciliam vocat *terram ignotam* respectu Italiæ, quæ notissima, et fatis decantata: et quidem Trojanis ex Asia venientibus in Europam, tantum nota erat ex oraculis Italia.

796. Quam præclare! non enim ait; liceat dare vela Æneæ; sed liceat dare tibi vela, quasi hactenus impedita fuerit potestas Neptuni, nec licuerit in suo mari imperare præ metu Junonis: *liceat attingere Tibrim Laurentem:* en summa petitionis, ad quam tot verba destinata, tam male affecta Juno, tam acriter concitatus Neptunus. *Si peto concessa; si Parcæ dant ea mœnia;* advocat pro se, quæ torserat in Junonem: illa oppugnat fata; resistit imperio Jovis: me fata adjuvant, et Parcæ; peto, quæ mea sunt; nam jam concessa a Jove, fatis, Parcis.

799. Indicat hic versus majestatem loquentis. Sed quare *Saturnius*, non, Neptunus? quia postea *Cytherea*, non Venus.

799. *Tum Saturnius.* Hujus versus tumor in describendo Neptuno adducit mihi in memoriam parem tumorem periodi Arnobianæ, lib. III: « Neptunus Stygii frater Jovis, Olympiique germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus, atque mænarum, Rex salsorum gurgitum et tremebundi motator sali. » *Cerda.*

Hujus concinnitatis servantissimus est poeta : eadem concinnitate supra ; *At Venus interea Neptunum exercita curis Alloquitur.* Aliquis nihil cogitans, cum Saturnio jungeret Venerem, eum Cytherea Neptunum. Noster voluit nomen proprium cum proprio nomine conjungere ; cum derivato derivatum.

800. Initio metum adimit; dat fiduciam fore, ut accipiat Venus quæcunque postulet; omnia, inquit, in regno meo consequeris. Ratio prima cur Venus debeat fidere, quia inde *genus ducis.* Altera, *merui quoque ;* quippe beneficia et merita, quæ in alios conferimus, illis præbent spem obtinendi, quæ a nobis postulant. Amplificat hanc alteram a meritis, quæ profecta a se sunt in Venerem, Æneam, Trojanos : priore loco affert illa, quæ fecerit in mari, comprimens tempestates, et cæli minas : posteriore, quæ in terra apud Trojam : adhibet testes Xanthum, et Simoenta, quia apud illos gesta prælia Trojana. Hoc posterius beneficium multis commemorat, ut in quo uuice versata Æneæ salus. Quod beneficium eo majus, quo magis ego, inquit Neptunus, in Trojam merito infensus et male animatus eram ; rem tamen ejus servavi incolumen, videlicet Æneam tuum.

812. Allusum ad initium sermonis; potes fidere in meis regnis; nam mihi eadem semper mens juvandi Æneæ tui ; favendi rebus tuis ; quamobrem *timores pelle.*

813. En summa concessionis : dixerat Venus; liceat tibi dare vela tuta ; respondet Neptunus : dabit tuus filius vela tutus ipse, neque solum dabit vela, sed accedet ad portus Avernos, id est, Cumanos ; unus tantum desiderabitur ex tota classe : signat navem Palinuri.

816. Ex occasione describitur equitatio Neptuni per maria, quam ego ad quatuor capita redueo : primum caput continet Neptuni αὐτοδιακονίαν, nam ipse *equos jungit; addit fræna; habenas effundit.*

807. *Evolvere.* In Mediceo *revolvere* legitur. Sed vulgata lectio candidior, et in eo numero picta videtur difficultas. *Pier.* — Hæc omnia Homer. Iliad. XXI ; ubi Achilles tantam stragem edit, ut Trojanorum cadaveribus obstructus Xanthus in mare profluere non posset. Ita de eodem Catullus in Epithal. Pelei : « Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri, Cujus iter cæsis angustans corporum acervis Alta tepefaciet permista flumina cæde. » *Taubm.*

818. *Feris.* Equis ; ut, « Inque feri curvam compagibus alvum Contorsit. *Serv.* » — *Effundit*, immittit : aliud est *dare* sive *laxare frena*, aliud *effundere* vel *inmittere* : is enim qui inmittit, sinit frena

819. Est hoc secundum caput, in quo equitatio habetur: cæruleo curru levis volat.

820. Tertium caput continet sequentem ex omni parte tranquillitatem, ad equitantem Neptunum: vides enim undas subsidentes; æquor stratum; fugientes nimbos.

822. Quartum caput habet comitatum Neptuni, in quo sunt cete, chorus Glauci, Palæmon, Tritones, Phorci exercitus, Thetis Dea maris, Nereides plurimæ. Hæc omnia variis rebus exornantur, quas diligens lector percurret.

827. Lætari Æneas cœpit visa tranquillitate; sed ita gaudium erat in duce, ut vicissim tantum gauderet, nimirum suspensus inter dolorem et lætitiam: dolor ab his, quos reliquerat in Sicilia; lætitia, quod se jam tandem cerneret euntem in Italiam, nemine impediente: ergo quia dixit *vicissim*, ideo *suspensam:* deinde gaudia dicit *blanda*, quia *pertentant:* pertento enim innuit titillationem, cujus propria blandimenta. Vult vero uti occasione opportuna spirantis venti; ideo mali omnes attolluntur; intenduntur vela: *brachia intendi velis*, figura est nota, pro, vela intendi brachiis. Puto autem, mentem esse poetæ, tantum velis adnavigatum: initio enim et velis, et remis navigatio cœpta: jam occasione venti spirantis videtur relinqui omnino remus, et omnis poni opera in velis: nam ait statim; *una omnes fecere pedem*, nemo ergo relictus ad remos: quid sit *pedem facere*, in notis ubertim infra explico. Vide vero diligentem operam nautarum, solutione illa sinuum nunc sinistrorum, nunc dextrorum; torsione detorsioneque antennarum: quæ diligentia eo destinata, ut semper classis secundam auram acciperet: ideo ait, *ferunt sua flamina classem*, id est, secunda semper flamina.

esse libera; qui dat, non tenet ea adstricta, non tamen libera plane esse patitur.

822. *Variæ comitum facies*. Aut belluas dicit marinas, secundum naturam; aut poetice deos marinos. *Serv.* — *Inmania cete*. Plinius XXXII, 1, tradit hujusmodi belluas Arabiæ flumen intrasse sexcentorum pedum longitudine; CCCLX latitudine. *Taubm.*

830. *Fecere pedem*. Id est, podium; hoc est, funem quo tenditur velum. *Serv.* — Pes, in navi, pars est veli infima, quæ ad navis latus religatur; quam nautæ, prout tempestas poscit, aut contrahunt, aut laxant. » Ita Bayfius, de re navali, describit *pedem*. (Alii funem accipiunt, quo velum tenditur: inde, *facere pedem*, pro, vela tendere: qua forma, *vela facere* dicimus.) Duo autem pedes sunt; dexter et sinister. Catullus Carm. IV: « sive utrumque Juppiter simul secundus incidisset in pedem. » Se-

833. Palinurus, ut qui princeps, agebat ante omnes agmen densum cæterarum navium: nautæ vero alii jussi erant contendere cursum ad hunc principem. Vide Excursum VII, Vol. III, pag. 97.

835. Accingit sermonem ad narrandum casum Palinuri. Erat vere nox media, ac tunc nantæ somnos capiebant: qui tamen non componunt corpus, sed raptim *fundunt*, et jaciunt, ut qui fessi: inde quies placida, et laxatio membrorum; neque vero durities lecti obstabat fatigatis labore.

837. Hoc puncto temporis Somnus e cælo descendit, ac primum omnium, *dimovit aera tenebrosum*, *umbras dispulit*; hoc consilio, ut deceptus Palinnrus fraude cæli sereni iret in somnos: ideo statim; *te*, *Palinure*, *petens*, quo verbo notantur insidiæ: illa, *tibi tristia somnia portans insonti*, sunt mire παθη-τικά: ergo sedit in puppi latens sub aliena figura; et fudit, non voces, aut quidvis aliud, sed *loquelas*, in quibus blanditiæ, ut plerumque in diminutis omnibus. Itaque Somnus, qui blanditur ad soporem, habet, sic dicam, mellitas voces: ex eadem mente *fudit*; qno verbo innuitur illapsus quidam dulcis.

neca in Medea vs. 320: « nunc lina sinu tendere toto: nnnc prolato pede transversos captare Notos. » Sed et, *proferre pedem*, est funibus imum veli minus adducere, sed laxins esse sinere, et longius producere; nam pede velum tenditur: aut potius utramque partem veli æquatam esse non pati, quod fit altero fnne producto: atque ita obliquantur veli sinns: prolato enim fnne, et sinu veli obliquato, sic colligitur ventus, ut adversæ naves, eodem vento inflatæ, possint concurrere. Ita Lipsius ad illud Senecæ Philos. II, 34; de Benef. *Pedem et nostrum dicimus*, *et lecti*, *et veli*, *et carminis*; notat: Pars utraque inferior veli, nbi funibus distenditur, *Pes* dicitur; et quidem pro lateribus, *Dexter* aut *Sinister*. — Vide Lilinm de navigiis, cap. 15: Delrium in Medeam Senecæ: Turneb. lib. XX, adv. cap. 4: Plin. II, cap. 47: Calab. lib. IX: Plntarc. Lucian. Sophocl. in Antigon.: Homerum, Odyss. X. Vide etiam Nostrum vol. III, pag. 84.

840. *Te*, *Palinure*, *petens*. Factiose aggrediens, adpetens: atqua sciendum in majus celebrari Palinuri mortem more poetico, quem dormientem in undas constat missum. — *Somnia*. Soporem: bene autem discernit ista Virgilins, ut *Somnum* ipsum deum dicat: *Somnium*, quod dormimus: *Insomnium*, quod videmns in somnis: ut, « Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes. » *Serv.* Vide Excursum VIII, vol. III, pag. 97, de Somno Palinurum opprimente.

842. *Phorbanti*. Codices nonnulli sane quam vetusti *Forbantis* habent. Grammatici tamen genitivum ad mores, dativum ad faciem referuut. *Pier.* — *Phorbanti similis*, Somnus in Homero fit ἐικὼς Νεσ-

843. Triplex ratio, qua invitat ad somnos; ipsa æquora ferunt classem; auræ æquatæ spirant; est jam quietis hora. Jasides est filius Jasi; hic enim Pater Palinuri.

845. Conclusio ab rationibus: in verbo *furare*, allusum ad naturam somni subrepentis, et veluti furtim invadentis: vocula *fessos* juvat triplicem rationem, et efficit quartam.

846. Frigebant superiores illæ rationes, nisi hæc accederet: magnum enim fuit pondus ad persuasionem, esse alium, qui obiret munus gubernatoris. Factum vero, ex magna proprietate, ut oratio Somni brevissima esset; nam ad præsentiam Somni dormitans jam Palinurus, qui longam orationem posset audire?

847. Jam videlicet somnus obrepserat; et graves erant oculi; ideo vix attolluntur.

848. Ironica oratio: egregium scilicet admonitorem, qui me vult, hominem scientissimum rei nauticæ, ignorare quale sit mare, etiam quum placidum et quietum! egregium admonitorem, qui me jubet confidere tam immani monstro!

850. Non tam sibi timet, quam suo principi, optimi ministri exemplo. Præclare autem *credam:* quasi dicat: non *credam*, qui sæpe jam *deceptus*, quia austri sunt *fallaces:* dixerat etiam *confidere monstro:* ergo: non ea sum confidentia, inest enim vitium temeritatis in hoc verbo, ut credam Austris principem commissum meæ fidei.

852. Proponit poeta in suo Palinuro nautici gubernatoris exemplum: non amittit clavum; affigitur; hæret; attollit oculos etiam si graves jam somno: omnino vides gubernatorem ὑπνομαχοῦντα.

854. Hoc puncto temporis Somnus ramum quassat ter quaterque; non enim frustra adhibetur verbum frequentativum: quassat vero illum super tempora, signatissime; inerat autem ramo vis sopiendi ex Lethæa aqua, qua madebat: atque ita

τορι, *similis Nestori:* in Calabro, πατρὶ ἐοικὼς, patri Penthesileæ similis: viros tres Phorbantes nominant Græcorum Commentatores, interque eos filium Priami, quem hic Poeta inducit. *Cerda.*

845. *Pone caput.* Bene particulatim ad id venit, quod aperte dictum refutaretur. — *Labori.* Ex intuendis sideribus. — *Paulisper*, paululum, dum tu quiescis. *Serv.*

855. *Vique soporatum Stygia.* Morte plenum. — *Utraque Tempora.* Per utrumque tempus. *Serv.* — *Quassat.* Nimirum ut rore illo perfunderentur tempora. Ita Tibullus Eleg. I, 2: « multo percussum tempora Baccho. »

Somnus *cunctanti natantia lumina solvit* : explico singula : *cunctanti*, id est, immoranti, et reluctanti et contra vim somni : *natantia*, id est, ait Scaliger, *fluitantia; nunc enim aperiuntur, nunc clauduntur* : demum *solvit lumina*, id est, facit Somnus, ne Palinurus habeat lumina intenta, acria, vivida; sed soluta, remissa, languida.

857. Qui sunt *artus primi?* Somnus ita solet irrepere, ut primum quæ sunt exteriora in homine relaxet, ac solvat; ac paulatim procedens interiores sensus alliget, et constringat: ergo ut explicet poeta celerem mortem Palinuri, ait, illum lapsum nondum somno serpente ad interiora animæ, tantum artus occupante. Hoc si non placeat, explica per hypallagen, ita : vix quies prima laxaverat artus inopinos : dici autem queunt artus inopini, quos Somnus inopinato aggreditur.

858. Tum Somnus incumbens super Palinurum, projecit præcipitem in undas : in hoc casu elucet elogium Palinuri, qui ita clavo hæserat, ut cadens illum secum traheret, et partem etiam puppis, cui affixus clavus. Quum ait *voce vocantem*, non est pleonasmus; sed exprimit vociferationem, qua usus Palinurus. Hoc facto in altum Somnus revolavit.

862. Venustus versus conflatus ex vocibus diversorum elementorum; nam *classis currit*, et tutum est *iter æquore* : sententia integra est; non aliter it classis per mare, ac si gubernatorem haberet, quia videlicet jam prosperam navigationem Veneri Neptunus promiserat.

864. Sed ecce in secundo cursu aliqua infelicitas; nam classis impegisset pæne in scopulos Sirenum, ubi deformia olim naufragia; ut indicium erat ab ossibus miserorum; nisi Æneas, ut sensit, pro gubernatore puppi adstitisset, et clavum rexisset:

858. *Et super incumbens*. Elegans hypotyposis : sic autem Somnus præcipitem dedit in fluctus Palinurum, ut secum et gubernaculum traheret, et partem navis; frustra opem dormientium sociorum implorans. *Projecit* autem est, porro jecit, aut procul jecit. — *Cum puppis parte*. Prooeconomia; ut triduo natare potuerit. *Serv.*

865. *Difficiles*. Navigiis perniciosos : ut qui sævitiam suam multitudine ossium testarentur. *Taub.*

866. *Tum rauca*. Ac si diceret; antehac delectabili voce resonabant, tunc fluctibus solis : et bene imitatus est maris stridorem. *Serv.* — *Sale saxa sonabant*. Σιγματισμῷ stridorem maris expressit : de quo Scalig. IV, 48; item supra, Æneid. IV, 526. *Adsiduo* autem *sale*, est, frequenti maris impulsu et adsultu. *Taubm.*

868. *Nocturnis rexit in undis*. Id est, per noctem in mari. Heroicis autem temporibus, ut nandi insci-

fluitans quippe navis amisso Palinuro, ducem admonuit calamitatis.

870. Plena omnia πάθους, et pietatis Æneæ. Expendit Nascimbænus ita : « locus commiserationis ex circumstantiis, quod nudus; quod in ignoto loco; quod in arena insepultus, atque indefletus jaceat. »

tia probro erat; ita et Heroes αὐτόχειρες gubernandæ navis peritia valebant : ut non solum ab hac facultate Ulyssem commendet Homeros, et siderum scientia; sed et ab opificio et fabrili arte compingendæ navis; ut Odyss. Noster hoc dat Æneæ etiam lib. X : « Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat. »

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER SEXTUS.

(Vide Argumentum generale, vol. III, pag. 99.)

ANALYSIS.

Post lacrymas de obitu Palinuri, Æneas ad Cumas applicat; proras navium ad pelagus convertit; puppes ad litora; sistit anchoras; descendunt juvenes, quorum ardor et studium describitur; 1—8. Æneas interim adit templum Apollinis et antrum Sibyllæ: ex occasione narratur volatus Dædali, qui templi hujus conditor. Describitur ornatus forium; 9—26. Pergit ornatus forium, ubi amor Ariadnæ attingitur et mors Icari: adveniunt Achates et Sibylla; 27—36. Illa Æneam reprehendit; docet sacrum; ducit ad templum: describitur antrum et furor Sibyllæ; 37—55. Æneæ preces ad Phœbum, quo iter dirigat ad Italiam; ad Sibyllam, quo pandat oracula: promittit se utrique gratum fore, videlicet Phœbo et Sibyllæ: rogat sibi vaticinium dari; 56—76. Furit Sibylla ante oraculum; patent ostia antri; edit illa vaticinium, quo prædicit Æneæ bellum Italiæ et belli causas; firmat illum contra omnem vim et fortunam; 77—97. Cessat illa ab oraculo; Æneas rem novam ab ea petit, patris videlicet aspectum, qui jam mortuus: adducit argumenta quibus debeat id sibi concedi; 98—123. Objicit Sibylla difficultates, ut inferni adeantur; 124—136. Sed ita objicit, ut viam aperiat, qua possit rem istam consequi, explicans doctrinam rami aurei: admonet illum de obitu socii cujusdam; docet quæ sacra debeant præcedere descensum infernorum; 137—155. Discedit inde Æneas cum Achate, ignorans quisnam mortuus ille: videt esse Misenum; percurritur hujus vita, mors, et mortis causa; 156—174. Parantur necessaria ad funus Miseni; nam sylva ad rogum exciditur; qua in sylva precatur sibi aureum ramum indicari; 175—189. Respondet exitus Æneæ precibus; ramum invenit ductu columbarum; corripit; fert ad Sibyllam; 190—211. Fiunt tandem Miseno sacra; omnia ex prisco more; 212—225. Sequuntur ritus alii, cremato jam cadavere; 226—235. Fiunt

sacra Deorum Manium, quæ necessaria ante aditum inferorum; 236—254. Adest jam Proserpina superioribus sacris evocata; aggrediuntur Sibylla et Æneas viam inferorum; 255—263. Fit de novo invocatio ad res inferni aperiendas. Adhibetur comparatio ad explicandum iter illud caliginosum; 264—272. Describuntur monstra, quæ ante vestibulum inferorum; 273—280. Sequuntur monstra alia, quæ in medio vestibuli; incipitque ab ulmo somniorum: attingitur Æneæ animus; 281—294. Superatis monstris, eunt recta ad infernum: describitur portitor inferorum Charon; 295—304. Narratur aptis comparationibus turba omnis generis animarum confluentium ad transmeandum Cocytum; et delectus Charontis in his admittendis, in illis arcendis; 305—316. Explicat Sibylla Æneæ, quid sit delectus ille Charontis: nam sepulti admittuntur; insepulti arcentur; 317—330. Agnoscit, inter insepultos, quosdam e suis; interque illos Palinurum gubernatorem suæ navis; quem rogat, quo mortis genere abreptus fuerit; 331—346. Respondet Palinurus Æneæ, aperiens casus suos; 347—362. Petit in exitu sermonis, ut sibi justa persolvat, quo possit tandem Cocytum transmittere; 363—371. Increpat Sibylla Palinurum; deinde consolatur posteritatis memoria, quæ de illo futura est; 372—381. Discedit ab illis Palinurus: hi peragunt institutum iter; prohibentur a Charonte; 382—397. Aperit Sibylla ramum; agnoscit illum Charon; utrumque transmittit, et extra fluvium exponit; 398—416. Cerberum sopit Sibylla; 417—423. In inferorum initio sunt infantes; deinde damnati falso crimine, quibus Minos inferorum judex has sedes attribuit; 424—433.. Sequuntur tertio loco, qui sibi per vim mortem attulerunt; 434—439. Sunt quarto loco qui perierunt amore; 440—449. Agnoscit Æneas Didonem inter hanc turbam; loquitur ad illam, excusans profectionem suam a Carthagine; 450—466. Nihil Dido audit; ab eo fugit; pergit ad Sichæum; 467—476. Transit ad quintam regionem, ubi viri bello clari: occurrunt illi Græci et Trojani commixtim; 477—488. Occurrunt extremo loco duces; agnoscit inter illos Deiphobum; 489—499. Cum eo loquitur; dicit justa illi persolvisse; 500—508. Recenset Deiphobus, quo mortis genere multatus fuerit, conjecta culpa in Helenam; 509—534. Admonet Sibylla Æneam, sermones abrumpat; discedit Deiphobus; 535—547. Describitur numen Tartari; 548—558. Aperit Sibylla Æneæ quæpiam de Tartaro; 559—579. Recenset illos qui sunt in Tartaro; 580—594. Prosequitur catalogum; 595—607. Subjungit alios, abstinens jam ab nominibus; 608—627. Viso Tartaro, auditis pœnis, pergunt ad regiam Plutonis, ubi ramum figunt; 628—636. Perveniunt ad sedes beatorum; describuntur illæ, atque isti; 637—647. Narrat multos, qui visi in arvis illis; 648—659. Pergit narrando ad alios; 660—665. Rogat Sibylla Musæum, ubi sit Anchises; præbet se Musæus ducem ad illum; 666—678. Occurrunt sibi Æneas, atque Anchises: loquitur prior pater; 679—694. Respondet filius, vultque patrem complecti, sed nequit; 695—702. Videt Æneas amnem Lethæum, multosque avide volentes inde bibere; rogat patrem, quid hæc velint; 703—712. Accingit se Anchises

ad longam narrationem, quam habiturus ex doctrina Pythagoræ, de animarum transmigratione in alia corpora; 713—721. Aperit nato pater primam rerum omnium constitutionem; animarumque originem; quatuorque affectus, qui illis subsunt; 722—734. Prosequitur narrationem, absolvitque illam, donec perveniat ad transitum animarum; 735—751. Hoc facto ducit Anchises Æneam ad locum, ubi possit videre atque agnoscere futuram sobolem; 752—759. Incipit a Sylvio primo post Ascanium rege; 760—766. Transit ad reges alios Albanorum, et ad alios principes viros; 767—776. Post illos inducit Romulum, et ex occasione Romam laudat; 777—787. Pervenit ad Augustum, qui totius narrationis scopus, quem mire laudat comparans cum Hercule, et Baccho; 788—807. Ab Augusto transit ad Numam, Tullum, Ancum; 808—816. Post hos, ad Tarquinios et Brutum primum consulem, et ad duces alios; 817—825. Fit præcipua mentio Pompeii et Cæsaris; 826—835. Hic jam multi confertim nominantur, qui Romanis rebus maximum ornamentum attulere; 836—846. Comparans eum aliis gentibus Romanos, dat his peritiam imperandi; 847—853. Conjungit extremo loco duos Marcellos; Claudium, domitorem Annibalis; et illum, qui filius Octaviæ sororis Augusti; 854—866. Habetur sermo longissimus de altero Marcello; 867—885. Libri exitus, in quo sunt portæ somniorum; 886—901.

EXPLICATIO.

1. Refer exorsum istum ad finem præcedentis libri: ibi enim submersum Palinurum secutus est gemitus Æneæ, et verba doloris plena: ergo sic fatur, et cum lacrymis. Post querelas voce editas; post gemitum, qui singultibus exprimitur; sequuntur lacrymæ, veri doloris et affectus indices. Vide constantiam, non impediunt lacrymæ virum fortem ab peragendo munere. Est vero *classi habenas immittere*, vel clavum novum suæ navi substituere, pro illo, quem Palinurus secum præceps vexerat; nam, sicuti equus habenis regitur, sic navis clavo: vel funes nauticos laxare ad navigationem: ponitur autem *classi*, pro cunctis navibus.

NOTÆ.

Hic liber Æneidos sextus, ex Homeri Odyssea ductus, omnia hujus generis carmina longe superat; quod facile variis locis modo probabimus. Interea primus Excurs. de *Necyiis* quas excogitarunt poetæ, legendus est, vol. III, pag. 214: et conferenda sunt quæ sequuntur argumentum, vol. III, pag. 100.

1. *Classique*. Aut suæ navi, quæ classis dicta est, ἀπὸ τῶν κάλων, id est, a lignis: unde Horatius, « Me vel extremos Numidarum in agros *classe* releget: » aut omnium quæ ejus cursum sequuntur. Palinuri enim implet officium, de quo

2. Ergo navis tranquille admodum, nam hoc est, *allabi*, appellit ad portum Cumarum: has nominat *oras Euboicas:* nam ab Chalcide civitate insulæ Eubœæ profecti sunt, qui Cumas condiderunt. Refer particulam *tandem* ad incredibile Æneæ desiderium.

3. Prora, eunte nave ad portum, spectat portum ipsum: puppes vero, mare, quod a tergo relinquitur; postquam autem jam navis portum attigit, prora convertitur ad pelagus, puppis ad litus: inde hic, *Obvertunt pelago proras:* inde postea, *litora curvæ prætexunt puppes:* fiebat hoc, ut paratior esset navis ad sequentem navigationem. Ergo ait poeta: proræ obvertuntur ad pelagus: nota verbum, in quo inest directio, difficultas et molimen: diceret male quispiam; vertunt; convertunt; commutant. Deinde, *Anchora naves fundat*, id est, stabilit sistitque naves, estque illis veluti pro fundamento: et hoc *dente tenaci*, id est, hærente, affixoque firmiter, ne naves abripiantur vento. *Puppes prætexunt litora*, id est tegunt, et hoc sua curvitate.

5. Vide sermonem vividum: manus juvenum, et hæc ardens, emicat ad litus Hesperium: ideo *emicat*, quia *ardens:* ideo *ardens*, quia juvenes, quorum proprius ardor, et fervor: poeta e vulgo diceret, prosiliunt nautæ: ideo omnia, quia *ad litus Hesperium*, quod tantopere optabant, quod per annos septem quæsierant, cujus spe egressi Troja, cujus desiderio contempta Carthago, cujus amore multæ et arduæ toleratæ procellæ. Illud *juvenes*, pendet ex historia, quia relicti senes in Sicilia, ut habetur libro superiore. Hesperiam dici Italiam, et *manum* pro multitudine militari, quis nescit?

6. Repræsentatus supra ardor juvenum; jam hic sedulitas: pars juvenum quærit *semina*, id est, scintillas ignis *abstrusas*, id est, contrusas, latentes, reconditasque a natura in venis silicum: pars alia rapit sylvas, quæ sint ferarum tecta, et receptacula; monstratque alter alteri, magno lætitiæ signo, flumina, quæ quærendo invenit; fontes, et aquarum scaturigines. In verbo *rapit*, attende studium juvenum ferentium ligna.

9. Ex magno decoro ducis Æneæ; nam quum alii res corporis curarent, ille vere pius animum ad religionem intendit, contenditque ad Apollinem, cujus templum situm in sublimi parte Cumarum; ideo ipse Apollo *altus;* ideo templum *arces*.

supra ait, « Ad hunc alii cursum contendere jussi. *Serv.*

9. *Arces, quibus altus Apollo.* Quum ubique arx Jovi detur, apud

Erat in ipso templo Sibyllæ antrum, ab reliqua parte secretum, et hoc *immane*, id est, magnum et vastum : ergo petit secreta Sibyllæ, videlicet antrum immane : vocat Sibyllam horrendam cum respectu ad religionem, id est, venerandam. De Cumani agri topographia, de templo Apollinis et de antro Sibyllæ, vide Excursus II, et III, Vol. III, pag. 216—221.

11. Huic Sibyllæ Apollo futura aperit, agens illam in furorem et rabiem; nam hoc est, inspirare magnam mentem atque animum. De distinctione harum vocum dicam infra in Notis.

13. In hoc templo Diana quoque celebratur; huc contendunt Æneas pariter atque Achates. Placuit poetæ pro templo dicere *lucos*, quia templa cincta arboribus, et sylvis. Ergo duplex

Cumas in arce Apollinis templum est : *altus* autem vel magnus. Cæterum hic sex notanda sunt : 1° Æneæ prima cura est adire Sibyllam, juxta monitum Heleni, Æn. III, 441; præceptumque patris, ibid, 731; 2° Templum illud in latere orientali collis, urbis Cumanæ pars, et veluti arx fuit; 3° Exstructum fuit ex uno eodemque rupis saxo, et velut in ipso rupis sinu excavatum; 4° Antrum Sibyllæ non extra templum, sed in intimo templi loco fuit, multos in recessus naturaliter defossum : habentur ista ex oratione parænetica Justini martyris, qui annis post Virgilium centum circiter et septuaginta florebat sub Antonio Pio, templumque ipsum vidisse se perhibet; 5° Templum illud, juxta Virgilium, Apollini simul et Dianæ dicatum fuit; siquidem Sibylla vocatur *Phœbi Triviæque sacerdos*; 6° Templo juncta de more sylva fuit, sive *lucus*; aut utrique numini, aut uni Dianæ sylvarum præsidi sacer.

10. *Sibyllæ*. Quasi σιοῦ βουλὴ, id est, Dei sententia : quod Poeta expressit, quum addit, « cui mentem animumque Delius inspirat vates », id est, Apollo fatidicus. Æolici autem σιοὺς vocant Deos.

11. *Mentem animumque*. Servius et P. Lætus περισσολογίαν censent : sed ea non sunt synonima : nam utraque vox est rerum diversarum expressio familiaris poetis, Lucretio, IV, 69; *mens animi* vigilat. Catullo, epigr. ad ortalum; *mens animi tantis fluctuat ipsa malis*. Ita distinguuntur a Lactantio, lib VII, « Non idem est *mens* et *animus*; aliud enim est quo vivimus; aliud quo cogitamus : nam dormientium *mens*, non *animus* sopitur; et in furiosis *mens* exstinguitur, *animus* manet. » Itaque mens, ipsa est animi intelligentia et consilium : ex Lucretio III, 616, *animi nunquam mens* consiliumque. Item Aristot. qui *mentem* in *animo* esse ait, quod oculus in corpore.

13. *Triviæ lucos*. Congrue Apollini et Dianæ juncta sunt templa; ut et paulo post, « Phœbi Triviæque sacerdos » : et bene fit lucorum Dianæ commemoratio, quia petiturus est Inferos. *Serv.* — *Triviæ*, id est, Dianæ, quæ triviis præsidet; unde et ab Orpheo τριοδῖτις vocatur, et passim a Græcis ἐνοδία Θεὸς : ita Theocr. ὁ Θεὸς ἐν τριόδοις.

est circumstantia religionis, et magnificentiæ: religionis ab lucis; magnificentiæ ab auro, quo omnia illustrabantur; ideo dixit *aurea tecta*; in Deorum enim templis, quid tu aliud exspectes, præter religionem et magnificentiam?

14. Aggreditur narrare, et vere narrat templi hujus originem. Pasiphae Regis Minois uxor taurum deperiit; Dædalus ligneam vaccam excogitavit, ubi illa inclusa tauro jungeretur. Minos rem comperit; hominem in vincula conjecit; ille elabitur, aptatis sibi et Icaro filio alis. Res tuta patri accidit, filio non item: ergo pater volatu ad Cumas appulit, Cretam fugiens; ideo ibi templum constituit, consecratis alis in memoriam facti, et honorem Apollinis. *Præpetes pennæ*, sunt vel præveloces, et celerrimæ; vel patulæ, et exporrectæ. *Credere se cælo*, id est, aeri. *Nat ad Arctos*, id est, ad Septemtrionem Dædalus ex summa prudentia; nam hæc pars orbis gelida est; timebat vero, ne alæ compactæ cera solverentur solis ardore. *Remigium alarum*, sunt ipsæ alæ remigantes.

20. Sequitur amœna descriptio rerum, quæ in foribus templi insculptæ erant. Ex decoro autem res Creticas celebrat, unde prima incunabula exstiterunt gentis Trojanæ, et narratio contra Græcos dirigitur, ut Trojæ eversores: incipit ab Androgeo: fuit hic Minois filius: interfecerunt illum Athenienses. Minos in illos arma convertit; vicit, jussitque, ut quotannis præberent quatuordecim corpora adolescentium devoranda a Minotauro. Ergo ibi sculptus erat Androgeos morte affectus; ibi Athenienses solventes pœnam pro scelere; ibi urna; sortibus enim miseri ad supplicium ibant. *Stat ductis sortibus urna*, dictum est hac sententia: sculpta est urna, et una sortes, quæ ducebantur. Maluit, *natorum*, quam adolescentium, ad excitandam commiserationem: inde et in parenthesi, *miserum*, ubi debes facinus subaudire: inde *corpora*, quum ne reliquiæ quidem superessent ad tumulum.

14. *Dædalus*. Fabulam Dædali tradit Ovid. Metam. VIII, 182, et seqq. Sil. Ital. lib. XII; alludit Horat. Od. I, 3: « Expertus vacuum Dædalus aera. — *Ut fama est*. Quæ admirabilia sunt et magna, et quæ possunt fidem excedere, famæ solet Virgilius adscribere.

18. *Redditus his primum terris*. Quasi de alieno elemento in suum. Horatius; « Finibus Atticis Reddas incolumem precor. » Sic Cic. pro Milon. cap. 34. « Ego quum te patriæ reddidissem. » Verbum hoc respondet præcedenti *credere*.

20. *Letum Androgeo*. Secundum Atticam linguam genitivus singularis Græcus est; quum ipse alibi, *Androgei galeam*: quidam tamen hic subaudiunt *posuit*.

23. Finge in foribus insculptas Athenas; et ibi lethum Androgeo; ibi urnam; ibi sortes. Ergo alia in parte forium sculpta erat Creta contra ipsas Athenas; et hæc *elata in mari*, ut est natura insularum, et Cretæ inprimis : ideo autem *respondet*, quia Creta in sculptura servabat verum situm : est vero hæc insula sita e regione Athenarum, et veluti respondens. *Gnosia tellus* dictum periphrastice pro Creta, a Gnoso nobili urbe ejus insulæ; in qua urbe inclusus Minotaurus : ideo enim potius ad hanc urbem, quam ad aliam confugit.

24. Ubi sculpta erat Creta, erant pariter amores Pasiphaes cum Tauro. Sed qui hi amores? ipse statim explicat : videlicet, Pasiphae ipsa iuclusa in lignea vacca; et juxta illam filius Minotaurus, natus ex nefario illo concubitu. Amor hic *crudelis* dicitur, vel quia dirum est, feram amari ab humana fœmina; vel quia natus inde Minotaurus vescebatur humanis carnibus. Vox *supposta,* signat non solum adulterium, sed modum adulterii : dicit *furto*, quia nefarii omnes concubitus furti nomine signantur; quia furtim fiunt. In verbis istis, *Veneris monumenta nefandæ*, inest grande quiddam; perinde ac si dicat : hoc unum flagitium, etiamsi nullum esset aliud, satis posteritatem omnem doceat, admoneatque nefandas mortalium libidines.

27. Pergit narrare, quæ sculpta in foribus : habet hic versus periphrasticam descriptionem labyrinthi Cretensis; de quo hic strictissime, quia late jam de illo, in libro V, Æn. atque adeo ex decoro noluit repetere. *Ille* emphasin habet laboris non vulgaris.

28. Attingit historiam, et amores Ariadnæ cum Theseo : missus hic est sorte sua ad Minotaurum. Thesei amore Ariadne capitur; dolet imminentem cædem; defert rem ad Dædalum : hic amorem Ariadnæ miserans labyrinthi dolos extricat, filo dato, ad cujus ductum rediret iterum Theseus, et ita regeret cæca vestigia.

30. Apostrophe ad Icarum filium Dædali, plena commisera-

26. *Veneris monumenta*. Aut memoria turpissimi coitus, aut ultio Veneris a Sole proditæ : significat autem Minotaurum. *Serv.*

28. *Reginæ*. Ariadnæ Minois filiæ, quæ Theseum deperibat : ita Polyxena apud Euripidem se *ἄνασσαν* vocat, quæ erat regis filia : nam prisci omnes regii generis personas pari honore et nomine designabant. Inde Justin. XI, 9; matrem, uxorem, filiasque Darii ut *reginas* haberi præcepit Alexander.

30. *Cæca*. Ea vox non solum oculis captum, sed insidiosum et occulte malum.

tionis: dolor enim patrem non sivit lapsum Icari in auro effingere: nam bis conantem hoc facere, bis dolor a proposito revocavit, et paternas manus ab opere repulit.

33. Plura sculpta erant, quæ Trojani, nam aliquos cum Ænea ivisse ex hoc loco liquidum, ad exitum usque oculis perlustrarent; ni jam Achates adesset, et Deiphobe Sibylla, quæ Glauci filia. Quum ait, *præmissus Achates*, κατὰ τὸ σιωπώμενον: nam nusquam legitur Achates præmissus ad Sibyllam. Cur Sibyllam vocet sacerdotem Phœbi et Dianæ, vide Excursum quintum, vol. III, pag. 223. Æneam *regem* vocat: sed libenter sequor illos, qui hinc adimunt hemistichium hoc, *fatur quæ talia Regi;* tum quia infra, *talibus affata Æneam;* tum, quia vox *Regi* nihil hic agit.

37. Honesta Sibyllæ objurgatio, quæ Æneam monet, desistat ab spectanda templi sculptura; et se ad sacra accingat, mactetque juvencos septem, oves septem; illos jugi, et aratri immunes; istas selectas ex ritu sacrorum.

40. Vix dixerat, quum ducit Trojanos ad templum Phœbi, quod situm in rupis culmine: illi statim parent; hoc enim est, non morantur, non differunt jussa; nam imperia Sibyllæ urgebant, ut quæ sacra.

42. Describitur locus Sibyllæ, ab situ; nam erat latus rupis Euboicæ, id est, Cumanæ, erat in secreta parte templi Cumani: ab forma; nam hoc latus excisum in ingens antrum; nam tametsi hæc rupis natura esset excavata, tamen aliquid erat artis ab humana opera: ab divinitate; nam ibi multi aditus, multa ostia, quibus oracula reddebantur, et responsa, quæ poeta *voces* nominat, satis proprie: nam illa edebantur a fœmina vociferante, et sui impote.

45. Erant jam in antri limine, quum ait Sibylla, instare jam tempus oraculi; adesse jam Phœbum: ac subito illa, quum esset ante fores antri, vultum commutat; varios subinde colores

33. *Bis patriæ cecidere manus.* Ideo, quia patriæ. Vehementior autem est paternæ pietatis affectus, quum dicit poeta, manus ipsas artifici patri cecidisse, quam si dixisset, scalpellum aut cælum manibus excidisse.

46. *Deus ecce, deus.* Vicinitate templi jam afflata est numine: nam furentis est, dæmonem ἀόρατον et inadspicuum aliis velle ostendere. Ita Ovid. Metam. XV: « En deus est, deus est; animis linguisque favete, Quisquis ades, dixit. » Ejusmodi autem homines dicebantur *fanatici*, Græcis ἔνθεοι et θεοφορούμενοι, quod non sponte, sed numine ferrentur.

inducit: horrent illi sublatæ comæ; anhelat pectus; tumet cor rabie percitum; apparet major solito; vox non est mortalis. Ratio horum, quia jam Phœbo afflabatur, et isto plena.

51. Occupata jam numine, convertit se ad Æneam, quem increpat; quia nondum preces funderet: non enim oracula redderentur, nisi his præmissis. Mox tacuit; timent Teucri visa ferocitate virginis; Æneas precatur. Observa duo; primum, dici venustissime *ora* pro ostiis: alterum, dici domum *attonitam*, quia reddat mortales stupore attonitos, ἐμβροντήτους.

56. Sequuntur preces Æneæ ad Phœbum ex præcepto Sibyllæ: primo Deum captat ab spe Trojanorum semper in eo sita, neque hac falsa, quando ille semper miseratus est res Trojanas. Vide Homerum; et Silium Italic. lib. XII.

57. Pergit in captando Phœbo ab commemoratione accepti beneficii; nam hujus recordatio animum vehementer obligat. Beneficium est, imbellem Paridem fuisse interfectorem fortissimi Achillis, præsentissima Phœbi ope; atque adeo præsenti, ut ipsemet Deus jaculantis manus telumque dirigeret; Achillem vocat Æacidem ab avo Æaco.

58. Ab alieno beneficio pergit ad suum: te duce, inquit, o Phœbe, adii infinita maria, quæ terras obeunt, cinguntque: te duce, adii extremam Africam, atque arva difficillima accessu, ut quæ prævallata et præmunita syrtibus; nam hoc est *prætenta*. Intellige mentem poetæ; prius ponit in communi Africam; deinde partem Africæ, quam adiit Æneas. Africam in communi signat per gentes Massylum penitus repositas, ponens speciem pro genere; nam Massyli sunt in Mediterranea et interiore Africa: partem Africæ, ubi sita Carthago, Æneas quoque appulit, signat per syrtes; nam istæ præmuniunt et vallant mare illud Carthaginiense: vide vero ut amplificaverit beneficium a gentibus, quæ repostæ penitus: ab arvis quibus prætentæ in munimen syrtes.

61. Perinde ac si dicat: quum simus jam in ipso Italiæ limine, quæ nos tam diu elusit et fugit, effice, Phœbe, ut Trojana calamitas hactenus secuta nos fuerit; non illa duret obfirmata in nostris malis: indignum est, ut in Italia quoque, ubi tam longe a Troja sumus, perseverent mala Trojana: fiat cum loco malorum quoque commutatio.

63. Ab Phœbo, qui Trojanis amicus, transit ad Deos alios, qui infensi Trojanis, et illos placat. In quo putant interpretes allusum ad morem Romanum, qui Deos omnes placabant,

quosdam, ut prodessent; quosdam, ne obessent. *Gens Pergamea* est Trojana: ait *fas*, quia cum diis loquitur; et hæc vox illos respicit. Deos adversos Trojanis continet liber alter Æneidos.

65. Ab Phœbo, ab Diis aliis, convertit se ad Sibyllam, quam, ut captet, vocat sanctissimam vatem, præsciam venturi, et quod est maximum, conjungit cum Diis. Summa orationis est: da regna meis fatis non indebita, quia sæpe promissa: quæ sunt hæc regna? ut Teucri in Latio considant: quod si tu, Sibylla, hominum calamitate non permoveris, aspice Deos Trojæ errantes, agitata Numina.

69. Id beneficium si mihi præstetur, instituam templa duo, Phœbo unum, Dianæ alterum: et dies festos de Phœbi nomine. Fit allusio ad ludos Apollinares favente magna parte interpretum: sed quum Æneas neque templa illa, neque ludos instituerit, fit ut loquatur sub persona suorum posterorum.

71. Sibyllæ quoque gratum fore pollicetur: nam positurus in templis sortes Sibyllinas; positurus fata arcana, id est, libros Sibyllinos; sacraturus viros, id est, quindecim viros præpositos lectosque interpretandis libris Sibyllinis. Hæc etiam dicuntur ex persona posterorum: est *meæ genti*, Romano populo: et *dicta*, declarata, pronuntiata.

74. Vult ut ore loquatur, ore canat, non oracula foliis scribat, quæ facile vento abripiantur.

77. Ante vaticinium Sibylla furenter agitur, ac rotatur, ut a se excutiat Apollinem Deum magnum: ille contra fatigat miseram; premit os, quo edendum oraculum, et corda; illud rabidum, ista efferata: donec Phœbus suo arbitratu, dum premit, fingit in quamcunque rem vult; id est, imbuit rebus, quas sit responsura.

73. *Lectosque sacrabo, Alma, viros.* Quia nisi patricii non fiebant: sciendum tamen primum duos librorum fuisse custodes, deinde decem, inde quindecim usque ad tempora Syllana; postea crevit numerus: nam et sexaginta fuerunt, sed remansit in his quindecim virorum vocabulum. *Serv.* — Vide Salmas. Plin. exerc. p. 78.

79. *Si pectore possit Excussisse deum.* Tentando, an possit excutere Apollinem: vel, bacchatur, et cum furore se exagitat, tentans an p. etc. Ita Æneid. V, 679: « excussaque pectore Juno est. » Tralatione autem perpetua hic Sibyllam inducit ut equum, Apollinem ut sessorem: nam et Apollo, id est, Sol equis utitur; et in forma equi cultus traditur in Asia. Equus proprie *excutit* equitem, ut liber per campum spatietur. — *Excussisse.* Enallage temporis: præteritum pro præsenti; qualia multa Sanct. Min. p. 49.

81. Donec tandem, præmissis precibus Æneæ, portarum omnium ostia patuere, idque sponte, αὐτομάτως, hoc enim ad oraculum pertinebat; ac tunc audita Sibyllæ responsa.

86. En oraculum Phœbi, sed Sibyllæ ore: in cujus initio statuitur modus veteribus periculis nauticis, et fiunt minæ novarum cladinm terrestrium: ergo, defunctus jam es, Ænea, periculis pelagi; venient Trojani tui in Italiam, noli anxius esse; en modus periculorum nauticorum: sed, ecce tibi minæ; nolles venisse; quare? quia cerno jam oculis bella tua: omnia hic sunt ad horrorem; ideo geminat vocem *bella*, et hæc *horrida:* ideo Tibrim inducit, non rubentem, sed *spumantem;* nec simpliciter *sanguine*, sed *multo*.

88. Ut adducat Æneam ad majorem horrorem, comparat Latinum bellum cum eo quod gestum jam ad Trojam, quodque ipse oculatissimus viderat; ut paria concipiat. Perinde ac si dicat; vidisti Simoenta et Xantum cadaveribus plenos? tales tibi erunt Tibris et Numicius: pro castris Græcis, erunt tibi castra Italorum: pro Achille, Turnus: et sicut ille filius est Thetidos, ita hic Deæ Veniliæ: tibi in Trojano bello infesta semper fuit Juno, neque hic aberit iisdem minis, et pariter infesta; (Vid. not. 90; Vol. III, pag. 112.) quo tempore, tu supplex atque egentissimus implorabis opem aliarum gentium, aliarum urbium.

93. Occupat per prolepsin: Lavinia erit causa Latini belli, sicut Helena Trojani: in voce *hospita* alludit ad hospitium, quo Helena accepit Paridem: quasi dicat; Lavinia tua hospita, sicut Helena Paridis. *Externi thalami*, illud est, sicut Paris abduxit Helenam a Menelao, cui juncta matrimonio; ita tu voles Laviniam ducere desponsam Turno.

95. In exitu oraculi Æneam firmat adversus prædicta mala: esto audentior contra quam sinet te tua fortuna; hortatur videlicet, ut omnem superet fortunam, illamque conetur vincere, quantumvis renitentem et adversam. Ratio, cur fortis esse debeat; quia in salutem tuam, o Ænea, aderunt tibi hostes quondam tui: aptissima hæc ad omnem admirationem;

83. *Pelagi defuncte periclis.* Non liberate pelago, sed marinis periculis: nam adhuc navigaturus est: sed sine ullo discrimine. *Defuncte* autem liberate; nam dicimus functos officio, qui officia debita compleverunt: unde est et honoribus functi: hinc et *defunctos* mortuos dicimus, qui compleverunt vitæ officia. *Serv.* — Sibyllæ vaticinium ad Æneam invenies quoque apud Tibullum, lib. II, Eleg. 5.

nam quis crederet Græcos allaturos auxilium Trojano homini? Hic per Græcos Evandrum intelligit, qui Arcas genere.

98. Omnia hic clara: do breves notulas; *canit*, ut quæ fatidica et divina; et *ambages* propter Apollinem λοξίαν; et has *horrendas*, videlicet Trojanis: *remugit antro* ad majorem terrorem; *obscuris vera involvens*, ut solitum in oraculis. Causa harum ambagum, mugituum, obscuritatum, Phœbus est, qui, ut placitum, fræna concutit, torquens furentem fœminam, quo vult; atque stimulos vertit, ut sibi lubitum. Sermo hic ductus est a sessoribus, qui stimulis equos pungunt, non in eodem semper loco, ne obductus callus insensibilitatem afferat; sed vertunt illos, commutantque. Innuitur sane Sibylla, non uno semper modo, sed varie ab Apolline vexata, rotata, torta.

102. Nefas esset loqui Æneam, quamdiu fœmina esset fanatica, ne interpellaret divinantem; igitur tunc loquitur, quum furor cessit: quid vero ille? est vere *heros*, quia nullis terretur, ut apparet in oratione sequenti: nulli, inquit, mihi labores, o virgo, novi sunt; nulli inopinati: quare? quia omnia mecum ante omnino cepi: itaque non bella Italiæ horrorem incutiunt; non fluvii spumantes sanguine: non Juno ipsa.

106. Pergit Æneas: ut scias, Virgo, quam liber sim a metu, contingat, obsecro, infernos adire ad videndum patrem; id te oro, non ut bella Italiæ avertas: quid ergo orat? *unum* ex modestia, atque etiam ut negationi locus non sit: quibus argumentis nititur? primum a facili; nam hic dicitur esse janua Plutonis; hic palus Acherusia, quæ efficitur ab refuso Acheronte, quia videlicet Acheron, quum refunditur ac redundat, lacum efficit: (Vide Excursus II, et IX, vol. III, pag. 216 et 230; nec non notam 106, ibid. p. 114.) *Ire ad conspectum*, etc. Est hæc summa petitionis.

110. Est hoc alterum argumentum ab honesto; huc reduco; quia videlicet a pietate, qua patrem prosequutus fuit, consur-

104. *Inopinave surgit.* Nomen est, non participium: nam *inopinatam* diceret, quod non procedit. *Opinatus* enim venit ab eo, quod est *opinor*; sed quia *inopinor* non dicimus, ideo nec *inopinatus* facit: sicut et *nocens* participium est, quia invenimus *noceo* verbum; *innocens* vero nomen, quia *innoceo* non dicimus, esse participium non potest: nullum est enim participium, quod et a verbo non trahitur: licet a sui verbi forma non veniat, ut *placita*, licet *placeor* non dicamus, tamen *placeo* invenimus; item *regnata*, *triumphata*: unde *galeatus* et *tunicatus* et *togatus* nomina comprobantur: nullum enim verbum horum originis reperitur. *Serv.* Vide notam 104; T. III, p. 114.

git, hanc petitionem esse honestam. Vide vero ut isti duo versus exspirent miram pietatem : *ego, illum, his humeris* (omnia δεικτικῶς) *eripui :* unde? a flammis, telis, hostibus.

112. Tertium argumentum a necessario; quia necesse est, ut magni labores, quos vicissim pater pro filio passus, hoc nati adventu recompensentur. Scio alios referre hoc argumentum ad honestatem ; sed mecum est Servius, qui ait, *meritum approbat patris, ut justum videatur esse desiderium :* ex justitia autem moralis infertur necessitas : *sors senectæ* est, quies, otium.

115. Urget rursus ab honesto : sic puto; alii necessarium inveniunt. Mox preces adjungit ad movendum, *natique patrisque,* etc. et premit a possibili; omnia tu potes, o Virgo; aliter frustra te his locis præposuisset Hecate Inferorum Dea.

119. Advocat exempla ab Orpheo, Polluce, Theseo, Hercule, ut inducat facti possibilitatem. Veteres *mi* dixerunt, pro, mihi : inde *min,* pro, mihine? qua vocula usus Persius, I Satyr.

124. Ex more sacrorum, quo Deos precaturi aras tenebant.

125. Sequitur sermo Sibyllæ ad Æneam, quo ipsa docet, descensum ad inferna esse perfacilem, reditum perdifficilem : ratio primi, quia semper patet Plutonis janua : ratio secundi duplex est; prima ab paucitate eorum, qui redierunt; altera, ab loci difficultate : ergo, redierunt pauci heroes; nam hoc

116. *Orans mandata dabat.* Sic dictum est; ut, « et supplex tua numina posco »; major enim ad impetrandum vis est eum rogare, qui possit jubere. *Serv.*

119. *Si potuit Manes.* Nititur exemplis, quæ inferiora sunt per comparationem : ut ipse videatur justius velle descendere : nam Orpheus revocare est conatus uxorem : hic vult tantum patrem videre. Orpheus autem voluit quibusdam carminibus reducere animam conjugis : quod quia implere non potuit, a poetis fingitur receptam jam conjugem perdidisse, dura lege Plutonis : quod etiam Virgilius ostendit, dicendo *arcessere :* quod evocantis est proprie. *Serv.*

122. *Quid Thesea.* Durum exemplum; unde nec immoratus est in eo. Dicit autem inferos debere patere pietati, qui patuerunt infanda cupienti; nam hic ad capiendam Proserpinam ierat cum Pirithoo : et illic retentus luit pœnas : ut, « Sedet æternumque sedebit Infelix Theseus. » *Serv.*

123. *Et mi genus ab Jove summo.* Hic propter egregias personas non habuit Æneas; quod minueret, vel quod augeret : verum quod in illis elucebat, hoc sibi jactat cum iis commune : nempe quod æque genus suum ab Jove ducat.

125. *Sate sanguine divum.* Unde Æneas desiit, inde hæc sumpsit exordium. *Serv.*

est, pauci Diis geniti; neque satis fuit esse heroes, sed etiam ut a Jove amarentur, et ut ipsi virtute præstarent : loci difficultas magna est, ab sylvis, quæ viam impediunt; ab Cocyto, qui loca inferorum circumfluit. (Vide Excursus II, et IX, vol. III, pag. 216 et 230.)

133. Quasi dicat; quod si tibi tantus est amor, potius cupido, potius insania videndi inferos, audi, etc. Dicit *bis* cum respectu ad descensum et reditum, ut vult Hortensius, quod non probo : vel, juxta omnes fere, nunc, et iterum post mortem. In isto orationis apparatu, *Stygios lacus*, *nigra Tartara*, *labori insano*, tacite, tanqnam aliud agens, amplificat Sibylla beneficinm, quod collatura erga Æneam, enumeratis difficultatibus viæ.

136. Sermonem de his, quæ sunt peragenda ab adeuntibus loca inferorum, præcedit cognitio rami aurei : ergo *latet*, etc.: sententia est, latere in opaca quapiam arbore ramum unum, qui aureus est et foliis et vimine, huncque sacrum esse Proserpinæ : quod ex decoro fingitur; nam aureus débet esse ramus, qui sacer est conjugi Ditis, patris divitiarum; et quia hic ramus totus pretiosus, ideo non solum latet in sua arbore, sed unum tegit universus lucus; imo claudunt umbræ, quæ sunt in convalle obscura. Itaque unus ramusculus latet; tegitur; clauditur ab sua arbore, ab universo loco, ab horrendissimis umbris. (Vide Excursum VI, vol. III, pag. 225.)

140. Sequitnr lex servanda : potest nemo ire sub operta telluris, penetrareque infernos, nisi prius ramum istum decerpserit, et Proserpinæ, ex hujus Deæ instituto, obtulerit; nam pulcherrima pulcherrimo dono dclectatur : est vero rami hujus ca natura, ut illo avulso, alter statim nascatur, et simili mctallo frondescat ac progerminet.

145. Docet jam Æncam, quæ prius peragenda : videlicet, ut oculis diligenter circumspiciat lucem, donec ramum istum reperiat; repertum carpat manu, et rite carpat; nam scilicet evellendus ille ex ritu et more sacrorum : sed cur carpendus manu? nam si volunt fata adiri inferos, statim ille facillime sequetur : aliter nec ullis viribus, nec ferro poterit evelli.

140. *Sed non ante datur.* Sive justis sive injustis; sic intelligentes removebimus quæstionem. — *Telluris operta.* Signate dixit, *operta*. Constat Bonam deam et Tellurem eadem esse : ubi autem Bonæ deæ fiebat mentio, *opertum* vocabant, quo viris ingredi nefas erat. Cic. ad Attic. I : « Quasi in operto dicas fuisse. » Et in Paradoxis :

149. Transitio ad casum Miseni, ubi pathetica omnia : nam quem ista non moveant? *jacet corpus*, et hoc *exanimum*, et hoc *amici*; ubi exclamatio, *heu nescis!* auget affectum : quid præterea? *incestat*, en verbum religionis, id est, polluit totam classem : sane incestata domus et polluta putabatur, in qua esset mortuus, nisi piacula accederent : ergo, *refer* illum *suis sedibus*, id est, sepulturæ; est enim sepultura, propria sedes mortuorum; nec solum refer, sed conde in sepulcro, id est, terram injice : pendere hic est, esse sollicitum.

153. Non hoc de Miseno capiendum, sed de sacrificio Deorum Manium, quod ultimo loco peragitur ad adeundos inferos : ideo sequitur, *sic demum*, etc. perinde ac si dicat : si tria peregeris, quæ præcepi, adibis inferos; non aliter; videlicet, si ramum carpseris; Misenum tumulaveris; nigras pecudes duxeris Diis Manibus. His pronuntiatis, obmutuit presso ore; quasi a Phœbo non plura loqui permitteretur.

156. Vide uti altissimus mœror describatur ex defixis in terram oculis, et mœsto vultu : illud, *ingreditur linquens antrum*, est, relicto antro, viam ingreditur, et capessit iter : volutat animo *cæcos*, id est, incertos, *eventus*, quia incertus adhuc, quis ille miser : non minoribus curis it Achates; immo *paribus*, ut qui *fidus :* ideo signate *figit vestigia*, ut alte cogitabundus.

162. A profunda cogitatione veniunt ad verba, et quærunt, ad invicem, quis ille miser, qui humandus.

162. Ecce illi, ut venere, inveniunt mortuum Misenum; sed quot hic πάθη? magnus ubique Virgilius; sed maximus in describendis affectibus. Misenum *vident*, non audiunt, quo fortis sit affectus : et hunc *peremptum morte indigna*, et jacentem in *sicco litore*, cum oppositione; nam qui in mari periit, in

« Ut, si in opertum Bonæ deæ accessisses, exulares. » Mureti hanc opinionem vituperat Heynius.

152. *Sedibus hunc refer ante suis.* Servius putat attingi morem, quo olim mortui in suis ædibus condebantur, quod hic tamen necessarium non est : nam neque hoc perpetuum fuit, dicente Poeta in Æn. XI, de mortuis corporibus : « Finitimos tollunt in agros. » Neque hoc jam placitum boni judicii hominibus, qui hic per *sedes suas* terram ipsam capiunt condendis mortuis destinatam. — *Conde sepulcro.* Non est tautologia. Duo dicit, videlicet, refer ad sepulturam, et relato terram injice, nam hoc est, condo.

160. *Multa inter sese vario sermone serebant.* Hic proprie dictus est *sermo*, qui inter utrumque seritur. Sic in XII : « Sermonesque serit varios. » Ita Græci pari indole σπερμολογεῖν, et σπερμολογία : et Plutarchus, σπείροντες λόγους.

sicco jacet. Quis vero hic Misenus? maximus undecumque, videlicet genere, arte, virtute, dignitate: genere, nam nepos Æoli: arte, nam nemo illo præstantior ad excitandos militares viros, ut qui egregius æneator: virtute, nam præter artem litui, etiam hasta pugnabat acerrime: dignitate, nam semper perpetuus comes primum Hectoris, deinde Æneæ. Non placent, qui hinc expungunt versum integrum, et hemistichium: nescio enim quam sibi ad res similes veniam adsumunt. (Vide Excursum VII de illo, Vol. III, pag. 226.)

171. Sed quæ mortis hujus occasio? provocavit miser cantu Tritonem buccinatorem Neptuni: iratus semideus immersit hominem spuma, allidens inter saxa, utique insidiose. *Personat æquora*, est, sonat per æquora: verbum *exceptum* refer ad insidias. Parenthesis indicat religionem hujus vatis, et cultum erga Deos, etiam ferinos: vix enim credit tantam Deo exarsisse iracundiam. Homerus sua passim pessumdat numina. Hic Donatus male intelligit de homine Deum provocante.

175. Redit ad rem, a qua fuerat digressus, interpositione laudum et mortis Miseni: mihi hæc sic videntur annectenda; *Misenum in litore sicco, Ut venere, vident indigna morte peremptum.... Ergo omnes magno circum clamore fremebant*, etc. Quod vidit Julius Scaliger, quum ait; *fremebant indigna peremptum morte.*

176. Enituit Æneæ pietas in deflendo mortuo; vere ergo *pius*.

179. Exprimitur studium Trojanorum in peragendis Miseno justis secundum præcepta Sibyllæ: ideo verba illa *haud mora, festinant congerere; certant educere*. Vocula *tum* est deinde: *ara sepulcri* est periphrasis pyræ, quasi dicat; congerunt pyram arboribus.

179. Amplificat studium Trojanorum a circumstantiis: versus quatuor spirant celeritatem, fatigationem, sudorem: vide autem apparatum; omnia grandia sunt; omnia magnifica: piceæ procumbunt; ilex icta sonat, et trabes fraxini; robur cu-

172. *Demens.* Improvidus, qui non consideravit, etiam deos in æmulationem posse descendere. *S.* — *Vocat in certamina divos.* Allusum ad adsgium, *noli cum Diis pugnare*. Nusquam Dii magis exarsere in mortales.

175. *Ergo.* Quia talis perierat; aut quia sic fuerat interemptus. *S.* — Ergo planctus fuerunt non usitati; sed quibus querelæ quoque viderentur admixtæ. De toto hoc loco accuratissime agit J. C. Scaliger Poet. V, 3.

180. *Procumbunt piceæ.* Picea, secundum Plinium in naturali his-

neis scinditur; advolvuntur ingentes orni. Sed expendam alia: ponitur picea loco principe, rationem habes in notis: ilex, ut quæ dura, sonanter scinditur; nec satis una securis, sed multæ: ideo fortasse ilex in singulari, secures in plurali; non quod una tantum scissa, sed ad difficultatem exprimendam: robur, ut cui materia durissima, non tam ictibus et viribus, quam arte pervincitur, ideo cuneis scinditur: conjunge vero sic; robur scinditur, fissile cuneis; quasi indicet naturam arboris, quæ propter duritiem vastanda cuneis: optime vero *ingentes ornos;* sibi consonat, quia præcessit *antiquam sylvam:* eodem pertinet dici *stabula ferarum;* nam harum metus incolas arcebat a cædenda sylva: et *stabula* quidem dixit, intelligens per metalepsin magnas feras; aliter cubilia diceret, aut quidpiam simile. Talem te Virgiliani carminis scrutatorem volo.

183. Incumbit pariter Æneas in officium pietatis, quod præclare excogitavit poeta, non solum quia labor pius decet virum pium, sed etiam ut occasione hac locum det Æneæ ad lustrandum nemus, si forte in illo appareat ramus aureus. Ait *primus*, ut exemplo aliis esset; *hortatur*, ut dux; *accingitur*, ut unus e reliquis, ad omnia alacer: *volutat cum tristi corde*, ut quem altior cura premit rami inveniendi, non solum tumulandi Miseni, ut reliquos: inducitur *aspectans*, quia præceperat Sibylla, *ergo alte vestiga oculis;* et *sylvam immensam*, quia supra, *hunc tegit omnis lucus:* jam diffidens de sua diligentia *precatur ore*, confugiens ad preces: quid vero precatur? *Si nunc se nobis ille aureus ramus Ostendat nemore in tanto!* quum vero sit æger de successu, consolatur se hoc argumento, *quando omnia*, etc. quasi dicat; non dubito quin appareat ramus: nam Sibylla mihi prædixit; et hanc nimium veram esse in successu Miseni deprehendi: estque species argumenti de minore ad majus: si vera fuit, in re tristi, et quam ego nollem; cur non erit, in læta, et quam vehementer cupio?

190. Æneæ votum felicissimus eventus sequitur: optaverat videre ramum aureum; adsunt statim columbæ geminæ; volant ante ipsius ora, ut ejus causa venisse videantur; sedent in solo viridi, ut ex pastu ipso augurium Æneas capiat: agnoscit

toria, quinta species cedri est: nam cædria dicta est quasi καιομένης δρυὸς ὑγρόν, id est, arboris humor ardentis. *Serv.* — Picea facile incensa propter picem, resinam, et pinguedinem, reliquæ arbores simul in rogo congestæ facile accenduntur.

193. *Maternas.* Veneri matri suæ consecratas, propter fœtum fre-

ille aves sacras matri Veneri: et jam lætus ad illas precatur ut sibi sint duces, ac per auras volent, cursumque eo dirigant, ubi est aureus ramus, neque vero oblitus Veneris, illam etiam precatur, ut adsit rebus filii. *Ramus humum opacat*, est inumbrat, quod proprium arborum: sed tantulus ramus qui inumbrat? dictum, credo, ad rei magnitudinem et excellentiam indicandam. *Res dubiæ* sunt, accisæ, perditæ, afflictæ.

197. Hæc ut dixit, *pressit vestigia*, firmans se more augurum captantium auguria; solebant enim post preces, immobiles stare, aut sedere. Videndus Servius: *observans*, est verbum augurum: *quæ signa ferant*, id est, quæ signa dent: *quo tendere pergant:* ejus animantis, reliquorumque volatilium ingenium est, ut pascendo procedant semper, tendantque ulterius: in voce *pascentes* allusio fit ad pullare augurium; felix enim faustumque habebatur, si pulli pascerentur: in illis, *illæ tantum prodire*, etc. sententia est, volabant non cum eo impetu, quo solent columbæ, sed lentiore cursu, ne se eriperent oculis sequentium, ut Veneris benignitas in natum esset clarior: *prodire volando*, est, volatu antecedere: ait *acie*, quasi visu acutiore et intentiore.

201. Quum Avernus dictus sit quasi ἄορνος, id est, sine avibus, quas necabat halitus inde emissus, ait poeta, columbas, ut primum volando ad Avernum pervenere, se celerrime sustulisse, ne caderent, ac successisse aeri liquido et puro, tandemque consedisse ambas in arbore, ubi erat ramus aureus: illud *sedibus optatis* referendum ad votum Æneæ; *aura auri* est, auri splendor: hic dicitur *discolor;* quia non, ut reliqua arbor, viridis.

205. Ea erat species aurei rami in viridi arbore, qualis est visci, quod in arboribus videmus. Ait apte *brumali frigore;* nam viscum ad brumam maturum est, et colore omnino flavo: *Serv.*

quentem et coitum; propter fœcunditatem scilicet; de quo Aristoteles. Græcis et περιστερὰ dicitur παρὰ τὸ περισσῶς ἐρᾶν, id est, *a crebro coitu*. Serv. et Taubm.

202. *Liquidumque per aera lapsæ*. Non est aeris perpetuum epitheton: sed purum ait, Averni comparatione. Dicit autem eas alte volasse ad vitandum Averni odorem.

203 *Gemina*. *Geminæ* legendum, non *gemina*, ut in vulgatis: primo libri aliquot veteres habent *geminæ*: deinde, credibile, utramque avem sedisse in una arbore, in illa, inquam, ubi aureus ramus; non in duplici: tertio, supra dixit, « geminæ quum forte columbæ. » Et in utroque loco videtur mihi Poeta allusisse ad partum columbarum, de quo jam locutus sum in Eclogis. *Cerda*.

Quum ait *fronde nova*, intellige, æternam et semper perpetuam: illud præclare, et ex natura visci, *quod non sua seminat arbos;* nascitur enim viscum in arboribus, vel potius adnascitur: nam, si seras, nihil ab eo provenit: quum ait *fœtu*, alludit ad recens viscum, quod sublustrius, et splendidius; ac propterea fœtus tunc croceus, id est, referens splendorem auri.

208. Comparationem ad institutum accommodat: verba illa *auri frondentis*, posita ad admirationem: nam quis non miretur aurum in ilice frondescere? adjicit; *sic leni crepitabat bractea vento*, quia videlicet ejus folia ea subtilitate natura produxerat, ut, aura spirante crepitarent vibrarenturque, quasi bractea quædam et lamina: quum dixit, *bracteam*, voluit tenuitatem exprimere. Seneca quidem ep. 41, dixit, *languido et bracteato.*

210. Qui, obsecro, *refringit?* quod verbum difficultatem indicat: qui etiam *cunctantem?* quum dixerit, *namque ipse volens facilisque sequetur:* nodos istos solvit attributum illud *avidus:* enim quæ vehementer cupimus, etiamsi præpropere fiant, tamen videntur cunctari.

212. Redit ad funus Miseni: tria quippe præceperat Sibylla, et hoc secundo loco: huic funeri præsens fuit Æneas; nam a tectis Sibyllæ, quum ad illam attulit ramum, statim se ad litus contulit, ut interesset funeri, etiam si hoc poeta tacuerit: hoc vero funus erigitur in litore, ex more antiquo. Quum ait *suprema*, subaudi funera: *ingrato cineri*, id est, gratiam non relaturo.

214. Sequitur apparatus funeris: ergo, pyra exstruitur ex picea, et robore: nam piceam intelligit verbis istis, *pyram pinguem tædis*: robur clare ponit, et adjicit *secto*, fisso cuneis; nam supra, *cuneis et fissile robur scinditur.* Itaque fundamentum pyræ fuerunt picea, et robur: et prius picea, ut quæ tædifera et pinguis, quo facilius omnia arderent: latera illius in-

207. *Teretes truncos. Teres* est rotundum aliquid eum proceritate: ut, « Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ. » Horatius, « Brachia, et vultum, teretesque suras Integer laudo. » *Serv.*

213. *Cineri.* Nondum cinis erat; sed mox, combusto cadavere, erat futurus. *Donat.* — *Cineri ingrato.* Vel, cadaveri gratiam et officium non sentienti: vel nullam gratiam habituro.

215. *Ingentem struxere pyram.* Eo honestius censebatur funus, quo altior et grandior pyra. Supra; « cœloque educere certant. » Homerus idem ait de funeribus Patrocli, Hectoris, et Elpenoris.

texta erant ex atris fondibus; in parte anteriori erant cupressi, arma super ipsam pyram.

218. Ab apparatu pyræ transit ad. varios ritus, quibus cadaver curabatur ante cremationem : adhibebatur itaque lotio et hæc aquis calidis; deinde unctio, omnia ex more. Fiebat solemnis gemitus super cadaver: hoc facto, cadaver ipsum reponebatur in thoro, feretro, quo esset efferendus : repositum in feretro, tegebatur purpureis vestibus.

222. Cadaver ergo lotum, unctum, defletum, positum in thoro, ornatum purpura, portabatur ad pyram : ideo sequitur, *pars ingenti subiere feretro,* quod est ministerium triste : deinde subditur fax cadaveri cremando; qui subdunt, aversi sunt; una cum cadavere cremantur thura, adipes hostiarum, vasa plena olei.

226. Cremato cadavere, narrat quæ deinde gesta; reliquias funeris ablutas vino; lecta ossa in cado ab Chorinæo; omnes qui aderant, sparsos aqua lustrali, idque ramo oleæ; dicta verba missionis, quæ sunt, aut *vale*, aut *ilicet.* Favilla dicitur *bibula,* quia, ut sicca, imbibit in se quodcunque est humidum.

232. Hæc dum alii, Æneas interim vere pius, ut qui pietatem in mortuum exerceret, sepulcrum ipse Miseno constituit sub monte; ibi arma, remum, tubam posuit : monti illi nomen permansit a Miseno: mons aerius, est altus.

236. Transit ad tertium præceptum Sibyllæ, quod est sacrificium Deorum Manium : ad hoc sacrum aptus locus eligitur, videlicet spelunca, quæ alia est ab illa, ubi edita oracula, quod Servius admonet: ait vero, *exsequitur præcepta Sibyllæ;* nam hæc supra, *duc nigras pecudes.*

237. Describit speluncam a circumstantiis quinque : primo a profunditate, nam alta : deinde ab latitudine, immanis

217. *Armis.* Nam virorum fortium arma, et cætera, quæ carissima habuerant, ut equi, canes et famuli, cum ipsis una comburebantur.

222. *Pars ingenti subiere feretro.* Alludit ad Romanorum in clarorum virorum funeratione consuetudinem : qua feretrum præstantissimi quique subibant. Ita apud C. Tacitum lib. I, de Augusti cadavere: « Conclamant patres, corpus ad rogum humeris Senatorum ferendum », etc. *Taubm.*

234. *Monte sub aerio.* In aerio : nam supra est positus. *Aerium* autem alii altum dicunt : alii nomen montis antiquum volunt : unde est, « Qui nunc Misenus ab illo Dicitur. » *Serv.*

237. *Spelunca alta fuit.* Qua ad inferos descendebatur : non ubi fuerat Sibylla vaticinata. — *Scrupea.* Lapillosa; nam *scrupus* pro-

vasto hiatu: tertio, a materia, nam scruposa tota, et ex vivo saxo: quarto, ἀπὸ τῆς ἀσφαλείας, ab firmitate, et veluti securitate; nam erat *tuta lacu nigro et tenebris nemorum*: quinto demum, ab halitu, qui erat supra speluncam; qui halitus proveniebat ab Averno lacu, cujus obiter etymon attingitur: *impune* est, non sine noxa, *supera ad convexa*, ad cæli curvitatem, explicatore Servio.

243. Jam hinc Sibylla, et Æneas nocturnum sacrum inchoant, quod est quadruplex: primo, juvenci quatuor nigri

prie est lapillus brevis, qui pressus sollicitudinem creat: unde etiam *scrupulus* dictus est. *Serv.*

242. *Aornum.* Inolevit his temporibus consuetudo, ut *Aornum* scribatur etiam a literatis viris: sed enim in antiquis codicibus omnibus quotquot habui, *Avernum* notatum observavi. — *Aornon*, ἄορνον: id est, *sine avibus*, scilicet, antequam lucus a J. Cæsare, arboribus excisis et purgata ripa, salubrior factus est.

243. *Quatuor hic primum*, etc. De hoc sacrificio, quod Sibylla Diis inferis fieri præceperat, V, 153, hæc accipe: 1° *Sacerdos* ipsa est Sibylla, quemadmodum saga illa, IV, 509, *crines effusa sacerdos ter centum tonat ore Deos;* 2° *Locus* sacrificii, *spelunca* est, per quam aditus esse putabatur ad inferos: diversa illa quidem ab antro Sibyllæ: Sibyllæ enim antrum in ipso erat Apollinis templo, Cumanaque urbe, ut diximus, versu 9: hæc vero spelunca apud Avernum lacum. Mos autem fuit ejusmodi sacrorum, ut sub terra fierent effossa etiam scrobe, in quam sanguis et libamina invergerentur. Ita Ulysses, Odyss. II, 25; 3° *Tempus* sacrificii, *nox*; vers. 252, *nocturnas inchoat aras*: et maxima noctis parte sacrificium duravit, ad usque ortum Solis, vers. 255; 4° *Victimæ nigræ;* ob inferorum tenebras: *pari numero*, quia Diis inferorum hic placebat, ut *impar* superis, Æn. V, 96 *Sterilis vacca* Proserpinæ: quia nullam ex Plutone marito prolem susceperat; 5° *Sacerdos invergit vina*, in frontem ad probandas victimas: si enim subita illa vini adspersione non contremiscerent, sed stuperent immobiles, sacrificio aptæ non erant. *Invergit* porro; id est, conversa plane manu sive patera deorsum, effundit, quia Diis offert inferis: si autem superis, manu supina quasi in altum emittens, vinum cornibus affundebat: quare tunc ait Virgilius, Æneid. IV, 61, *media inter cornua fundit;* nunc vero; *invergit;* 6° *Setas* et *pilos* carpit, et in ignem jacit, ut sacrificium incipiat, ostendatque victimam Diis jam devotam esse. Agamemnon tamen, Iliad. III, 274, pilos illos non in ignem jacit, sed adstantibus distribuit; ut significet omnes fœderis, quod sacrificio illo cum Trojanis sanciebatur, testes ac vindices futuros; 7° *Voce*, id est, sono confuso ac tumultuoso, non distincta voce appellat *Hecaten*, quæ in cælo *Luna*, in inferis *Proserpina* appellatur; 8° Ministri victimas cædunt; idque fiebat, primum se-

immolantur Diis inferis in communi: deinde, separatim agna nigra Nocti et Terræ: tertio, sterilis vacca Proserpinæ: quarto, dicantur Plutoni nocturnæ aræ cum holocaustomatis, nam ardent solida taurorum viscera. *Matri Eumenidum*, id est, Nocti: *magnæ sorori*, id est, Terræ: ita interpretes: dici enim quit terra soror noctis; nam sua umbra noctem et tenebras efficit. *Tum* est deinde: *pingue superque oleum fundens*, est tmesis, pro, superfundens.

255. Post habitum ramum; post Miseni funus; post sacra Manibus peracta, adeuntur inferni a Sibylla et Ænea. Vide ut omnia conformet poeta ad ingentem horrorem: nam solum mugit; moventur sylvæ per juga montium; canes Triviæ comites ululant; adest Proserpina. In vocula, *ecce*, inest nota rei magnæ appropinquantis, et metum vel admirationem afferentis: ait *sub lumina solis*, paulo ante solem, quia sacra Manium, quæ præcesserunt, peracta sunt noctu, et finita paulo ante lucem. Advenit Dea, id est, Proserpina, evocata scilicet sacris necromanticis.

258. Quid tum Sibylla? illi uno tempore fuerunt amovendi omnes qui sacris initiati non fuerant, et confirmandus Æneas: ergo minitabunda ad Teucrorum præsentium turbam; este procul profani; luco absistite; a nobis cedite: ad illum ex-

curi in cervicem impacta, præsertim in majoribus victimis, ut ictu exanimatæ concidereni; tum deinde cultris jugulabant. De primo more dixit, Æneid. II, 224, *Taurus et incertam excussit cervice securim*; 9° *Sanguinem* suscipiunt *pateris*, planis patentibusque poculis, ut circa aras in terram effundant, quemadmodum Ulysses in scrobem, Odyss. II, 35; 10° Æneas ipse, non opera ministrorum, sed manu propria, victimas aliquot jugulat, heroum more, qui fere semper hoc officio apud Homerum defunguntur; 11° Denique *solida viscera* comburit flammis, quod vocant *holocaustum*: imponitque solida ipsa corpora, sola detracta pelle: *viscera* enim ait Servius esse, quidquid sub pelle est, etiam carnes quibus ossa vestiuntur: *exta* vero sunt ea ipsa viscera quæ maxime extant aperto pectore; ut cor, pulmo, lien. Aliis autem in sacrificiis, carnium et extorum partes aliquæ distribuebantur ad epulas, ut Æn. VIII, 182. Tum victimas ipsas inspergit oleo, ut facile comburantur. *Ruæus.*

254. *Pingue super oleum.* In antiquis exemplaribus, quæ secutus sum, *pingue super oleum* habetur absque ulla interjecta particula, quæ intrusa videtur hic metri necessitate, ut sæpe alias perperam factum. — *Oleum.* Ut validius urerentur, oleum infundit: ostendit igitur quo more, vel quibus, et qualibus, et quantis animalibus cæsis inferorum numinum favor acquiritur.

hortabunda : viam invade audacter; gladium stringe; sit tibi animus intus validus, pectus firmum extra.

262. Hoc puncto temporis pedem ponunt in inferis, si hæc loca late sumas: nam proprie inferni erant transmisso Cocyto, unde infra *aditum*, quum ait; *Occupat Æneas aditum custode sepulto.* Commendatur obiter fortitudo Æneæ, qui euntem Sibyllam pari passu assequitur, pari audacia; nihil illis umbris, et spectris territus.

264. Opportuna invocatio, quia rem novam narrandam aggreditur: invocat primo Plutonem, et Proserpinam; hos enim intelligit per illa, *Dii, quibus imperium est animarum;* deinde, animas omnes; nam istæ sunt, *umbræ silentes:* tertio, antiquum Chaos, quia genuit Noctem et Erebum: quarto invocat Phlegethontem, ac loca perpetuis tenebris horrentia, quæ ad terrorem nominat. Quid vero vult? loqui *audita*, quasi dicat, non per se cognita : innuit enim, quæ de inferis narrantur, esse mera insomnia.

268. Describit jam iter: primus versus habet hypallagen; est enim, *ibant obscuri sola sub nocte*, idem quod *ibant soli sub nocte obscura :* qua vero luce faciebant iter? sub maligna utique, et incerta, admodum parca, ex nubium globis transmeantibus et eam impedientibus.

364. *Di, quibus imperium est animarum.* Plenus locus alta sapientia : nam dicturus quales esse sedes inferni asserantur, et quæ illic gerantur, quæ sunt incognita viventibus, ne temerarius videatur, veniam a diis petit : asserens non se auctore, sed aliis proferentibus illa dicere, ne sibi incognita, et in vulgus non proferenda videatur relegere. *Donat.*

267. *Pandere.* Idem verbum in re simili Claudian. Rapt. I: « Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum, Et vestri secreta poli, qua lampade Ditem Flexit amor. » — *Alta terra*, et *caligine mersas.* Bene junxit : ex terris enim caligo procreatur, id est, umbra. *Serv.* — Res omnes inferorum unis tenebris et caligine celebratæ. Ennius Andromacha, « Acherusia templa alta, Orci pallida, Lethi obnubila, obsita tenebris loca. » Plinius IV, 12, cum respectu ad Virgilium dixit : « pars mundi damnata a natura rerum, et densa mersa caligine », de Riphæis montibus. Vetus poeta ; *crassa caligo inferorum.*

268. *Obscuri sola sub nocte.* Aut Hypallage est, *Sub obscura nocte soli ibant*, aut *sub sola nocte*, id est, ubi nihil aliud est præter noctem. *Serv.*

269. *Domos vacuas.* Nostri mundi comparatione : simulacra enim illic sunt, quæ inania esse, non dubium est : *sola* nox est, cui nulla lux succedit. *Serv.* — *Vacuas*, corporibus ; etsi simulacris plenissimas: quæ tamen inania quum sint, nullum locum occupant. Ita apud

273. In primo aditu inferorum ingeniosus poeta tot monstra, et tam immania constituit, ut vel inde agnoscas, qualis sit interior et profundior inferorum facies. Clara in hoc tractu omnia sunt; tantum notanda congeries prosopopœiarum, et lux epithetorum: prosopopœiæ sitæ sunt in formis, quas fingit, Luctus, Curarum, Morborum, etc.: epitheta apprime signant formas istas: Curæ sunt *ultrices*, quia ipsæmet pungunt conscientiam suis stimulis; Morbi sunt *pallentes; Senectus tristis;* utrumque μετωνυμικῶς; Fames *malesuada,* ab effectu; Egestas *turpis*, ut quæ luxuriosorum, et perditorum; ut quæ pertrahat ad mille deformitates; sopor dicitur frater Mortis, quo quid verius? *Mala mentis gaudia* sunt, quæ scelerati, impii, flagitiosi, criminosi demum omnes habent ex contractis sceleribus, impietate, flagitiis, et criminibus; vide vero, uti Philosophus discutiat hunc locum epist. 59. Bellum qui aptius

Horat. *domus Plutonia,* dicitur exi*lis*, quod inanis et vacua sit.

273. *Faucibus Orci*. Deum posuit pro loco; ut Jovem dicimus, et aerem significamus. Horat.: « Manet sub Jove frigido venator. » *Orcum* autem Plutonem dicit. Vide *Excursum* VIII, de Chorographia inferorum ad Virgilii mentem, vol. III, pag. 226.

274. *Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ*. Ea dicit esse in aditu inferorum, quæ vicina sunt morti: aut quæ post mortem creantur: aut quæ in morte sunt, ut pallorem. Luctus enim post mortem est. *Serv.*

275. *Tristisque Senectus*. Et quia nostros contrahit vultus, et morti vicinos facit: vel severa, tetrica, dura, ut Servius exponit: sed Beroaldus, *tristem* exponit, *querulam et morosam*, quod apud Ciceronem et Senecam legantur, « Senes morosi et anxii, et queruli atque difficiles. » *Ipsa Senectus*, monente Terentio, Phorm. IV, 1, 9; *morbus est*, ad quem locum Donatus ex Apollodoro Græca addit τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα: hoc igitur senectuti cognomen vere imponendum. Legendus Seneca, qui epistola 30; mala senectutis recenset, quæ tanquam βωμός ἐστι τῶν κακῶν; et 108, Virgilium laudat conjungentem semper morbos et Senectutem.

276. *Metus.* Huic pesti etiam personam attribuit Statius Theb. IX, « stant uno margine clausi Spesque, audaxque Metus. » — *Malesuada Fames.* Impelluntur certe mortales ad rapinas et scelera omnia, urgente et imperante Fame. Hanc autem, non solum egestatem victus debemus accipere, quæ inopiæ caussa suggerit prava consilia; sed istam quoque βουλιμίαν et « sacram auri famem » locupletum, qua aliena violenter invadunt. — *Turpis Egestas.* Nam et macie deturpat faciem, et necessitate sordidum relinquit victum et vestitum. — Non paupertas, nam hæc virtus, sed egestas, quæ de luxuriosis ac perditis.

potuit nominare, quam *mortiferum?* sunt etiam ibi *thalami*, id est, sedes furiarum, iique facti ex vivo ferro: nihil enim obstat, quo minus ferrum proprie possis intelligere: demum Discordia inducitur et hæc *demens*, et cum crinibus, et cum vittis; illi viperei sunt, istæ cruentæ, et utrumque innexum. Quid aptius ad horrorem? In medio sermonis formæ istæ dicuntur esse *terribiles visu*. Vere hoc tu Maro! finge, lector, monstra cum hæc variis et formidandis figuris unguium, dentium, caudarum; formatis ad horrorem, terrorem, pavorem; plenis illuvie, squallore, sordibus: vel certe finge quicquid delitescere potest sub his formis ducta similitudine ab effectis, et videbis quam tetra monstra concipi animo queant. Vide etiam lector, si otium, uti Sen. ep. 104, expendat vatis verba, quod dixerit, formas istas esse terribiles visu, non re.

282. Hactenus explicata, quæ erant ante vestibulum; pergit jam ad ea quæ erant in medio vestibuli: principe loco ulmum constituit annosam, opacam, ingentem: in qua arbore erant somnia, id est, explicante Donato, errores, qui occurrunt dormientibus per phantasmata: *vulgo*, ut vulgo fertur: ideo autem *ferunt*, quia supra, *sit mihi fas audita loqui*: ita *Taubm.*

285. Sed quæ monstra in eo vestibulo; nam signans vestibulum ait, *stabulant:* illa sunt, *Centauri*, qui in ipsis *foribus*: deinde, *Scyllæ*, quia hæc duplex Nisi, et Phorci; et hæ *biformes*, quia utraque Scylla versa est in canes inferiore parte: tertio, *Briareus*, et hic *centum geminus*, videlicet a brachiis, et manibus, habuit enim ἑκατογχεῖρας, ait Hesiodus: quarto, *Bellua Lernæ*, id est, Hydra, et hæc *horrendum stridens*, quia stridebat serpentinis capitibus: quinto, *Chimæra*, et hæc *flammis armata;* nam de illa Hesiodus, πνέουσαν πῦρ. De hac vide

286. *Centauri in foribus.* Bene *in foribus;* quia ea, quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt. — *Stabulant.* Habitant: et bene allusit, quia ex parte equi sunt. *Centauri* autem Ixionis et Nabis filii sunt. Ixion enim amatam Junonem de stupro interpellavit. Illa confessa Jovi est: et ejus voluntate Nubem in suam formam conversam obtulit, unde feruntur nati esse Centauri. *Serv.*

288. *Flammisque armata Chimæra.* Tithonis et Echidnæ filia, ore leo; postremis partibus, draco: media, capra, secundum fabulas, fuit. Re vera autem mons est Lyciæ: cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod sunt leones: media autem pars hujus pascua habet, quæ capreis abundant; ima vero montis serpentibus plena sunt. Hunc Bellerophontes habitabilem fecit, unde Chimæram dicitur occidisse. *Serv.* — De eadem Hesiod. in Theogon. et Lucr. lib. V.

Virgilii interpretes, Homeri et Alciati in Emblematis: sexto, *Gorgones*, tres videlicet Euryale, Stheno, Medusa, filiæ Phorcynis: septimo *Harpyiæ*, de his satis in Æneid. lib. III: octavo, *forma tricorporis umbræ*, id est, Geryon: vel Herilus etiam, quod addit Servius.

290. Stringit hic gladium Æneas pro terrore, opponitque venientibus contra se monstris: admonetur a Sibylla, nulla ibi esse corpora, nullas animas; tantum inanes, tenues, et vanas umbras; aliter ille irruisset, seque læsisset, umbras illas ferro diverberans.

295. A vestibulo, superatis tot monstris, viam ad Acherontem Tartari fluvium dirigunt: sequitur Virgilius ordinem Platonis; nam post vestibulum constituit Acherontem; post quem, Cocytum, in quo ille arenam omnem eructat et miscet: sed si Acheron in Cocytum desinit, pariter Cocytus et Styx confusi eumdem hic fluvium aut paludem efficiunt. (Vide Excursum IX, Vol. III, pag. 230, *de fluminibus inferorum*.)

298. Hanc partem explicans, insistam vestigiis Scaligeri lib. III, Poet. cap. 2: describit Charontis officium, habitudinem, vestem, instrumenta officii, ætatem: officium, nam *portitor*, nam *servat aquas et flumina*: habitudinem, nam *horrendus* et cum *squallore terribili*: inest illi *plurima mento canities*; et hæc *inculta*; et *jacet*, quia neglecta, circa mentum: ad hæc *stant lumina flamma*; sunt rigida, et ardent: vestem, nam *amictus*, isque *sordidus*; hic *dependet*, ut qui nulla fere arte sit illigatus, tantum pendeat ex *nodo*, non ex fibula: quæ omnia mirum indicant neglectum: instrumenta, nam, conto *subigit* velisque *ministrat*, *Et ferruginea subvectat corpora cymba*: non dat illi remum, ut naviganti in lenta et crassa palude: ad lentitiam istam pertinet verbum *subigit*, propter conatum: cymba *ferruginea*, est atra, subnigra: ætatem, nam erat *senior*: sed *senectus* ista *cruda* adhuc, et integra, ac *viridis* instar juvenis: nam si languidus esset, invalidus, imbecillus, qui laborioso negotio præesset?

298. *Portitor*. Proprie qui portat: abusive etiam qui portatur *portitor* dicitur, sicut *vector*. Serv. Ita et qui portum observat. *Don.*

303. *Corpora*. Id est, mortuorum animas; nam omne quod potest videri, corpus dicitur. Unde 391; discretionem fecit: « Corpora viva nefas Stygia vectare carina »: Nam et Plato in Phæd. tradit, animas, quæ non pure a corpore discesserunt, visibile aliquid secum trahere: quod nec Homerus tacuit, Iliad. XXIII. *Taubm.*

305. Describitur studium animarum, quæ ibant ad ripas Cocyti, non Acherontis : signata verba studii sunt, *effusa*, et *ruebat*. Hic tu, Lector, duo nota digna hoc vate : in describenda multitudine aliqua, nihil est reliquum, si adhibeas sexum, ætatem, conditionem : hæc enim distinctio complectitur omne mortalium genus : ergo erant ibi *matres atque viri*; en sexus : erant *pueri et puellæ*; en ætas : erant *heroes*; en conditio : deinde nota conquestionem pæne ad lacrymas : sunt ibi Heroes *magnanimi*, ac perinde indigni, qui morerentur : sunt puellæ adhuc *innuptæ*, quo quid miserius? juvenes cremati *ante ora parentum*, quod spectaculum acerbissimum est.

309. Sequitur duplex comparatio ad explicandam confluentem animarum turbam. Prima, a foliis arborum cadentibus extremo autumno : itaque ne capias initium autumni, etiamsi dicat *autumni frigore primo*; sed exitum : nam in autumni exitu est primum frigus. Altera ab avibus, quæ incipiente hyeme, transmisso mari simul in terram devolant; et in unum locum glomerantur : volunt hic per *terras apricas* intelligi Africam, in quam solent aves per hyemem confluere e locis aliis frigentibus : est *annus frigidus* hyems, quia hæc pars anni frigida : sunt qui per *aves* capiant tantum grues ex Homerica imitatione : sed nihil impedit, quin capiatur omne genus volucrum.

313. Vide mire descriptum habitum supplicum : nam *stabant*, et *orantes*, et *tendebant manus*. Quid vero volebant tanto conatu? amnem transmittere; ripam ulteriorem assequi. Quid Charon? capiebat jam hos, jam illos cum magno delectu : alios longe arcebat, summovens procul a ripa : pro hac *arenam* posuit, quia ripæ, ut plurimum, arenosæ.

317. Æneas admiratus tumulum concursantium, duo rogat, (quod aliqui dicunt, *tria*, non satis discerno;) causam

307. *Pueri innuptæque puellæ.* Quos in spem posteritatis servandæ, convenerat in longum senium perduci. Distinguit sexus et ætates, ut ostendat mortem omnibus esse communem, nec moriendi esse ordinem. *D.* — *Quam multa :* ex ea comparatione, quanta fuerit turba, ostenditur. *Id.*

313. *Stabant orantes.* Volunt aliqui allusum ad morem oratorum, qui stabant. — *Stabant.* Ecce cum tractu moræ videtur ipse versus stare. Scalig. IV, 48. *Taubm.* — *Primi transmittere.* Figura Græca est; ut primi transirent. *Serv.*

316. *Ast alios.* Nempe insepultos, ipsam litoris arenam contingere non sinit : unde superstitiosum illud sepulturæ genus inventum, quod *Terræ injectio* dicebatur. De quo vide infra, v. 366.

concursus; deinde discrimen, quo hæ animæ admittantur; illæ arceantur: vada *livida*, sunt nigra.

321. Respondet quæsitis, et plura addit, quæ tamen ad eamdem rem pertinent. *Olli*, pro, illi, ex more vetere, et ex heroica majestate. *Fata est*, proprie admodum; fatur enim, quæ noverat fata mortalium: dicitur Sibylla hæc *longæva*, quia diutissime vixisse ex fabulis habetur: versus *Anchisa generate*, etc. continet periphrasin herois; nam heros est, natus ex cælesti, et mortali: ideo vero, *Deum certissima proles*, quia infernos adit, nam hoc *Diis geniti potuere*. Cocyto dantur *stagna*, propter *Stygiam paludem*. *Styx* dicitur habere numen, quia Jovi ipsi formidabilis. Homer. Iliad. XV; Odys. V, 185; et XIV: Hesiod. in Theog. Apollon. II Argon. Vide Excursum IX, tom. III, p. 230; et Æn. XII, 816. Turba *inops* et *inhumata* est, quæ præ inopia caruit sepultura: non placent, qui aliter concipiunt: nam Poeta non dicit, quod ipsi dicunt. Ripas *horrendas* quod horrorem incutiant: fluenta, *rauca*, quod obtusum quiddam insonent. *Sedibus*, dicuntur sedes de mortuis. *Quierunt*, alludit ad usitatam formam *quiescat placide*: *volitant*, et ex natura animarum, et quia supra comparatæ volucribus: *exoptata*, quia diu optata, videlicet per annos centum.

331. Describitur verbo *constitit*, habitus hominis subito stupentis: ergo *constitit* pedibus, sed animo cogitabundus; *pressit vestigia*, reputans multa, et miserans sortem insepultorum: itaque *constitit* stupens, *pressit vestigia* cogitabundus: sortem, *iniquam* vocat: nam quid iniquius, quid injustius, quam aliquem ob alterius negligentiam puniri? nemo enim culpa sua caret sepulcro: ita expendit locum istum Manutius; sed ego aliter: vere *iniquam*, quia hæ admittuntur, illæ arcentur, quod non æquum.

333. Pendent ista ex his, quæ habentur lib. Æn. I: primus versus rem narrat, et reddit causam: ideo enim mœsti, quia carebant honore mortis, sepultura: tota vero narratio sparsa est affectibus: perit *Leucaspis*, qui navis rector: perit *Orontes*, qui *ductor classis*; sunt hæc misera: sed cujus classis? *Lyciæ*,

322. *Deum certissima proles.* Natns ex homine, non immerito paves: sed nihil debes metuere, quia a diis principium ducis. *Donat.*

326. *Portitor ille Charon.* Græci poetæ νεκυηγὸν et νεκυοστόλον vocant; qui etiam *Porthmeus* dicitur. Juvenal. Sat. III, 265: « tetrumqne novitius horret Porthmea. » Petron. in Sat. « vix navita Porthmeus Sufficiet simulacra virum traducere cymba. »

quaotum πάθος! est enim admodum miserum, illum perire, qui alterius calamitatem dolens, se illi adjungit comitem, quod accidit Oronti: quale etiam illud ad lacrymas? *Obruit Auster:* quid si expendas deforme mortis genus, videlicet, *aqua involvens navemque virosque..*

337. Sistit in uno Palinuro, qui *nuper Libyco cursu*, quum facta est transmissio ex Libya in Italiam; *dum sidera servat*, est hæc vox signata; nam servare de cælo dicitur: *exciderat puppi*, signat eam partem, ex qua cecidit Paliourus, nam in V Æn. *cum puppis parte revulsa*, etc.

340. Est *multa umbra* periphrasis noctis inferorum. Palinurum vix agnovit præ tristitia, quæ ita magna in illo erat, ut primum rogatus, *quis te Palinure*, etc., nihil responderit, donec increpitus est ab Ænea verbis illis; *dic age*. Quibus verbis Æneas non tam Palinurum reprehendit tarditatis, quam expostulat contra Apollinem, qui fidus alias, tunc se deluserit: nam quum hic Deus promisisset, Palinurum venturum esse in Italiam, submersus est medio æquore; et ereptus non tam uni Æneæ, quam universæ classi: ideo signate *eripuit nobis*, non mihi.

347. Duplex est loci hujus sententia. Servius sic concipit: nec te Phœbus, nec me fefellit: me autem Deus mersit, ut alludat ad Deum Somnum, a quo deturbatus Palinurus. Alii fere omnes sic: nec te Phœbus fefellit, nec me Deus aliquis mersit æquore. Posterius hoc videtur esse e mente poetæ: nam postea Palinurus, veluti Deos hac culpa liberans, mortem suam confert in successum fortunæ, et præcipitium.

349. Exponit casum suum: hærebam, inquit, ita firmiter gubernaculo, ut inde præcipitatus mecum revulsum traxerim: illud *hærebam custos*, dictum ἐκ τοῦ πρέποντος naucleri vigilan-

337. *Sese agebat. Sese agere*, est sine negotio incedere. *Serv.* — Qui in vita naves, mortuus seipsum agebat: *agere se*, tardi et tristes dicuntur. Ita enim P. Manutius, contra Servium, Donatum, aliosque hæc exponit, et suffragantes Erythræum, Nascimb. habet.

345. *Qui fore te ponto.* Nihil dixerat de Palinuro Apollo: sed tacendo de suis adversis, boni aliquid promisisse videtur. *Donat.*

347. *Cortina. Cortina* dicta est, aut quod cor teneat; aut quod tripus septus erat corio serpentis, ut supra dicitur: aut certe secundum Græcam etymologiam ὅτι τὴν κόρην τείνει, id est, quod extendit puellam: ut, « Majorque videri. » *Serv.*

349. *Namque gubernaculum.* Ut sit verisimile, quod post triduum tetigit litus Italiæ. *Serv.* — *Vi revolsum.* Ostendit pro viribus pugnasse, ut excuset factum. *Donat.*

tissimi : est hic *præcipitans*, præcipitatus : in illis *traxi mecum*, vide habitum cadentis, qui, quibus hæret, revellit, secumque trahit, præsidium occupans.

351. Ηρέπον maximum : nauta enim jurat per *maria*, et *aspera*, addens vim juramento : adderet enim vim, si quis juraret per Deum iratum : quid vero jurat? se magis anxium fuisse de salute Æneæ, quam de sua : *armis*, id est, vel navalibus instrumentis in communi, vel singulariter gubernaculo, quod ipse cadens secum traxerat. Oratio ista *navis excussa magistro*, est hypallage, pro, magister excussus navi.

355. Pergit narrationem, et hanc plenam magnis affectibus : finge tecum miserum naufragum, fluctibus triduo agitatum : quem, postquam salutis spes aliqua affulsisset, atque ad terram per præruptos et arduos scopulos cum summa difficultate adnasset, dirior ipso pelago latronum vis invasit, repentem corpore, et unguibus, pedibusque olnitentem ad salutem, atque inde ferociter deturbavit. Quæ hæc narratio! his adde, cadaver ipsum huc illuc fluctibus ventisque versari, ac misere allidi scopulis : nihil inepte molitur Maru. Quid si alia quæpiam consideres? in triduo numerando ad *noctes* potius recurrit, quam ad dies, ut vim maris, et suam calamitatem amplificet. Postea vero ex contrario affectu, *lumine*, quasi dicat; post tres diras noctes, dies mihi quartus lætissimus illuxit, potius lux : in illis *prensantemque uncis manibus*, attende studium quærendæ salutis per ardua, per prærupta : *adnabam*, et *tenebam*, de imperfecto, quia res non habuit exitum felicem. Multis parco, ne quis me putet superstitiosum.

363. Post narrationem infortunii, post jactatas querelas, sequitur deprecatio per res charissimas, videlicet cæli lumen, auras, genitorem, spem nati, ubi mira αὔξησις, crescente semper oratione. Quid vero precatur? duo; et sub distinctione : vult primo eripi malis, in quibus est, id est, transmittere Stygiam paludem, etiamsi adhuc insepultus sit : ait, si nequeat id fieri, saltem genus sepulturæ tenuissimum atque in-

360. *Prensantemque uncis manibus.* Quod est naufragorum. Sic Sil. Ital. lib. IV : « Ille celer nandi, jamjamque apprendere tuta Dum parat, et celso connixus corpore prensat Gramina summa manu. » — *Capita aspera.* Aspera saxorum, quæ ex montis radicibus, veluti capita, in mari extant. *Donat.*

363. *Cæli jucundum lumen.* Bene *jucundum* addidit; quia apud inferos non est jucundum : quasi dicat, per id ad quod cupis remeare. *Donat.*

fimum petit, quo possit transire, scilicet terræ injectionem supra cadaver, quod Æneas inveniet ad Veliam. Ratio, qua primum petit, est, quia tu *invictus;* quasi dicat; qui vivus Stygem transmittis, (quæ summa est potentia) cur non efficies, ut mortuus eamdem transeat, etiamsi insepultus? Ratio qua petit injectionem terræ, est, quia tu *potes:* qua voce volunt interpretes signari Pontificiam Æneæ potestatem ad rite condendum cadaver.

367. Pergunt preces Palinuri hunc in modum: si tu nec me eripis, nec terram injicies, at excogita modum aliquem, quem tibi Venus mater suppeditet, ut des dexteram, ac tecum per undas tollas; ut mander sepulturæ: referendus procul dubio poeta ad ea, quæ præcesserunt. Illa, *da dextram, tolle me per undas* respiciunt illud, *eripe me his malis.* Ista, *ut quiescam in morte sedibus placidis*, respiciunt injectionem terræ, quam petierat: ac propterea integer sententiæ conceptus hic est, eripe me tu ipse his malis, quia invictus; aut injice terram, quia potes: si neutrum ipse queas, at vide, an Venus, et Dii suppeditent viam aliquam, qua aut eripiar, aut condar. Verba extrema, *ut saltem in morte quiescam*, bene explicat Servius, cum respectu ad vagam nautarum vitam.

372. Objurgatio Sibyllæ in Palinurum; dira, inquit, vota concipis: neque enim ἄθαπτος aspicere potest Cocytum, qui fluvius furiarum est: neque abire trans ripam, nisi jubente numine: cupido *dira* dicitur, quia vere dirum velle fatis obsistere: τὸ *tu* emphasim habet non vulgarem: amnem *severum* accipio, tristem, borrentem, funestum.

376. Perinde ac si dicat, corrigens quæ dixerat; sed neque erit numen aliquod quod hoc jubeat: putas enim fieri posse, ut fata flectantur; Dii immutentur? desine boc sperare, desine putare.

377. Post objurgationem, consolatur Palinurum a futuro rerum eventu: preces Palinuri habitæ sunt ad Æneam; et tamen non is, sed Sibylla respondet, ut quæ præscia futurorum. Sed quod hoc solatium? fore, ut finitimi omnes populi cælestibus prodigiis territi, ejus necem expient, excitato tumulo, et factis supra tumulum sacrificiis: aperit deinde locum, ubi ille est mortuus, Palinuri nomine honestandum: τὸ *piabunt* explicatur, *condent*, *consecrabunt:* illud *statuent tumulum*, dictum cum respectu ad *terram injice*, quasi dicat: petis sepul-

turæ genus tenuissimum; non deerit; tumulus tibi statuetur; solventur solemnia; justa fient, et exsequiæ.

382. Solatio isto sedatus est Palinuri animus: ergo *curæ* transmittendi fluminis *emotæ* sunt, et gavisus, sed *parumper;* nam spe tantum, ait Servius, non præsenti beneficio: sed qua gavisus re? *cognomine terra*, signat γῆν ὁμώνυμον.

384. Apodosis, qua rediit ad institutum: itaque appropinquant *fluvio* Cocyto, aut Stygi, quod idem.

385. Describitur diligentissimus custos inferni litoris: in voce *prospexit*, nota speculatorem: in voce *jam inde*, id est, a longe, vigilantiam: in illis, *sic prior aggreditur*, futuræ orationis asperitatem; ideo *increpat ultro*, quia non rogatus: qualis ergo futura oratio!

388. En orationem congruentem personæ: solent esse arrogantissimi portitores fluminum: hanc arrogantiam hic indicat Charon in audacia, in imperio: vide audaciam, *quisquis es, armatus*, etc.; armatum non timet, inermis ipse: vide imperium; *fare age, quid venias?* neque hoc solum, sed *jam isthinc et comprime gressum*, id est, ne te ultra commove ab eo loco, in quo es.

390. Objicit terrorem; nam locus ille *umbrarum* est, et *Somni*, atque etiam *Noctis*, quæ Somnum genuit; ideo *soporæ*, quasi soporiferæ. Quid vero hic tu vivus inter umbras? inter somnum? inter noctem? quum nefas sit hac carina vectari viva corpora.

392. Aiunt; et ex Orpheo adducit Servius, Charontem in compedibus integrum annum fuisse propter acceptum in nave Herculem: ergo, *non sum lætatus accepisse Herculem, Thesea, Pirithoum; quamquam Diis geniti*, quamquam *invicti viribus:* nam Hercules Cerberum loro vinctum *traxit;* Theseus, et Pirithous tentarunt Proserpinam trahere: utramque rem mire amplificat: nam Hercules Cerberum *traxit*, et hunc *custodem* Tartari, et a *solio regis Plutonis:* Theseus vero, et Pirithous non quamcunque *adorti* sunt prædam, sed *Ditis Dominam*, id est, conjugem, et hanc ab ipsius regis *thalamo*.

388. *Quisquis es, armatus.* Bene a proscriptione cœpit: ac si diceret, nihil pium molitur armatus. De Charonte Scaliger, P. III, 16.

397. *Hi dominam Ditis.* Aut de Græco tractum est, quia uxorem δέσποιναν dicunt: aut *Ditis thalamo*, ut dominam Charon ad se retulerit. *Serv.* — *Hi dominam.* Pejus conati sunt quam ille: quot hic loca sunt accusationis! facere vim uxori alienæ; uxori regis et

398. Ut supra Palinuro, ita nunc Sibylla respondet Charonti κατὰ πρέπον, ut quæ divinorum sciens. — *Breviter;* quia quæ justa sunt, longo sermone non egent: dicitur, *Amphrysia*, id est, Apollinea, sicut Apollo etiam ipse, *Amphrysius*, cum respectu ad tritam fabulam.

399. Diluit primum objecta: ergo, *nullæ* nobis *insidiæ*, sicut in Hercule, Theseo, Pirithoo: *nec vim tela ferunt*, contra illud, *quisquis es armatus:* itaque, o Charon, *licet*, fas est, ut Cerberus, *ingens janitor, latrans æternum*, perpetuo, *umbras terreat:* has *exsangues* vocat, quia tantum simulacra quædam, utique εἴδωλα καμόντων. Perinde ac si dicat: non venimus rapturi, *Tartareum canem*, ut Hercules, qui illum *traxit a solio ipsius regis:* itaque ille securus est, etiam *janitor*, id est, etiam in ipsis januis; neque opus est confugiat ad solium Plutonis; potest latrare quantum volet, umbras terrere, exsequi suum munus.

402. Pergit diluens objecta: non instar Thesei et Pirithoi tentamus Proserpinam abducere: *licet* enim illi per nos, ut *servet limen* Plutonis; tantum abest, ut velimus thalamos expugnare: potest tuta vel in ipso regiæ limine consistere, et quidem *casta*, quasi dicat, ejus pudicitiam non attentabimus, in ipso adhuc limine erit casta. Servius interpretatur *patrui*, quia Jovis est filia ex Cerere, et Pluto frater Jovis.

403. Post confutata objecta, firmat causam suam hunc in modum: adducit Æneam in hæc loca non vis, sed pietas, sed voluntas Deorum: pietas, qua it ad genitorem; voluntas Deorum, quæ tibi satis debet patere ex hoc ramo: nota obiter studium Sibyllæ in exornanda persona Æneæ: dixerat Charon indefinite; *quisquis es:* aperit ergo illi Sibylla nomen: est *Æneas:* et genus, quia *Troius:* et quia Charon, *armatus*, Sibylla, *insignis armis;* sed, quæ non vim afferunt, sed conjuncta sunt cum pietate: demum aperit causam viæ, *descendit ad genitorem;* et viæ hujus difficultates, quas superat, quia *descendit ad umbras*, et has *imas*, et has *Erebi*.

407. Cedunt statim corda, quæ tumuerant æstu irarum: ait, *residunt*, quia redduntur pristino ante iras statui: *nec* citro ultroque reddita *plura his* verba: admiratur *donum;* nam supra: *Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus Instituit.* Sed cur donum *fatalis virgæ?* quia supra etiam; *namque ipse volens fa-*

præsentis; ipsi quoque reginæ; et hæc a persona. A loco vero, de ipso thalamo, quem nosse præter maritum nemini licuit. A facto, extrahi, quem honeste tangere non licuit. *Donat.*

cilisque sequetur, Si te fata vocant. Ergo jam promptus Charon, et cum obsequio, *advertit puppim; appropinquat ripæ; et deturbat alias animas, quæ sedebant per juga longa :* cape per *juga* sedes nauticas : *laxat foros*, id est, vectorum loca : accipit *alveo*, capacitate naviculæ *Æneam ingentem*, excellentem et præstantem virum : *gemuit cymba*, quia *sutilis*, præsertim *sub pondere* vivi hominis; et quia *rimosa*, accepit multam undam paludis : tandem Charon illos transmittit : ait, *tandem*, quo innuat multum temporis consumptum in transnatando Cocyto, qui totus paludinosus, et cœnosus : illud *informi limo* explicat Servius, *magno*, *sine forma*.

417. Ecce in aditu statim Cerberus custos januæ inferorum : ejus ferocitas, et vigilantia describitur : ferocitas, nam *ingens*, nam *immanis :* vigilantia, nam *sonat per regna* inferni *latratu triplici*, nam *recubat in antro adverso*, sito e regione.

419. Quum ille erectis colubris horreret, qui illi erant pro pilis, Sibylla *offam objicit frugibus medicatis*, quibus admistum esset papaver, aliæve herbæ ad conciliandum soporem : inde offam *soporatam* vocat; cui tamen offæ mel adjungit, ut avidius illam corripiat Cerberus, quippe dulcedine perfusam.

421. Arripit offam Cerberus; humi prosternitur; antro extenditur. Hic ego adnoto quiddam non vulgare in poeta consideratissimo : descripsit primum Cerberi ferocitatem et vigilantiam : nam *ingens*, nam *immanis*, nam *triplici latratu*, nam *recubans in adverso antro*. Ecce jam easdem res victas et sopitas post arreptam offam : nam hic quoque *ingens* dicitur, et ejus membra *immania*, sed commutata rerum vicissitudine : ejus enim tria guttura panduntur non ad latratum, sed ad offam corripiendam : non jam recubat in adverso antro, ut qui vigil : potius extenditur humi, funditur, resolvitur somno victus.

410. *Cæruleam advertit puppim.* Quum hic color detur undis, et mari, nihil mirum detur etiam navibus. Theocr. in Ptol. Enc. vocat Charontis ναῦμα κυάνεον.

412. *Laxatque foros.* Tabulata vacuat; ut supra, « et campos jubet esse patentes. » Multitudine enim remota quasi laxantur spatia. *Serv.* — *Alveo.* Accepi capacitatem naviculæ, et cavum ipsum. Servius male de fluminis alveo intelligit. Propertius clare lib. III. « Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina? Portabat sanctos alveus ille viros. » Et Livius lib. XXI : « alveos informes raptim faciebant, » id est, naviculas.

415. *Tandem.* Aut propter pondus Æneæ, quod est melius : aut propter paludis magnitudinem : aut propter cœni densitatem : vel ex affectu Æneæ, qui properabat ad patrem.

424. Nunc primum pedem ponit Æneas in inferis locis : si loca ista stricte sumantur, potuit tuto, occupante somno Cerberum custodem liminis. Est *evadit* signatum verbum, quum quis periculum aliquod evitat.

426. Vix pes figitur, quum statim, nam hoc est *continuo*, audiuntur *voces* miserrimæ *infantum*, *ingens vagitus*, *animæ flentes :* quem ista non moveant? quid si expendas? illos *raptos ab* ipso materno *ubere*, atque *exsortes vitæ dulcis : quos* quidem *abstulit dies atra*, infausta, *et mersit acerbo funere.* Magnus semper Virgilius, sed maximus in movendis affectibus : præterea considera, hos duos versus,

> *Quos dulcis vitæ exsortes, et ab ubere raptos,*
> *Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo,*

sibi opponi : nam dies atra opponitur dulci vitæ; et acerbum funus uberibus, a quibus rapiuntur. *Acerbo*, per metaphoram a fructibus ductam, qui *acerbi* sunt, quum ante tempus decerpuntur immaturi.

430. Sunt isti juxta infantes, isti ut nullius etiam criminis participes; proximi enim ad infantum innocentiam accedunt, qui injusta et violenta morte damnati sunt ante fatalem diem. Nemo putet, has sedes, hæc loca data animabus *sine judice, sine sorte :* judex est Minos, qui urnam commovet, ubi sunt sortes : *vocat ille concilium silentum* animarum; *discit vitas; discit crimina.*

434. Tertium locum assignat illis, qui sibi manus vimque

426. *Continuo auditæ voces.* Novem circulis Inferi cincti esse dicuntur, quos nunc exsequitur : nam primum animas infantum tenere dicit : secundum, eorum qui sibi per simplicitatem adesse nequiverunt : tertium, eorum qui evitantes ærumnas se necarunt : quartum, eorum qui amaverunt : quintum, virorum fortium esse dicit : sextum nocentes tenent, qui puniuntur a judicibus : in septimo, animæ purgantur : in octavo, sunt animæ ita purgatæ, ut redeant : in nono, ut jam non redeant, scilicet in campo Elysio. *Serv.* — In isto versantur poetæ, heroes, sacerdotes, artifices, ac benefici. Hæc autem de circulis, sive sedibus Inferorum pleraque sumpta sunt e libro Platonis de Rep. X, ubi Erus quidam Armenius narrat, quæ apud Inferos viderit.

432. *Quæsitor. Quæsitores* autem sunt qui exercendis quæstionibus præsunt : et notandum, quia Minoem, quasi crudelem, introducit : quod ei epitheton et Plato et Homerus dant : nam Æacus et Rhadamanthus fratres mitiores sunt. *Serv.* — *Quæsitor Minos.* Et inquirendi, et urnæ agitandæ habet po-

attulere : dicuntur hi *mœsti*, ut qui tædio vitæ sibi vim intulerint : dicuntur *insontes*, ex doctrina Stoicorum, qui hujusmodi facinus leve esse putabant, imo laude dignum, ut apparet in Seneca impense laudante Uticensem. Itaque se interfecerunt, nulla scelerum conscientia; tantum perosi vitam; præferentes scilicet mortem turpi fortasse servituti, aut cuivis malo alteri. Ergo *insontes*, qui tantum *perosi lucem* suas *animas projecere*, quasi rem vilem, ait Budæus. Sequitur; *O quam*, id est, quantum, *nunc vellent* illi, *in alto æthere*, inter homines, in hac luce, in hac vita *perferre et pauperiem, et duros labores!* sed nequeunt jam, quia *fas* naturæ *obstat, alligat palus, Styx coercet.* Styx vero *novies interfusa*, loca illa circumfluit. Vide Excursum IX, tom. III, pag. 230, de Stygia palude, quæ inamabilis, στυγερά.

440. Quartus locus assignatur his, qui amore victi, fato sunt functi; aitque, huic parti inferorum inditum nomen, *lugentes campi*, a luctu, credo, et lacrymis, quibus amatores contabescunt : ut vero indicet multos mortalium fuisse hujus insaniæ participes, ait, locum ipsum, in quo erant, fuisse latissimum : ideo disertim *campi*, et *fusi*, et *in omnem partem*.

442. Omnia hic ἐκ τοῦ πρέποντος : ideo *amor durus*, ut qui miseros amatores *peredit crudeli tabe :* ideo illos *secreti celant calles*, ut qui pudibundi flagitiorum suorum recordatione, ut qui clanculum, et occulte peccant, ex vitii hujus natura : ideo illos *myrtea silva circum tegit*, ut qui sunt asseclæ Veneris, cui

testatem. Vide Excursum XI, vol. III, pag. 233, *de Judicibus apud inferos.*

439. *Novies Styx interfusa.* Quia qui altius de mundi ratione quæsiverunt, dicunt intra novem hos mundi circulos inclusas esse virtutes, in quibus et iracundiæ sunt et cupiditates, de quibus tristitia nascitur; id est, Styx : unde dicit novem esse circulos Stygis, quæ Inferos cingit, id est, terram, ut diximus supra 426; nam dicunt alias esse purgatiores extra hos circulos potestates. *S.* — Germanus autem his novem mysticis virtutum circulis, quos fingant ac repræsentent novem Stygis involucra, nullatenus vult subscribere.

441. *Lugentes campi.* Quasi lucis egentes; quod et amoribus congruit. *S.* — Malo interpretari ex doctrina, qua putabant veteres, Cocytum lugentium fletu et lacrymis increscere : inde campi juxta Cocyti ripam « lugentes » dicti. Claudianus de Rapt. I, alludens ad hanc rem, dixit; « presso lacrymarum fonte resedit Cocytus. » Et in Ruff. lib. II : « Est locus infaustis quo conciliantur in unum Cocytus Phlegetonque vadis; inamœnus uterque Alveus; hic volvit lacrymas, hic igne redundat. »

hæc arbor sacra : ideo *curæ non ipsa in morte relinquunt;* nam hoc vitium pertinaciter hæret; et difficile expugnatur; ac vix vincitur: est enim potentissimus animorum tyrannus. Verum est, istud referri ad aliud posse; credebant enim veteres idem studium mortuos comitari, quod vivis fuisset.

445. Narrat quas ibi fœminas Æneas viderit : attingam hic illarum fabulas. Phædra perdite amavit privignum Hippolytum : res satis nota Tragicis. Procris filia fuit Pandionis : hæc conjugi Cephalo fidem qundammodo fregit; nam hic tectus aliena forma, Procridis pudicitiam attentavit, parumque constantem reperit. Lege Hyginum, cap. 189 : Apollod. lib. III : Ovidium, VII Metam. Eriphyles fabula diverse a multis narratur: lege Hyginum cap. 73 : ego hic Eustathium sequar; fuit hæc Talai filia, fratris Adrasti : duxit illam in uxorem Amphiaraus; quumque dissiderent Adrastus et Amphiaraus, convenit inter illos, ut in rebus dubiis judicio Eriphyles acquiescerent : ergo, quum Adrastus expeditionem in Thebas pro Polynice pararet, dissideretque Amphiaraus, ut qui nollet eo ire, Eriphyle judicavit pro Adrasto, qui corruperat eam monili aureo. Amphiaraus, abiens ad bellum, mandat filio Alcmæoni, ut quum audiret se interfectum, ipse matrem interficeret: fecit hoc Alcmæon : ergo, ait poeta, mœsta Eriphyle monstrabat vulnera accepta ab nato Alcmænne. Erant etiam ibi Evadne, Pasiphae, Laodamia, Cæneus. Evadne fuit uxor Capanei, quæ virum ita deperiit, ut ejus ad Thebas morte nuntiata, se in eumdem rogum conjecerit; adi Philostratum in Heroicis, ubi in his quoque locis constituit Evadnem, et Alcestidem, probasque alias. Pasiphae cum Minotauro concubuit, neglecta viri Minois fide. Laodamia ita Protesilaum interfectum ad Trojam amavit, ut inter complexus umbræ, quam se mariti putavit videre, misere perierit. Lege Hyginum c. 103 et 104, et Catullum eleg. ad Mallium. Fuit altera Laodamia filia Bellerophontis, ex qua Juppiter tulit Sarpedonem Regem Lyciorum, qui interfuit Trojano bello : sed de priore Virgilium capit Servius. Restat Cæneus : fuit primum Cænis virgo, compressa a Neptuno : meruit pro stupro sexus mutationem, et factus est Cæneus : mox in fœminam rediit, et facta est Cænis : ergo ait poeta, quæ quondam fuit juvenis, nunc est fœmina, quia revoluta in veterem figuram : supponit itaque prius fuisse fœminam. Est de Cæneo locus apud Platonem lib. XII, Leg. Non potui has fabulas contrahere in breviores

cancellos: nota in hac regione constitutas tam impudicas quam pudicas fœminas: impudicæ fuerunt Phædra, Procris, Eriphyle, Pasiphae, Cænis: pudicæ, Evadne, Laodamia.

450. Erat inter reliquas Dido, quæ ita perdite Æneam amaverat, ut se, propter illius discessum, interfecisset. De hac longiorem protrahit sermonem, ut quæ magna sit pars hujus heroici operis, ex libera fictione poetæ; nam Æneas Didonem nunquam agnovit. Inducit hanc errantem, ut sui insciam, ut cogitabundam de præterito facto, ut novam incolam, ut mœstissimam in illis locis. Non placet hic Servius in ambiguitate illa, quam constituit circulorum. Errat vero *in magna Silva*, ἐκ τοῦ πρέποντος; magnæ enim Reginæ magna silva assignatur, ubi spatietur: *recens a vulnere*, scilicet, recens novaque in illis locis post acceptum vulnus, quo interiit.

451. Hanc ut Æneas agnovit, neque vero prius agnovit propter obscuram umbram, quam juxta illam stetit; cœpit statim flere, lacrymis sponte cadentibus; nam hoc est, *demisit lacrymas:* cœpit etiam dulcissime illam affari. Nota comparationem sumptam ab imagine novæ lunæ per nubes leviter sublucentis: quum enim nova est luna; vix lucet: quid si tunc abdita intra nubila? eodem, inquit, modo vix mihi agnita est Dido: ideo illud, *aut videt, aut vidisse putat*, exprimens incertitudinem videntis hæsitantisque in eo quod videt. Intelligit vero per *primum mensem*, mensis cujusque initium, Græcorum more, qui a nova luna mensem auspicabantur.

456. Sequitur oratio Æneæ ad Didonem, quæ eo destinatur, ut discessum suum ab Africa excuset, et hunc ex necessitate: confert enim rem totam in Deorum imperium. Immisti sunt varii affectus a dolore, a miseratione, ab amore. Vice exordii est compellatio illa *infelix Dido*, plena doloris, et conquestionis: *verus mihi nuntius*, etc. Vix credideram, tantum in te dolorem potuisse, ut *extrema*, quæ horrent aures, sequerere; idque *ferro*. Quis ita alienus a mente, ut vitam oderit, mortem amet, etiam per ferrum: qua re quid dirius? Sed *heu!* me miserum! ego ipse *tibi fui causa funeris* qui prius fueram voluptatis: confitetur factum, scilicet deseruisse illam: sed *cessi* nolens, et *invitus*. Testes mihi *sidera, superi, inferni etiam, si qua*

455. *Demisit lacrymas.* Non cogitavit flere: nam dolor verus, repentinos fletus, non coactos, excludit. *Donat.*

459. *Per superos, etc.* Valet, per Superos et per Inferos: per superos; et si quod apud inferos jusjurandum est religiosaque assevera-

hic fides. Quare invitus? quia *me jussa Deum egere imperiis suis*. Vis scire an hæc potentissima? Hæc eadem *cogunt me nunc ire per umbras*, *per loca* horrida, *per noctem profundam*. Quæ majora quæris argumenta? Sequitur. *Nec credere quivi*, etc. Est hæc altera satisfactio ab imprudentia. Quo mihi videtur Æneas adblandiri admodum Didoni, quasi Carthagine cessurus non fuisset, etiam Diis jubentibus, si sciret Didonis interitum inde conflandum.

465. Divina hæc sunt ex collatione cum Æn. quarto libro, ubi Æneas fugit, Didone moras flagitante: hic contra fit. Dido ibi cum mira emphasi, *Mene fugis?* Æneas hic pariter, *quem fugis?* et peramice hortatur, *siste gradum*. Illud, *teque aspectu ne subtrahe nostro*, est, ne te subtrahe a nostro aspectu; vel, ne te subtrahe nostro aspectui. Absolvit, *extremum fato quod te alloquor, hoc est:* vel quia nunquam alias vivens ipse locuturus cum ea, vel quia neque mortuus: nam videlicet ipsa mortua inter amantes erat; ipse mortuus, iturus est in loca alia, ubi fortes, et militares viri.

467. Totus hic locus, ut vivide intelligatur, pendet ab his, quæ dicta in quarto Æn. Quum enim magnus ubique sit poeta, tum maximus in hac vicissitudine Didonis et Æneæ. Æneas hic lacrymatur, dictis lenit animum Didonis: illa ardens est præ iracundia, torve illum intuetur, avertit se fixis in solo oculis. In quarto contra Dido it in lacrymas; cogitur tentare et precari; animos amori summittit: Æneas tamen nullis fletibus movetur; nullas voces audit intractabilis: atque adeo, qui siccis oculis flentem Didonem viderat, jam accipit compensationem suæ obstinationis. Hic Dido ad preces Æneæ silici comparatur, aut cauti Marpesiæ: ibi Æneas ad preces Didonis, annosæ quercui, quæ frustra tunditur Alpinis flatibus Boreæ. Hic se Dido proripit, ibi Æneas fugit. — *Tuentem torva* est, tuentem torve, vel κατὰ torva. *Lenibat*, pro leniebat; ut polibat, pro poliebat; Servius, *ciebat lacrymas* suas, non alienas, id est, volvebat, fundebatque. *Movetur vultum sermone*, est Græca constructio; vocula *stet* notat scopulum.

472. Persistit Dido in ira; proripit se; pergit ad nemus um-

tio, *tellure sub ima*, ubi promissa exitum non habent. Respexit autem ad Orpheum, qui receptam perdidit conjugem. Ita Servius ipse, et Turnebus, XXIII, 3.

462. *Senta situ*. Squallida: et est translatio a terra inculta. *Situs* autem proprie est lanugo quædam ex humore procreata; et fit in locis Sole carentibus. *Serv.*

briferum, id est, umbrosum, ubi primus conjux Sichæus respondens illius curis, æquat ejus amores. In vocibus conjunctis *inimica refugit*, esse potest notula non ingrata, quæ est *inimica* Æneæ, *refugit* ad confugium Sichæi: deinde, ipsa nihil respondens Æneæ, it ad Sichæum respondentem sibi.

475. Facit Æneam suum poeta commotum affectumque alienis miseriis; nam is est primus limes pietatis. Jam *turbatum* infert; jam *perculsum*, ut hoc loco sæpe *gemitum* dat, et hunc *ab imo pectore:* postremo etiam lacrymas, ut multis in locis. Flet enim Palinurum, Pallantem, cives suos, discedens e Sicilia: ubi vero apud inferos sui causa exstinctam rescivit Didonem, lacrymas fundit. Quin etiam abeunte illa, atque aversante, non solum lacrymatur, sed et prosequitur eam et longe, et miseratur. Sic ferme Scaliger, Poet. lib. III, cap. 12. Neque vero caret lepore, Æneam percuti *casu iniquo* erga illam, quæ habet alium, qui *æquat* ejus amorem.

477. Attribuit quintum et ultimum circulum viris fortibus, et bello claris. Ergo *molitur* (quasi semper per novas difficultates irrumpat) *iter datum* fatorum præscripto. Nota varietatem poetæ, condientis omnia ad gustum: ab illis, qui molles in amando, transit ad bellicosos et fortes: quæ res, ut longe inter se distant, ita magis lectorem afficiunt.

479. Priore loco numerat Græcos, quos vidit: hi sunt Tydeus, Parthenopæus, Adrastus. Primum sine elogio adducit, ut satis claritudine sua notum; fuit enim pater Diomedis. Secundum, et tertium condit solida varietate, ut tu afficiaris, quum de uno legis armorum elogium; de alio pallorem, qui comes semper timiditatis.

481. Posteriore, Trojanos, ubi magnus affectus, ut par est, cum notis et amicis. Erant itaque hic *Dardanidæ multum* jam *fleti;* alludit quippe ad mortuorum lacrymas et lamentationes: et *fleti* quidem *ad superos*, id est vivos, qui comparatione inferorum *superi* sunt. Dicuntur hi *bello caduci*, ut qui in Trojano bello ceciderint: hos *ille cernens longo ordine*, *ingemuit.* Nota affectum: visis ducibus ingemit, qui nuper visa Didone lacrimabatur: omnia ex decoro. Adhibet mox catalogum illorum, quos viderit. Omnes, quippe noti Æneæ, illum *circumstant dextra lævaque;* vide studium concurrentium. *Nec vidisse semel satis est;* egregie ex aviditate pæne insatiabili, qua mortui vivum hominem videbant. Neque hoc satis, nam *juvat usque*, (id est, multum) *morari*, scilicet, vel morari in intuendo

Ænea, vel morari ipsum Æneam: quum hoc non possent, juvit *conferre gradum*, una cum illo iter capessere, gradum tendere, et causas adventus discere.

489. Gradum facit Æneas à Trojanis amicis ad Græcos hostes. Poeta totus est in laude Æneæ, totus in contumelia Græcorum: ideo illo viso, etiam ipsi principes, nam hi sunt *Danaum proceres*, atque integræ *phalanges* trepidarunt metu ingenti. Qualis hic timor, quum ad metum animi adjungitur trepidatio membrorum? Pars terga dabant, ut quondam fugiebant in rates (de hoc VIII Il. et II Æn.); pars loquebantur tenui quodam susurro; nam loqui quum vellent, non poterant, ut quæ essent inania simulacra, et organis vocis destituta: itaque tollebant *vocem exiguam*, id est, murmur; os quoque in hiatum deducebant, sed clamor illos frustrabatur, id est, deserebat illos in ipso hiatu. Porro hic *trepidare, vertere, tollere*, dictum, pro trepidabant, vertebant, tollebant.

494. Sequitur narratio de Deiphobo filio Priami, plena magnis affectibus: primum in genere proponit carnificinam, videlicet, *laniatum corpore toto:* deinde signat hanc carnificinam fuisse in ore, manibus, auribus, naribus; ut atrox facinus peculiaribus calamitatibus discriminetur: neque vero satis est poetæ has partes exprimere, sed in unaquaque aliquid addit, quo rem augeat: dicit *ora*, cum geminatione, et *crudeliter:* non satis manum unam, sed *ambas:* non caret auribus, sed avulsæ fuerunt, in quo inest modus crudelitatis: et *tempora* sunt *populata*, id est, vastata, in quo inest deformitas: jam de naribus, *inhonesto vulnere*, ut notet turpitudinem; quid enim turpius, et inhonestius, quam carere ea parte corporis? Si compares cum hac carnificina poetarum aliorum descriptiones, sordebunt tibi.

498. Vix agnovit, et præ deformitate, et quia ipse tegebat tam turpia vulnera, supplicii loco inflicta: illud, *vix agnovit pavitantem*, est, nolebat agnosci Deiphobus; et hoc pavebat:

489. *Proceres.* Non tantum ordine, sed meritis. — *Phalanges.* Ac si tota Græcia ad Inferos migrasse videretur. Ostendit igitur quanti Æneam hostes fecissent in bello: ostendit etiam non sine multa sua cæde vicisse Græcos. *Donat.*

495. *Deiphobum videt;* qui Helenam duxerat, mortuo Paride: ad cujus domum primum ire necesse erat, ubi fuerat caussa bellorum: ut, « Jam Deiphobi dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus. *Serv.*

498. *Pavitantem.* Ne agnosceretur, timentem; quia præ pudore nolebat agnosci. — *Tegentem.* Tegere volentem: non quia posset mani-

verbum *compellat*, continet peramicam salutationem : in *notis vocibus*, agnosce vel patriam linguam, vel mutuam consuetudinem sermonis et amicitiæ, qua usi fuerant : nam postea ipsum *amicum* vocat.

500. Duo hic affectus præcipui, nati ab amore Æneæ in Deiphobum; nam et commendat illum peramanter, et peramanter dolet de illius exitu : commendat a genere; nam *a sanguine Teucri :* a virtute, nam *armipotens :* quo elogio nullum majus in re militari : nam, etsi occubuit, tamen post stratos Pelasgos ingenti cæde, et supra *acervum stragis* prius editæ. Dolet, quum ait : *Quis tam crudeles optavit sumere pœnas?* quum addit, *cui tantum de te licuit?* ubi mira est emphasis : vocat *supremam noctem* illam, quæ fuit Trojani excidii. Quum ait, se a fama accepisse mortem Deiphobi, quærit occasionem prædicandæ benevolentiæ suæ erga mortuum : quasi dicat; ut sparsa est inter populares fama tui obitus, statim tibi parentavi; aggessi tumulum; justa persolvi : quod fecisse Æneam in tanto rerum discrimine, magnum fuit.

505. In illis *tumulum inanem*, signat cenotaphium latina paraphrasi; quod *egomet*, inquit Æneas, quippe pius et amicus, *constitui;* et in *Rhœteo litore :* additque, tuos *manes ter voce vocavi.* Homerus, Theocritus testantur mortuos ter alta voce vocari; *vale, vale, vale. Nomen, et arma locum servant :* pro, locus servat nomen, et arma; poetica hypallage. Cur autem erectum cenotaphium? nam, *te, amice, nequivi conspicere*, id est, invenire in tanta cæsorum multitudine; neque *ponere patria terra :* habebatur quippe sanctissimum, condi et tumulari patria terra.

509. Primum gratias agit Æneæ de honorario tumulo; deinde respondet his, quæ quæsierat de modo mortis. Quum ait, *amice*, reddit vicem amoris : *solvisti*, nam mortuis omnibus exsequiæ debentur : quid cognatis, et amicis? *umbris*, præ-

bus; sed quia toto se corpore subtrahere conabatur, aut totum avertere. De hac efficacia vide Scaligerum, Poet. III, 26.

501. *Quis.* Non tam interrogantis hæc sunt, quam admirantis et dolentis : admiratur primo, cogitare quempiam potuisse tot adversa supplicia in viro tam forti; deinde quod *optasset*, ausus esset implere : deinde quod totum corpus suppliciis insectatus esset.

510. *Omnia solvisti.* Quia constituto tumulo manes vocavit. — *Et funeris umbris.* Sepulturæ meæ umbris. Nam funus illic esse non potuit, ubi nec cadaver quidem fuerat. *Serv.*

clare; non enim cadaveri inanis tumulus et honorarius aggerebatur, tantum umbris, simulacro, imagini. Pergit, et tam dira mala primum sibi et suis fatis attribuit; *sed me fata mea!* et cum emphasi *mea:* deinde Helenæ; *et scelus exitiale Lacænæ:* noluit dicere *Helenam*, sed cum emphasi *Lacænam*, quasi, crudelem, impuram, scelestam fœminam: sed quid tandem fata? *his mersere malis:* quid Helena? *illa hæc monumenta reliquit.*

513. Pergit narrare res Helenæ incipiens ab extrema nocte Trojæ: quæ ad equum pertinent, breviter perstringit; ut quæ Æneas sciret; reliqua fusius: ergo *nosti*, *ut egerimus* ludibundi *supremam* illam et calamitosam Trojæ *noctem*, *inter gaudia:* quis crederet in extremo vitæ nos gaudere? ideo addit *falsa:* et quidem *necesse est nimium meminisse:* cur? quia gravem fecimus jacturam fortunarum omnium, vitæ charissimæ, potentissimi imperii. Quid autem retinendum est memoria? quod sequitur; scilicet, *quum fatalis equus venit in Pergama, et gravis* prægnansque *alvo attulit armatum peditem.* Nota oppositionem istam: equus vehit pedites: præclare; nam etiamsi equo veherentur, non tamen equites. Repeto, ut conjungam omnia: nosti gaudia miserrimæ illius noctis, quum equus illatus in Trojam est, tunc *illa* (latet hic indignatio per emphasin) *simulans* fingensque *chorum*, *circumducebat Phrygias*, *evantes orgia*, id est, celebrantes orgia; *ipsa* interim *media* inter omnes, *tenebat flammam ingentem et vocabat Danaos ex arce summa:* intelligit specularem ignium significationem, qua usa est Helena ad vocandos Græcos simulatione sacrorum: quod factum in arce est, ubi erat equus; nam circum equum illa ducebat choros.

520. Pertinent hæc non solum ad excusationem sui, sed ad facti verisimilitudinem, quum ait se arctissimo somno oppressum, facilius Helena potuit Græcos in domum adducere: ver-

515. *Fatalis equus.* Seneca in Agamem. de Durateo: « Fatale munus Danaum. » De eodem Petronius, « uteri notavit fata: » et Æn. II, « fatalis machina. » Ausonius in epigram. venusto: « Carminis Iliaci libros consumpsit asellus; Hoc fatum Trojæ est, aut equos, aut asinos. » *Cerda.*

517. *Illa.* Propter odium, nomen non posuit; sic supra *Lacænæ* dixit. — *Evantes.* Evantes Phrygias; aliter non stat versus. *Evantes* autem Bacchantes a Libero qui *Evan* dicitur. *Chorum* autem ait multitudinem in sacra collectam. *Serv.* — Vide Excursum XI*, tom. III, pag. 235, *de Orgiis Bacchicis.*

521. *Infelix thalamus.* Vel quia in eo talem habui uxorem; vel quia

su illo, *Dulcis*, etc., attribuit somno tria: videlicet dulcedinem; profunditatem, similitudinem cum morte. Hic tu vide, ut sibi poeta respondeat; loquens de hac re in secundo Æn. dixit Trojanos fuisse *sepultos somno:* hic eo alludens, dicit somnum fuisse simuilem *morti*: eodem enim pertinent et sepultura, et mors.

523. Interim Helena *conjux egregia*, hoc εἰρωνικῶς, *amovet arma omnia*, et jam prius *subduxerat capiti ensem:* vocat hunc *fidum*, ut in quo spes ad propulsandam vim: ac postea *vocat Menelaum intra* mea *tecta*, et pandit limina. *Scilicet id magnum*, etc. quasi dicat; putavit Helena, nihil esse posse gratius pristino conjugi Menelao zelotypia laboranti, quam si me illi traderet; fore enim existimavit, ut hoc uno facto obrueret famam præteritorum criminum.

528. Superiora late narravit; jam quæ sequuntur brevissime: nam quid repetat carnificinam suam de manibus, naso, auribus? satis itaque habet, dicere, *quid moror?* etc., ac demum concludit narrationem comprecatione ista; *Dii talia*, etc. Est *Æolides* Ulysses; quod nomen illi datum pro contumelia et vituperio, inde signate, *Hortator scelerum Æolides.* Est *instaurate*, reddite.

531. Petit, ut vicissim Æneas referat casus, quos passus est: interrogatio vero triplex est: venis ne huc erroribus pelagi; Divum monitu; fortuna aliqua impulsus? nam quis, nisi his causis permotus, adeat *domos* istas *tristes*, quia *sine sole*, et *loca* hæc *turbida?* ubi nimirum turbata omnia, et merum chaos: illud *vivum* expende; nam videlicet rarum est, vivum hominem huc venire; ut, venire mortuos, frequentissimum.

535 Homeri et Virgilii interpretes, illi in XI Odyss., hi vero in hunc librum, admonent non semel, hæc sacra necromantica peragi necesse esse spatio viginti quatuor horarum. Sacrificium noctu inchoabatur; inde supra *nocturnas inchoat*

ibi tot suppliciis sum affectus. *D.*

524 *Capiti subduxerat ensem.* Veteres gladium vel suspensum habebant in cubiculo, ut de Catone testatur Appian. lib. II, de bell civili, p. 489: vel sub pulvino conditum servabant, quod de Holoferne notum. Vide Corn. N p. Alcib. 10.

531. *Age fare.* Quærit optime Deiphobus: sed poeta optimo consilio abscindit responsionem, ne dicta iterum dicenda sint. *Donat.* — *Vicissim.* Quia ipse narraverat.

535. *Hac vice sermonum.* Hæc sacra, ut diximus supra, præter unius diei spatium non tenebant: unde veretur Sibylla, ne inanibus fabulis datum, id est, statutum et legitimum tempus teratur. Quod autem dicit, « Aurora medium

aras: hoc sacrificio perfecto, incipiebatur statim iter: inde supra, *Ecce autem primi sub lumina Solis et ortus:* itaque sub ortum lucis viam inferorum ingressi sunt Æneas et Sibylla: mox secuta est descriptio inferni vestibuli, fluviorum Stygiorum, Charontis, et Cerberi; deinde perlustratio locorum in quibus visi infantes; damnati falso crimine; qui se interfecerunt; amantes fœminæ; viri militares. Hoc puncto temporis, Sibylla Æneam urget ad iter conficiendum, quod sentiat solem jam confecisse cæli medium cursum; et jam in noctem vergere; ac propterea, *nox ruit*, id est, approperat; quod eo facit animo, ut reliquus supersit dies narrationi Anchisæ, qui finis hujus libri. Est *datum tempus*, assignatum spatio viginti quatuor horarum, attributumque his sacris peragendis.

540. Pervenerant ad locum, ubi se iter scinderet; dextra quidem ad regiam Plutonis, et Elysios, ubi erant pii; sinistra, ad Tartara, ubi scelerati, et nocentes. Dixit *ambas*, ait Servius, non duas, qui sic tertiam posses sperare.

544. Multi hic multa, sed breviter explicationem nostram accipe: ait Deiphobus: ne in me sævi, magna vates; discedam a vobis, ut annos expleam meæ purgationis, ad quem numerum annorum explendum tenebris reddar. Deiphobus, ut credi potest, recesserat a tenebris, in quibus erat; Æneam euntem prosequens usque ad locum, ubi jam iter clarius erat ad Elysium: credi, inquam, hoc potest; nam de illo statim *torsit vestigia*, et de aliis supra; *juvat conferre gradum:* ergo, ait Deiphobus, redibo ad meas tenebras, ad locum mihi destinatum. Certe hos omnes, qui præcesserunt, fuisse in tenebris atque umbris satis præcedentia notum fecerunt: nam Palinurum Æneas *vix multa mæstum cognovit in umbra:* et de Didone quoque *agnovitque per umbram obscuram:* demum duces quoque videre Æneam, et ejus arma fulgentia *per umbras*.

axem trajecerat: » illud ostendit, quod secundum Tuscos diei ortus est a sexta diei hora: ortus enim diei habet Auroram. Donatus tamen dicit Auroram cum quadrigis positam, Solem significare. *Serv.* De tempore per quod Æneas lustrat inferos, vide Excursum XI**, tom. III, pag. 236.

538. *Sed comes.* Quæ illi propterea juncta fuit, ut omnibus instrueret ignorantem.—*Breviterque.* Quod congruit moram objurganti; ne longitudine sermonis tempus tereret, quum ipsa brevitatis admoneret. *Donat.*

545. *Explebo numerum.* Id est, ad tenebras revertens implebo numerum umbrarum: atque extenuatione usus, *numerum* vocat, ordinem quasi vilem et abjectum: quomodo Flaccus dixit, « Nos nume-

546. I, inquit, o Ænea, decus Trojani nominis; atque *utere fatis melioribus*, quam ego usus sum, quam Trojani omnes: hæc quum dixisset, ipso *in verbo torsit vestigia*. Modus loquendi, et subita sermonis abruptio indicat, etiamsi voluisset Deiphobus, non potuisse tamen plura loqui: quæ enim hactenus dixerat, concedente fato dixerat: simile illud supra ad Didonem, *extremum fato, quod te alloquor, hoc est.*

548. Latet hic concinnitas quædam, quam ego satis nequeo explicare; sed illa me commovet. Deiphobus subito *torsit vestigia:* Æneas *subito respicit:* fiunt omnia puncto temporis, ita fatalia sunt! neque ille potest plura loqui, neque hic abeuntem prosequi, adeo nec intueri, sed ab amico divulsus cogitur Tartari carnificinam spectare. Hoc habito, considera, immo obstupesce, qua ratione describat munimen Tartari, ubi sunt noxii; inprimis, *videt mœnia lata*, ad explicandum infinitum pæne nocentium numerum, qui capaci loco continentur: mœnia ista sunt *circumdata muro*, non uno, aut duplici, sed *triplici*. Quis inde exitus? Mœnia ista, *Phlegeton ambit, amnis Tartareus*, non aquis, sed *flammis torrentibus:* ideo *Phlegethon*, quia *flammis:* ideo *amnis*, quia *ambit*, amnis quippe ab ambiendo dictus: ideo *rapidus*, quia cum flammis *torrentibus;* inerat in hoc flumine incredibilis strepitus, non a flammis solum crepitantibus, sed quia secum *torquet* convolvitque *saxa sonantia*. Quæ ista species? ut strepunt aures, ut terretur animus tali flammarum, saxorum et carminum fragore! sed non hæc ad terrorem satis. Erat his mœnibus *porta; sed ea ingens;* et circa illam *columnæ* factæ ex *adamante*, adeo *solido*, *ut nulla vis virum, non ipsi cœlicolæ valeant ferro exscindere:* nam qui ferro exscinderent adamante firmiorem materiam? vulgaris poeta, nihil cogitans, diceret, columnas esse ex ferro; nec posse exscindi adamante, contra naturam rerum. Non sic in Marone, non sic! præcessit adamas, in quem nihil faciet fer-

rus sumus. » Quæ quidem sententia Nascimbænio aliisque simplicissima et verissima judicatur. At Servius etiam ille Dan. et Caper. et P. Lætus aliique exponunt; Minuam vestrum numerum; ut scil. e tribus vos duo tantum remaneatis. Ennius: « Navibus explebant sese, terrasque replebant. » Et notat P. Merula ibid. Glossarium Fornerii hoc indicare, dum *Explere* interpretetur, ἀποθάλλειν, ἐπιθέσθαι. Aliorum opiniones vide apud Serv. Sed et Macrobius I, 13, de Somn. Scip. subtiliter de his disputat: et hæc ipsa poetæ verba laudat: quæ Beroaldo et aliis quidem valde placent, aliis tamen non item. Videatur et Cælius XXII, 9, item Nascimb. *Taubm.*

rum; nam infirmius: quid præterea? *turris*, et hæc *ferrea*, *stat*, educta *ad auras*, ad custodiam portarum. Neque vero satis sunt hæc munimina; adest enim custos et satelles, *Tisiphone* dirissima Furiarum; *sedens* ad portam; et *succincta*, quo expeditior, *palla cruenta*, *servat vestibulum noctesque diesque*, semper pervigil, semper *insomnis*: et recte, quæ a cæde dicta Tisiphone, habet pallam concolorem cædibus, id est, cruentam. Nihil potuit amplius aut dici hac scriptione, aut excogitari!

557. Quid vero intra hanc urbem miserrimam? Exaudiebantur *gemitus* punitorum; sonabant *sæva* Furiarum *verbera*, quibus miseri dissecabantur: *tum*, id est, deinde, *stridor ferri*, *catenæ tractæ*: vide imaginem humani carceris. Sunt *catenæ*, in recto plurali; in his versibus sunt causa, et effectus. Exaudiebantur gemitus, quia ibi verbera; stridor ferri, quia tractæ catenæ.

559. Verbo *constitit* exprimitur habitus hominis tendentis ultra, sed re aliqua gravi tardati; inde *exterritus* est, postquam videlicet, *hausit strepitum*. Tria rogat; de specie et qualitate scelerum; de pœnis; de plangore.

562. Respondet Sibylla præoccupans per πρόληψιν, quasi dicat; o Ænea, si nemo castus accedere ad hoc limen potest, qui ego scire possum? sed Proserpina, quum me huic loco præfecit, ipsamet docuit pœnas Deorum, id est, quas Dii exigunt a sceleratis. *Insistere limen* est, sistere ad limen: illud *perque omnia duxit*, est tmesis, pro, perduxit omnia, videlicet, ad me: sic videtur necessario capiendus locus, non, duxit me per omnia: nam quum nemini pio illuc ingressus sit, illa se ait scire; docente omnia, perferenteque Proserpina.

566. Ab hac præfatione narrat jam, quæ scit, incipiens a Rhadamantho, qui *regio* nomine præest Tartari durissimo *regno*. Ille itaque, *castigat*, id est, increpitat atrociter nocentes, *auditque dolos*, illorum, si qui deferant: si vero desint de-

562. *Vates sic orsa*. In Romano codice *tunc vates hinc orsa*: sed magis placet *sic orsa*, ut in aliis habetur. — *Dux inclyte*. Magna poetæ copia: quoties enim Sibyllam loquentem inducit cum Ænea, toties principia cum ejus laude variavit.

563. *Nulli fas casto*. Pio: et hæc responsio ostendit Æneam quidem voluisse ingredi, sed quasi pium prohibitum. *Serv.* — *Castus* Latinis, qui Græcis ἁγνός: non solum τὰ ἀφροδίσια respiciunt, sed pium, mundum, purum, intemeratum significant; ut supra: Æn. III, 409; *casti maneant in relligione nepotes*.

566. *Rhadamanthus*. Rhadamanthus, Minos, et Æacus filii Jovis et Europæ fuerunt: qui postea facti sunt apud Inferos judices. *S.*

latores criminum, tunc ipse, *subigit*, cogit *fateri piacula, quæ quisque commissa apud superos* (homines) *distulit in seram mortem, lætatus furto inani*. Dicta hic omnia cum respectu ad Romana judicia, ubi prætor, ubi judex quæstionis, ubi quæstiones ipsæ ad extorquendam veritatem. Sed hic quæpiam necessario explicanda. Vocat *furtum*, crimen quodlibet clam factum, et corde tacito: absit enim, ut speciem intelligas: ait *inani*; nam inaniter celatum est, quidquid detegendum fuit apud Inferos. Quum ait, *distulit piacula in seram mortem*, non est sententia, dilatam pœnitentiam ad tempus instantis mortis, ut sæpe fit: sed, dilatam eo usque, donec differendo moriantur. Roges, nonne *piacula* sunt sacra quæ expiant crimina? Satisfacit tibi Turnebus, qui hic accipit, *commissa piacula*, pro facto illo, cujus causa adhibendum piaculum: ergo hic *piacula* sunt fraudes, noxæ, adulteria, crimina reliqua.

570. Post auditos dolos; post veritatem quæstionibus et tormentis crutam; traduntur miseri a Rhadamantho tortoribus infernorum, qui sunt Furiæ: ergo *continuo*, statim, *Tisiphone accincta*, quo expeditior sit, *quatit flagello*, miseros *sontes*, utpote, *ultrix* magnorum scelerum, et hanc carnificinam exercet insultabunda in miseros: neque vero satis, uti illam flagello, quod est in dextra; nam etiam *sinistra* manu intentat *torvos angues*. Quid præterea? quum videat se non parem tantæ carnificinæ, *vocat agmina sæva sororum*.

573. Hæc quum loqueretur Sibylla, portæ ipsæ Tartari patuerunt, et cum ingenti stridore; atque jam apertis foribus narrationem prosequitur. Sed quid illud? *Cernis custodia qualis vestibulo sedeat*. Divinant interpretes: placent præ aliis, qui capiunt Megæram, aut Alecto: nam Tisiphone clausis etiam portis visebatur in vestibulo; hæc autem custodia patefactis portis denuo apparet: alia ergo, a Tisiphone. Dices, cur necessario, aut Megæra, aut Alecto? nonne alia monstra in Tartaro? Si aliud hoc monstrum quam Alecto, aut Megæra, nominasset profecto poeta: quum nullum nominet, et aliunde constet Furias insidere limina et vestibulum Tartari, efficitur inde quod dixi. Sed pro his tamen rebus cum nemine pugnabo.

576. Pergit hunc in modum: *Hydra*, quæ *sævior* Furiis, *sedem habet*, in interiore parte: est hæc *immanis*, videlicet, *hiatibus quinquaginta*: noluit dicere *oribus*, sed *hiatibus*, ad

576. *Quinquaginta*. Hoc autem dicit, Cernis hanc, quam sæva sit? est intus alia. *S.* — *Quinquaginta atris*. De artificio hujus versus, in

majorem αὔξησιν; addidit etiam *atris*, ad explicandam profunditatem cujusque oris. Sequitur, *tum Tartarus ipse*, etc. Quibus exaggerat profunditatem Tartari, qui duplo sit major spatio illo, quod est a terra in cælum; vel, spatio illo, quod est a Tartaro ipso in cælum: utroque modo explicari hic locus potest. In hoc tractu tantum explicui poetam, non expendi, quia vere assequi nequeo, neque satis repræsentare terrores istos, formidinem, immanitatem, angues, flagella, Furiarum minas.

580. Incipit narrationem eorum, qui cruciantur in Tartaro; eamque ab Titanibus, qui bellum Superis intulerunt, sed domiti Jovis fulmine, contrusi sunt in Tartari partem imam: his adjungit Otum et Ephialtem filios vel Aloei, vel vere Neptuni, sed putatos Aloei: fuit istis corpus immane; facinus vero, voluisse expugnare cælum, et Jovem inde detrudere.

585. Reliquum sermonem consumit in Salmoneo, et ejus explicando facinore: dabat, inquit, pœnas, quod Jovis flammas imitaretur, et sonitus Olympi, id est, fulmen Jovis, cæli tonitrua.

587. Quæ presse dixit in superiori versu de fulmine et tonitruo, explicatius hic exhibet: vehebatur equis, ut fingeret tonitrua; gestabat lampada, ut fulmen: sed ubi terrarum hæc tanta Salmonei insania? Non in recondito aliquo loco, sed *per Graium populos*; et signate *per urbem mediæ Elidis*, id est, per mediam urbem Elidis; est enim sermo figuratus et poeticus: inde vero Jovis indignatio, inquit Servius, nam in ea civitate imitabatur Jovem, in qua hic specialius colebatur: addit, *Divumque sibi poscebat honorem*: proprie hoc; nam, notante in Terent. And. Donato, petimus precario; poscimus imperiose; postulamus jure.

590. Pergit; sed *demens* erat, ut qui *simularat nimbos*, id est, tonitrua, et *fulmen non imitabile*; fulmen *ære*, tonitrua *cursu*

quo voracitas feritasque Hydræ exprimitur, curiosissime disputat *Barthol. Maranta Venusin.* Nam *A* et *I* alternatim replicantur: horumque lector per vices aperire et claudere os cogitur, quæ mandentium imago est. Præterea ex repetito elemento Q crassum illum spiritum, quem verisimile sit ex tali monstro efflari, ostendi: illudque, *ginta atris*, propter concussum ejusdem literæ morari oris apertionem, quod majorem terrorem incutiat. Sed et syllabæ *hi* et *hy* aviditatem et hiatum repræsentant. Denique per repetitum *S*, serpentinum sibilum aptissime expressisse, etc. Videantur ibidem longe plura; et Plato in Euthydemo. *Taub.*

590. *Demens.* De dementia sine fortitudine, sed inani gloriæ adjuncta, qualis hic Salmoneus, qua-

equorum cornipedum. Roges, qui fulmen ære? scilicet æs candens fortasse et ignitum, et hoc artificio aliquo præfixum gestabat, ut fulmen videretur.

592. Quid vero Jupiter? non faculas tantum, ut Salmoneus, nec lumina tædis tantum fumea, ac sine viribus; sed ut *omnipotens* inter veros nimbos ac tonitrua *contorsit* verum *telum*, verum fulmen; atque ita *adegit* illum *præcipitem immani turbine*.

595. Pergit ad Tityum, qui etiam in Tartaro: describit hujus genus, magnitudinem corporis, cruciatum miserum, et in hoc sistit, mire amplificans: genus, nam vocat, *alumnum Terræ*, id est, filium: magnitudinem, nam illi *corpus porrigitur per tota novem jugera*: cruciatum, nam *vultur immanis*; vide qualis satelles! *tundens rostro obunco*, vide carnificinam; *jecur immortale*, *visceraque fœcunda pœnis*, vide miseriam, quæ est maxima, si tantum ad æternum cruciatum sit immortalis. Quæ sequitur αὔξησις, extra omnem est aleam, videlicet, *rimatur epulis*, ut cognoscas aviditatem alitis; et quia avidus, ideo *habitat sub alto pectore*, non contentus parte extima: in verbo etiam, *habitat*, cognosce æternas moras monstri excarnificantis: demum, *nulla est requies renatis fibris*. Sunt *fibræ*, eminentiæ jecoris, ait Servius. Certe hi sex versus quovis sunt digni pretio!

601. An hæc sententia? Quid memorem Lapithas, Thessaliæ populum, et Ixionem, et Pirithoum? An vero hæc? Quid memorem duos illos Lapithas fama notissimos, Ixionem, et Pirithoum? Hi enim duo Lapithæ fuerunt: immo Ixion Lapitharum Rex; et Pirithous, etiamsi Jovis filius, tamen et Ixionis creditus. In posteriorem explicationem doctos video inclinare. Sed quæ horum pœna? duplex: prima, *quos super atra silex*, etc., altera, *lucent genialibus*, etc.: extremam mire amplificat. Itaque lapis est ingens super illos pæne lapsurus, ut æterno metu crucientur: deinde, habent coram se mensas exstructissimas; sed Megæra *Furiarum maxima juxta illos accubat*, neque sinit *contingere manibus mensas;* nam *prohibet*, *exsurgit*, *intonat*. Hæc sententia; expende illam. Summæ voluptati horrorem summum opponit. Audis *fulcra*, et hæc, *aurea*, in *toris genialibus*, id est, voluptuosis, et hæc lucentia: deinde epulas, et has paratas, quo invitentur; et *ante ora*, quo irri-

lesque belluæ latebant sub corio Alexandri, Domitiani, Cambysæ, aliorum, videatur Scaliger Poet. III, 19. *Taubm.* — De hoc Salmoneo, vide Excursum XII, tom. III, pag. 238.

tentur : demum luxum plane regium ; magnifica hæc omnia, deliciosa, splendida! his quid opponit? Furiam non quamvis, sed maximam, accubantem juxta illos, prohibentem, attollentem faces, ore intonantem.

608. Recenset multiplex genus facinorosorum, qui puniuntur in Tartaro : ergo ait; *hic inclusi exspectant pœnam;* septem hominum genera; videlicet, qui habuerunt odium fraternum : qui parentes suos pulsarunt manu ; cave hic quicquam de morte intelligas : patroni, qui clientes suos per fraudem deceperunt, fueruntque in illos duri : qui, inventis opibus, commodo suo metiti sunt omnia, aliena neglexerunt, præsertim cognatorum, et affinium; hi quidem multi sunt; nam late patet avaritia : qui cæsi sunt, propter adulterium : qui civilia bella tractarunt, hæc enim sunt *arma impia :* demum servi, qui vereri dominos quum debeant, illorum fidem violarunt; hoc est, *dextras fallere ;* est enim dextra sacrata fidei.

614. A facinorosis transit ad illorum pœnas; harum quatuor constituit genera : ergo, *alii volvunt* ingentem lapidem, luctanturque semper cum hac mole : alii, *pendent* miserrime in *radiis rotarum districti*, distenti, soluti, ac divulsi a se : sedent alii, sedebuntque in *æternum*, e quorum numero est, *Theseus*, et hic *infelix*, ut qui se filii nece et parricidio contaminavit. Sunt qui in Tartaro inusitato pœnarum genere crucientur, ut videlicet cogantur alios commonefacere; in his est Phlegyas, qui, quod Deos ipse comtempsisset, alios, ne faciant, admonet.

608. *Quibus invisi fratres.* Hæc quidem constat dicta esse generaliter : possunt tamen et ad speciem trahi; ut Ægyptum et Danaum, Atreum et Thyesten, Eteoclem et Polynicem significare videatur. Bene autem dicendo *invisi*, per id, quod leve est, etiam majora complexus est. *Serv.*

609. *Pulsatusve parens.* Item quod levius est dixit, parricidii comparatione : possumus autem OEdipum accipere, Laii extinctorem. *Serv.* — *Pulsatusve parens.* Seneca Controv. IX, 4 : « Qui patrem pulsaverit, manus ei præcidatur. » Quid intersit *Pulsare* et *Verberare*, docet Chr. Colerus Parerg. c. 36. *Taubm.* — *Et fraus innexa clienti.* Ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est, « Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto. » Si enim *clientes* quasi colentes sunt, *Patroni* quasi patres; tantumdem est clientem, quantum filium fallere. *Serv.*

614. *Inclusi.* Fortasse cum allusione ad Romanum morem, quo vulgo servi in custodiis erant, et ergastulis tenebantur inclusi. — *Pœnam exspectant.* Quod gravius est : nam in exspectatione et præ-

621. Recurrit iterum ad nocentes, et subjicit tria alia horum genera : *hic*, inquit, *patriam auro vendidit*, atque illi *imposuit*, tanquam grave onus, *dominum*, tyrannum aliquem *potentem :* alius *pretio* quoque *leges fixit*, *refixitque*, id est, condidit ad libitum, abolevit ad libitum : demum alius vetitas, et nefandas nuptias aggressus est, invadens *thalamum natæ ;* versus ille, *Ausi omnes*, etc. sapit epiphonema.

625. Enumeratis nocentibus, et nocentium pœnis, brevi quodam epilogo ait, se non parem esse, vel ad sceleratos percurrendos, vel ad illorum pœnas, etiam si sibi sint centum ora, vox ferrea.

628. Hæc ubi locuta est Sibylla, statim ad Æneam, *carpe viam*, quippe stupens substiterat juxta Tartarum : *susceptum perfice munus;* interpretes in id abeunt, ut Æneas moneatur de reddendo ramo aureo : sed cur *acceleremus?* quia *Cyclopum educta* conspicio mœnia; id est, in altum ducta, et veluti exstantia Cyclopum opera, una cum caminis. Clarius : mœnia, caminosque conspicio, fabricata omnia, ductaque in altum Cyclopum opera. Quid præterea? *atque adverso fornice portas*, quibus aut fornicibus, aut portis, *jubent præcepta nos deponere dona*, id est, ramum aureum.

633. Post hæc, inde egressi, et ingressi per opacitatem viarum, *corripiunt* (innuit celeritatem) *medium spatium*, medium, inquam, inter Tartarum, atque Elysium : nam supra : *Dex-*

sens metus est et dolor futurus. In ipsa autem pœna, solus est dolor.

621. *Vendidit hic auro patriam.* Hæc licet generaliter in proditores patriæ dicantur, de Curione tamen fere omnes intelligunt; nam C. Jul. Cæsar viginti septem millibus sestertiis, e Gallia Romam missis, Curionem, et hujus opera plerosque e Nobilitate suos fecit, qui postea eumdem sibi, eversa libertate, dominum præfecerunt. Lucan. : « Gallorum captus spoliis et Cæsaris auro. » Item : « Emere omnes, hic (Curio) vendidit urbem. » *Taub.*

622. *Fixit leges pretio atque refixit.* Possumus Antonium accipere secundum Ciceronem in Philippicis. *Fixit* autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis affigebantur. *Serv.* — *Leges pretio refixit.* Omnia hæc scelera posuit Maro, ut viventes ad bonos mores metu pœnæ reduceret. *Donat.*

625. *Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox.* Lucretii versus sublatus de Homero : sed *Ærea vox* dixit. *Serv.* — Necessario generalitas injecta est, ne cuncta descripsisse videretur : quoniam fuit impossibile latitudinem tantam plene complecti : vel ne contemptui haberentur pœnæ propositæ ex quotidiana meditatione. Plus quam etiam metus injicitur, quum infinita formido est.

tera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit, etc.; *at læva malorum*, etc.; ac tandem *propinquant foribus* Regiæ Plutonicæ. *Occupat Æneas aditum*, Regiæ istius; atque ut purior sit ad offerendum donum, ad eundum in Elysium, *spargit* (nam leviter) *corpus aqua recenti*; viva et fluida; ac tandem *figit ramum adverso in limine.*

637. Posito jam ramo in foribus, ad Elysios veniunt : ait *perfecto munere*, quia supra, *susceptum perfice munus*: vocat Elysios, *locos lætos*, *vireta amœna*, *nemora fortunata*, *sedes beatas.*

640. Discriminat, quæ sint in his locis; videlicet *æther largior*, exuberantior, purior, nitidior, quam in nostro orbe, *vestit campos* illos, *lumine purpureo*. En prima voluptas: deinde beati *norunt solem suum*, *sua sidera*, alia a nostris, et diversa, atque utique puriora.

642. Qui incolunt has sedes beati, *pars* illorum *exercent membra in palæstris gramineis* : signat loca herbida : *contendunt ludo*, etc; neque generatim hanc vocem accipio, neque versum divido in duplicem sententiam, sed ita explico : contendunt ludo luctæ, ut illud, *pateris libamus, et auro*, pro aureis pateris : nam poeta omnino alludit ad vocem superiorem palæstræ : πάλη enim lucta est; quasi dicat; exercent membra in palæstris, proprio palæstritarum ludo, nimirum lucta.

644. Pars alia beatorum ducunt choreas pedum complosione, et *dicunt carmina*, interque omnes insignis est *vates Threicius*, id est, Orpheus, qui, *cum longa veste obloquitur septem vocum discrimina*, numerose admodum; ita est in pul-

636. *Spargit aqua.* Purgat se : nam inquinatus fuerat, vel aspectu Tartari, vel auditu scelerum atque pœnarum : et *spargit*, quasi se inferis purgat. *Serv.*

638. *Devenere locos lætos.* Ut metu pœnarum malos deterruit, ita bonos spe felicitatis ad virtutes hortatur. Primo ergo regionum bona prosequitur : deinde, quæ ex his locis capiantur commoda, et qui sint ii, qui hujuscemodi bonis perfruantur. *Donat.*

640. *Largior hic campos æther et lumine vestit Purpureo.* Non nostro largior, sed quam est in cætera Inferorum parte. *Serv.* — Hic ostendit nihil deesse ex iis, quæ sunt apud superos, adeo ut fortunati et beati appellari meruerint. *Don.* — *Lumine vestit.* Ita Lucret. lib. II : « Quam subito soleat Sol ortus tempore tali Convestire sua perfundens omnia luce. » Cicero in Phæn. « Quam cum perpetuo vestivit lumine Titan. »

645. *Nec non Threicius longa cum veste sacerdos.* Orpheus Calliopes Musæ et Œagri fluminis filius fuit, qui primus ex Ægypto arcana ceremoniarum transtulit, et orgia instituit: unde et Horatio, A. P. 391,

sando peritus, ut citharam faciat loqui. Puto enim hoc non referendum ad vocem Orphei, sed ad numeros et sonos citharæ, ut integra sententia sit; Orpheus pulsabat citharam, ad cujus numerum beati ducebant choreas, et dicebant modulabanturque carmina. Absolvit; *Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno*: canit intus, sibi soli, referens *digitos* ad sinistram manum: canit foris, audientibus aliis, referens pectinem ad dextram. *Turneb.* lib. XXVIII, cap. 46.

648. A descriptione Elysiorum transit ad eos, qui sunt in Elysiis, et lenocinans Æneæ, illius progenitores adducit: ergo erant hic *Ilus*, *Assaracus*, *Dardanus auctor Trojæ*. Sed cur isti tres inducti præ aliis? Dardanus quidem, quia Jovis filius, auctor Trojæ, caput totius generis; Ilus vero, atque Assaracus, quia hi duo fuerunt fratres, filii Trois, a quo gens una divisa est in duplicem familiam: nam Ilus genuit Laomedontem, hic Priamum: Assaracus Capyn, hic Anchisen: itaque complexus est genus Æneæ et Priami: commendantur autem Ilus, Assaracus, Dardanus, a rebus quinque: ab generis antiquitate, nam *genus antiquum Teucri*: a pulchritudine, *pulcherrima proles*: Græci quidem Heroas κάλλιστον γένος indigitant: a virtute militari, nam *magnanimi*: a cognatione cum Diis, nam *heroes*: sunt enim heroes, qui habent alterum e parentibus aut Deum, aut ex Deorum genere: demum a sæculo, in quo nati; nam *melioribus annis*, in quibus virtus, justitia, temperantia locum habebant.

651. Erat in Elysiis pax summa: hujus pacis notæ quinque; videlicet, *arma procul; currus inanes* bellatoribus. *hastæ defixæ terræ*, *soluti equi*, ac libere pascentes per campos: credebant veteres, eadem studia, curas, cupiditates, cogitationes, quæ vivis fuissent, in mortuis etiam perseverare: ergo qui vivi

vocatur « sacer interpresque deorum. » Longo autem syrmate, hoc est, veste fluxa et prolixa, humumque verrente, tum sacerdotes, tum tibicines fidicinesque usos esse, vel ex Horatio notum, ib. 215; « traxitque vagus per pulpita vestem. »

646. *Obloquitur numeris*. Dicendo *obloquitur*, chordarum expressit laudem, quas dicit verbis loquutas. *Obloqui* enim non est, nisi contra loquentem loqui. *Serv.* — *Numeris septem*. Nimirum ἀπὸ τῶν ἑπταχόρδων ἁρμονιῶν. Fulgentius hunc Maronis locum ad septem Musicæ genera refert, Phtongos, Diastemata, Systemata, Tonos, Rhythmos, Metabolas, Melopœias.

648. *Hic genus*. Videtur mihi hic versus factus cum oppositione ad illum, ubi nocentium catalogus, « Hic genus antiquum terræ, Titania pubes: » ut pari modulo incipiat catalogus felicium. *Cerda*.

fuerunt dediti curribus, armis, equis, eodem studio mortui tenebantur: dicit *currum*, pro, curruum; *equos nitentes*, id est, pingues.

656. Sequitur voluptas alia vescentium in loco herbido, atque in omnem partem, nam hoc est, *dextra lævaque:* erant etiam ibi *canentes lætum pæana*, idque *choro*, atque *inter nemus lauri odoratum*. Signantur poetæ, qui olim lauro coronati: sed ubi hoc nemus? ibi videlicet, *unde amnis Eridani plurimus*, id est, magnus abundansque, *superne volvitur per sylvam;* innuit præcipitium amnis ex parte superiore in Elysios: est enim *superne* quasi e sublimi et edito loco. Vide vero ut omnia sint Apollinis, pæan, laurus, Eridanus: nam ob Phaethontem in hoc amne submersum, putabatur ipse esse sacer Apollini.

660. Sequitur catalogus illorum, qui sunt in Elysiis, quos opponit his, qui puniuntur in Tartaro. Nihil frustra hic vates; ut supra, post numeratos aliquos, videlicet Salmoneum, Tityum, etc, adhibitus est catalogus indistinctus, in illis; *His quibus invisi fratres*, etc.: ita hic post Ilum, Assaracum, Dardanum, adhibetur quoque indistinctus ordo, cum oppositione mira ad illum locum. Sunt enim hic viri præclari; est *manus*, exercitus illorum, *qui ob patriam pugnando vulnera passi;* ibi, *quique arma secuti impia*, id est, in patriam. Hic, *quique sacerdotes casti;* ibi, *quique ob adulterium cæsi*. Hic, *pii vates, et Phœbo digna locuti*, quod referendum est ad veritatem; ibi est illorum numerus, a quibus *fraus innexa clienti*. Hic sunt viri proficui in mortalium genus, ii scilicet, *qui inventas vitam exco-*

653. *Quæ gratia currûm.* Detraxit unum *u* licentia, qua Latinitas Græcos secuta genitivo plurali syllabam aut addit, aut detrahit. Hoc loco detraxit: sicut « Arma virum. » Contra addidit, « Alituum pecudumque genus, » pro *alitum*, sicut Græci μουσάων ἑλικωνιάδων. *Serv.*

661. *Sacerdotes casti, dum vita manebat.* Quasi quis castus posset esse post mortem: sed aliud dicit; id est, qui fuerunt casti, dum in communione vitæ versarentur: nam hi qui sacra maxima accipiebant, renuntiabant omnibus rebus: nec ulla in his nisi numinum cura remanebat. Herbis etiam quibusdam emasculabantur: unde jam coire nec poterant. Dicit ergo eos sacerdotes, qui casti fuerunt etiam ante sacra suscepta. *Serv.* — Heynius, vol. III, p. 178, not. 660, de sacerdotibus qui sacra caste et pure curarunt, dum viverent, interpretatus hunc versum, addit, *ita nihil est quod reprehendas:* quæ verba non unum lectorem offenderunt; et quid sibi voluerint, jure ac merito rogavit Cl. Amb. Renou, non minus sagax poetici sensus interpres, quam literarum et religionis strenuus propugnator.

luere per artes; ibi, qui artes invenere in despectum Deorum, atque in ludibrium; ut Salmoneus, qui fulmina, qui tonitrua. Hic, qui de universis mortalibus, *bene merendo, fecerunt alios memores sui;* ibi qui *divitiis soli incubuere repertis.* Possem plura examinare; sed omitto, ne videar superstitiosus scrutator. Sed quod præmium horum, qui patriæ utiles acceptis vulneris; qui casti; qui veri; qui artium opifices; qui bene meriti de aliis? ait; *Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta:* nam color candidus divinitatis insigne est : hi ergo, qui beati, hoc colore honestantur : præsertim quum multi illorum utiles fuerint humano generi; veteres autem divinitatem his dabant, quod putarent Deorum esse proprium bene facere.

666. Ut beati Æneam ac Sibyllam viderunt, circa illos funduntur. Sibylla omnes affatur, in primis Musæum, qui medius inter plurimos, qui exstantior eminentiorque cæteris toto capite et humeris; dicant ubi sit Anchises, quando illius videndi caussa difficillimum iter susceperint. In vocibus *felices*, *optime*, captatio est benevolentiæ.

672. Musæus statim ita paucis: *nulli certa*, et propria est *domus*; communis omnibus est voluptas, nam *habitamus opacis lucis, incolimus toros riparum* (per toros capio στιβάδας; sunt enim tori proprie herbæ intortæ, unde lecti dicti sunt tori) *incolimus prata recentia rivis*, semper vernantia rivorum causa. Pergit Musæus; sed videre Anchisen si vultis, *superate hoc jugum, sistam vos facili tramite:* innuit aliam esse viam per planum, sed per jugum illud esse itineris compendium. Quum hæc dixisset, *tulit gressum ante* illos ut viæ dux, ac *desuper*, a jugo montis *ostentat campos nitentes* herbidosque, ac fertiles, et pinguedine exuberantes; *linquunt* deinde *summa* jugi illius *cacumina*, quo recta pergant ad Anchisen.

664. *Quique sui memores alios fecere merendo.* Vide ut locum istum tractet, explicet, expendat S. Augustin. Virgilium admiratus lib. XXI, de Civit. cap. ultim. ubi versum istum comparat cum doctrina Evangelica? *Cerda.*

669. *Felices.* Utpote quæ post depositam vitam, talia loca ac delicias sint assecutæ. *Donat.* — *Tuque, optime vates.* Quia theologus fuit. Et sciendum hoc loco Sibyllam jam a numine derelictam : unde eî interrogat, quod alias non faceret. *Serv.*

673. *Nulli certa domus.* Id est, habitatio, quam animæ tamdiu certam habent, quamdiu in corporibus sunt : post quorum solutionem vagantur pro vitæ merito in circulis. *S.* — Totum hunc locum laudat Scal. Poet. V, 16. Hic autem innuitur, animam a corpore secretam nullius loci spatio includi.

676. Fit præcipua mentio de Anchise, ut ad quem invisendum, susceptum est iter difficile: erat vero ille in interiore parte amœnissimi loci: ut autem is, qui futurus *pater* tantæ posteritatis, recolebat lustrabatque ingenti *studio*, suorum *animas* ibi *inclusas* venturasque aliquando ad limen superum, ad vitam terrestrem; *recensebatque forte numerum omnem suorum, nepotes caros, fata, fortunas, mores, manus;* per *fata* potes capere variam multiplicemque rationem, aut vitæ, aut mortis, quam habituri posteri Anchisæ: per *fortunas*, opes, gloriam, triumphos: per *mores*, aut quos habuit Romanus populus, aut quos quisque, aut jura data universo terrarum orbi: per *manus*, res gestas, imperii magnitudinem, quæ comparatur virtute. Hæc nisi placeant, tu finge explicationem aliam: nota diligenter, reliquis animabus datas alias voluptates; uni Anchisæ, ut qui parens Romani populi, lustrationem magnorum nepotum.

684. Ut Anchises natum vidit venientem e regione; nam hoc est, *tendere adversum*, primum *tetendit alacris utrasque pal-*

676. *Jugum*. Ita enim dividuntur montes, in radices, latera, juga, vertices, pro locorum qualitate. *S.*

679. *At pater Anchises, etc.* Hic liceat conferre Homerum cum Marone, ut verius qualis sit imitatio latina judicetur. Æneas descendit vivus ad inferos, ut Homereus Ulysses: hoc unum commune; reliqua vero longe dissimilia. Ulysses descendit ut Tiresiam adeat; Æneas ut Anchisen patrem. Quid tanto apparatu et molimine Homerus quærit? cur sacra mortuorum fiunt? cur Ulysses venit? tantum ut cognoscat quæpiam de Neptuno propter excæcatum Polyphemum irato; de bobus solis, quos non debet interficere; de procis, quos domi inventurus; de itinere, quod suscipiendum superest; de sacro, quod faciendum; de morte, quam obiturus: hæc enim est summa omnium quæ respondet Tiresias. Virgilius autem quid voluit? quid a patre discit Æneas? rerum omnium principia; cæli; terrarum; maris; siderum; animarum; quatuor affectus, quibus istæ subditæ; æternum numen, quod mundi magno corpori infusum totam molem gubernat; purgationem peccatorum post mortem; impiorum supplicia; præmia piorum; ad hæc Romani imperii, quo nullum majus, originem; Romanæ urbis, qua nulla major, conditorem; ejusdem imperii et urbis restauratorem Augustum, qui unus e posteris ipsius Æneæ; demum varios et clarissimos duces, qui nunc immortalitati monumentis nunquam perituris consecrati sunt.... quid boves solis et verba Tiresiæ? qua proprietate huic vati sceptrum datur? ubi sunt tot et tanti Maronis affectus? multa alia omitto, quæ lector eruditus inveniet.

685. *Alacris.* Ipse alacris: et sciendum antiquos et *alacris* et *alacer*, et *acris* et *acer*, tam de masculino quam de fœminino genere

mas; quasi natum complexurus; quasi Diis acturus pro viso filio gratias: deinde præ gaudio et affectu paternæ pietatis *effusæ* sunt *lacrymæ genis:* tertio, *vox ore excidit:* usus est apto verbo ad signandam lætitiam non se continentem, sed gestientem in verba erumpere.

687. Oratio hæc admodum est pathetica, in qua senex ex præterito desiderio, et præsentia nati erumpit in varios affectus: non multo ante tempore Anchises obierat; et quasi anni multi elapsi, *venisti tandem:* deinde laudat filium a pietate, qua non est passus frustrari patrem exspectantem; quod ne faceret *vicit iter durum:* tertio, quasi vix credat, quod videt; *Datur ora tueri, Nate, tua, et notas audire, et reddere voces?* Placet enim, ut hic notam interrogationis adjungas, nam major affectus. Pergit adnectens sequentia superioribus: dixerat, exspectavi te diu; ergo *sic equidem ducebam animo*, etc: dixerat interrogans, et vix credens; *datur ora tueri*, etc.: ergo, *Quas ego te terras*, etc., etiam interrogans, et vix credens. Sic ego explico hunc locum: aliis sua erit sententia. Demum absolvit, *quam metui*, etc; notans modeste filii consuetudinem cum Didone, oblivionemque regni Italici, quod illi fata decreverant.

695. Pari affectu filius respondet patri: dixerat pater: *tua pietas vicit iter durum:* respondet filius; ita est; nam *tua, o genitor, tua imago*, mihi *tristis sæpe occurrens, adegit me tendere* ad *hæc limina*, nulla res alia: dixerat pater: *Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent;* respondet filius: pone hanc curam; non expuli animo Italiam; non me Carthago, non Dido

dixisse. Nunc masculino ntrumque damns: de fœminino *alacer* et *acer* nunquam dicimus; licet Ennins dixerit; « Æstatem Autumnus, post acer hiems sit: nam inde est alacer. » *Serv.*

690. *Rebarque futurum*. Arbitrabar, ratiocinabar esse ventnrum; per quod intelligimus fataliter Æneam ad Inferos descendisse: non enim nisi fatalia deprehenduntur. *Serv.*

691. *Nec me mea cura fefellit.* Nec decepit me dulcissimus filius: nam vocativus est, *mea cura*, id est, tu; et dictum est sicut, « Veneris justissima cura. » *Serv.* — Servio non possnm assentiri; planius est et verius sic interpretari: « Sperabam te venturum ad me; numerabam tempora; et hæc spes dilata mihi *curam* injecerat; nam tua pericula, tuas jactationes per maria noveram: tandem hæc *mea cura* evanuit; te accepi; te teneo. »

694. *Libyæ tibi regna nocerent.* Aut quia de Junone ait Venus: « Haud tanto cessabit cardine rerum. » Aut, quod est melius, illud dicit: timui ne dum apud regna Carthaginis voluptatibus vacabas, imperium fatale derelinqueres. *S.*

avertit; sum jam in aditu Italiæ; nam *classes stant in Tyrrheno sale*, id est, mari. Tetenderat pater *alacris utrasque palmas*: quid filius? *da jungere dextram, da genitor; neque subtrahe te* ab *nostro amplexu*. Demum patri *effusæ genis lacrymæ*; filius *rigabat ora largo fletu*: non erumpit in gemitus; non ciet singultus; nulla hic ejulatio : nam fletus in amore lenissimus est, et pacatissimus.

700. Non contentus verbis, non lacrymis, ruit in paternos amplexus : sed frustratur ab amplexu; nam nullum ibi Anchisæ corpus, tantum umbra, simulacrum, imago : ergo *conatus ibi circumdare ter brachia*, paterno *collo; ter imago frustra comprensa effugit manus* filii; eaque *par ventis levibus, et simillima somno volucri*: nam quis ventos amplectatur, quis formam apparentem in somnis?

703. Optime excogitavit poeta : visa enim re nova, et admirabili, imponitur modus blandissimis affectibus inter patrem et filium : alius poeta se inde expedire nesciret. Itaque *interea Æneas videt in reducta valle nemus* quoddam *seclusum* ab aliis, *et virgulta sonantia sylvis*, videt nemus seclusum virgultorum sonantium inter illas sylvas : videt *amnem Lethæum*, *qui prænatat domos* (habitacula) Elysiorum *placidas*, utique *amœna vireta*.

706. Quid præterea? *circum* amnem *hunc volabant gentes innumeræ*, *populique* : illustrat concursum istum animarum, comparatione apum, quæ *in pratis* (notat locum) atque in *serena æstate* (notatur tempus) *funduntur* (notat frequentiam) *circum lilia candida;* hoc κατ' ἐξοχὴν, posset enim flores alios adhibere : ac tunc *omnis campus strepit* illarum *murmure*, et susurro.

710. Quid tum Æneas? *horrescit* ad subitum spectaculum, *requirit causas*, ut qui *inscius*: sed signate quærit, *quæ sint ea flumina*, quæ apparent ante oculos; nam hoc est, *porro:* qui sint illi *viri*, *qui complerint ripas tanto agmine?*

713. Respondet Anchises Æneæ : quæsiverat enim hic; *quive viri;* ille respondet; sunt *animæ*, *quibus fato debentur altera corpora:* quæsiverat, *quæ sint ea flumina;* respondet, esse Lethæum : quæsiverat *causas* illius concursus; respondet, acce-

713. *Animæ, quibus altera fato Corpora debentur.* Sciendum, non omnes animas ad corpora reverti : aliquæ enim propter vitæ merita non redeunt; aliquæ redeunt propter malam vitam; aliquæ propter fati necessitatem. *Serv.* — De hoc loco vide notas, t. III, p. 144, sqq.

dunt, *ut potent securos latices, et longa oblivia*. Observa totidem versibus datum responsum quæsito.

716. Occasione hujus rei gestit Anchises adducere nato in memoriam, immo *ostendere* ante ipsos oculos futuram posteritatem Romanorum, quos Anchises, jure optimo, vocat suos; redditque causam, cur hoc faciat, nempe, quo Æneas lætetur magis reperta Italia.

719. Admiratur Æneas, fieri posse, animas illas evasuras ex illis tenebris in hanc vitam; reversurasque ad corpus; ostenditque per exclamationem, ineptam esse harum animarum cupiditatem, et vere esse miseras, quæ hanc ament lucem, et tarditatem corporum, quum de illis dictum jam sit, *volabant:* neque vero vacat *iterum reverti*, quia sæpius redeunt.

722. Admiranti Æneæ pater satisfacit, neque vult ut ille suspensus diu persistat, et singula aperit, servato ordine; nam incipit a primæva rerum constitutione.

724. Versus isti difficiles sunt; eruditionem in multis invenies, explicatum poetam in paucis : ergo dicturus vates de prima origine rerum omnium, ita illam digerit, ut quatuor elementa constituat, ex quibus summus opifex Deus universa produxerit. *Terras*, clare audis; aquam, quum ait, *campos liquentes;* per *cœlum* intelligit ignem, atque aerem : meminit quoque Lunæ, et Solis, qui duo planetæ potentissimi in omni rerum generatione : fingit vero Deum, quem hic spiritum, et mentem nominat, tanquam plasten, et summum architectum, omnia ex elementis velut ex materia educentem, agitantem hanc molem, ut qui intus sit, ut qui infusus veluti anima per mundi artus, sic enim vocat elementa, et cum magno hoc universarum rerum corpore admistus.

728. Operante Deo, *inde*, ex elementis, existunt homines, pecudes, volucres, pisces: postremum exornat vocans *monstra*,

719. *O pater.* Nova brevitas : nam dicendo *pater*, qui loquatur, ostenditur. — *Ad cœlum hinc ire putandum est.* Miscet philosophiæ figmenta poetica : et ostendit tam quod est vulgare, quam quod continet veritas et ratio naturalis : nam secundum poetas hoc dicit : credendum est, animas ab Inferis reverti posse ad corpora? ut *cœlum* superos intelligamus, id est, nostram vitam. Secundum philosophos vero hoc dicit : credendum est, animas corporis contagione pollutas, ad cælum reverti? *Serv.* — Est hic *cœlum* mortalis vita; ut mortales, ipsi *superi*, respectu inferorum : ita supra, « superasque evadere ad auras. »

720. *Sublimes animas.* An, illustres et nobiles? ut plerique : an hæc est sententia? Fierine potest.

propter species diversissimas, et vere monstrosas, quæ sunt sub aquis.

730. Quamvis dixerit universa animantia exsistere ex elementis, jam ita narrationem disponit, ut de hominibus tantum loquatur; aitque, animas hominum esse naturæ igneæ, et originis cælestis: nocere tamen illis corpora: est enim anima natura sua agilis, perspicax, vivida: contra hæc tria poeta apte infert, *tardant*, *hebetant*, *moribunda membra*. Integra sententia est: ita semina animarum excellentissima sunt, si ignem et aerem consideres, ut ex igne sint igneæ, ex aere cælestes: illis tamen ex terra et aqua adjuncta sunt corpora, quæ ut noxia et ægra illas tardant, artus ut terreni illas hebetant, et membra prorsus morti sunt obnoxia, quum illæ tamen in æternum durent.

733. Ex terrestri natura corporum contrahunt animi quatuor illos affectus notissimos, metum, spem, dolorem, voluptatem: metus, et spes, sive cupiditas, nascuntur ex opinione aut mali, aut boni absentis: dolor, et voluptas, sive gaudium, ex opinione aut mali, aut boni præsentis. Poeta subjicit, *nec auras respiciunt*, id est, animæ quum hærent suo corpori, ex hujus contagione contrahunt hanc noxam, ut pœne obliviscantur subtilissimæ suæ naturæ. Hic enim naturam animæ appellat *auras*, consentientibus fere interpretibus: cur autem non respiciunt naturam suam? quia *inclusæ tenebris, et carcere cæco*, id est, inclusæ in corporibus, tanquam in tenebris et carcere.

ut animæ, quæ nunc sunt in Inferno, iterum supernæ et sublimes reddantur? *Cerda*. — *Ad tarda reverti Corpora*. Animæ comparatione, qua velocius nihil est: uno enim momento potest universa discurrere. *Serv*.

725. *Lucentemque globum lunæ*. Ideo usus est participio, ut ostendat eam suum lumen non habere. Nam *lucens*, est, quod aliunde illuminatur; *lucibile*, quod per se lucet, ut patulum et patens: *Patulum* est quod semper patet; *Patens*, quod et aperitur et clauditur, ut oculus. *Globum* autem ideo, quia dicitur luna σφαιροειδὴς esse. — *Titaniaque astra*. Aut stellas dicit: aut Solem, quem unum fuisse de Titanibus diximus. *Serv*.

726. *Spiritus*. Divinus scilicet; et unum est, sive mentem dicat, sive animum, sive spiritum. — *Intus alit*. Vegetat, et in æternitatem custodit; quia mistus est, et nulla pars est elementi sine Deo. — *Per artus*. Per elementa; quæ membra sunt mundi. Corporalia namque sunt, quæ possunt videri. *Serv*. — Legendus est Excursus XIII, vol. III, pag. 239, *de animarum originibus et fatis*, ubi mens tota Virgilii plane explicatur.

734. *Clausæ tenebris, et carcere*

735. Addit Anchises, labes contractas animæ in vita ex contagione corporis, elui purgarique post mortem; perinde ac si diceret: non idcirco animæ puræ remanent, quod corpus exuerint; est enim necesse ut multa illis concreta fuerint, atque inolita ex diuturna corporis conjunctione.

739. Inde sequitur, ut post solutionem a corpore exerceantur pœnis, et luant supplicia, ac purgentur. Constituit vero triplex genus purgationis, vento, aqua, igni: innuit certa quædam genera suppliciorum, quibus animæ aut suspenduntur ad ventos, quos hic *inanes* vocat; aut immerguntur in aquarum gurgitibus profundissimis; aut igni exuruntur.

743. Ait, omnes suam quemque pœnam subire, ut ita purgati ad Elysium mittantur: sed addit, paucos pervenire ad læta arva, quia videlicet non pervenient ad arva hæc, nisi, prius exacto mille annorum curriculo, exempta fuerit labes concreta, id est, quam anima contraxit ex consuetudine corporis. Illud, *purumque reliquit Ætherium sensum, atque aurai simplicis ignem*, est: Dies longa emaculavit purificavitque animam, quæ tota constat ex cælesti igne, et particulis simplicissimis aeris. Per *longam diem* intelligit annos mille.

748. Sententia est. Mercurius has animas ad Lethen amnem evocat magno agmine, ubi rotam volvere per mille annos, id est, ubi spatium volubilitatemque mille annorum expleverunt: est hoc, quod dixerat, *perfecto temporis orbe*. Sequitur, *Scilicet immemores*, etc. hic jam Anchises Æneæ satisfacit, quem longa narratione detinuit. Rogaverat filius, cur animæ ad Lethæum amnem accederent concursu magno: pater ab initio exorsus, in eo tandem sistit, in quo nunc est. Ut autem adolescentes sententiam poetæ melius percipiant, placitum

cæco. Definitiones snnt corporis: alludit forsan ad illud Platonis, *σῶμα ἡμῖν σῆμα*. *Germ.*

743. *Quisque suos patimur Manes*. Supplicia, quæ sunt apud Manes: ut si quis dicat, judicium patimur, et significet ea, quæ in judicio continentur. *Serv.* — Porro poetæ verba pro adagio esse possint, ad explicandum, omnes mortales, sno quemqne incommodo, esse obnoxios. Observa imitationem Ausonii: « tormentaqne sæva gehennæ Anticipat, patiturque suos mens conscia manes. » *Cerda.* — Vide notas Heynii, supra vol. III, pag. 185, et sqq. — *Amplum.* Ut ostendat non illis paucis paratam esse latitndinem banc, sed plnribus, modo ita vivant, ut illuc venire mereantnr: sed qnia pauci mereantur, pauci diffusam latitudinem merentur. — *Pauci læta arva tenemus*. Non omnes: qui enim minns purgantur, statim redeunt ad corpora. *Serv.*

hic integrum locum subtexere, ab ea parte, *Interea videt Æneas in valle reducta Seclusum nemus*, etc., hoc verborum complexu. Æneas interim vallem cernit; in ea nemus, ibique Lethen amnem, quem circum animæ plures volabant, instar apum. Horret ille; causas requirit; quæ animæ? quid velint? Cui Anchises ex Pythagoræ doctrina: hæ sunt illæ animæ, quibus ex fato debentur corpora altera; ut autem rerum omnium obliviscantur, quas gesserunt in prioribus corporibus, Lethen potant oblivionis fluvium: jamque animus mihi æstuat recensere tibi longam seriem nepotum meorum, qui iterum visuri sunt auras vitales. Stupuit hic Æneas, et, o pater, ait, credibilene, has animas iterumredituras ad corpus? Credibile est, o nate; audi ab initio: scias ante omne rerum exordium, esse Numen, quod universa moderatur ac regit, quodque ex elementis ipsis cuncta creat; in his homines, quorum animas conjungit ex igne et aere, corpora ex terra et aqua fabricatur: inde est, ut animis vigor sit cælestis, et corporibus tarditas quædam: inde etiam animæ ex hoc consortio terreni corporis subditæ sunt quatuor affectibus, videlicet timori, cupiditati, dolori, gaudio, quamdiu in eo latent, tanquam in carcere. Quin etiam, quum separantur a corpore, non idcirco sordes exuunt, quas contraxerunt ex diuturna illius conjunctione: inde est, ut pœnis exerceantur purgenturque aere, aqua, igni: neque aliquis tam pius fuit, quamdiu vixit, qui non suos manes tortoresque patiatur, ut purgetur; nam aliter aditus ad Elysium patere non potest. Purgati igitur ad Elysium pauci mittimur et ad læta arva: in his arvis sunt pii per mille annos; quo cursu temporis animæ tandem restituuntur suæ puritati, et cælesti igni, unde prius sumptæ fuerant. Restat solum, ut obliviscantur rerum omnium, quas gesserunt passæque sunt, quamdiu fuerunt in corporibus: huic rei medetur Lethe, amnis oblivionis: hunc avide potant animæ, quo potato jam iterum incipiunt velle redire in altera corpora. Ignoscant nobis, qui non egebant hac diligentia.

752. Captata tandem, post longum sermonem occasione, Anchises ad recensendam suorum posterorum seriem se accin-

752. *Dixerat Anchises.* Antedicta de reversione animarum probatio huc tetendit, ut celebret Romanos, et præcipue Augustum: namque qui bene considerant, invenient omnem Romanam historiam ab Æneæ adventu, usque ad sua tempora summatim celebrasse Virgilium. Quod ideo latet, quia confusus est ordo: nam eversio Ilii, et

git, natum Sibyllamque trahit ad mediam turbam; mutat locum; capit tumulum. Existimemus autem fuisse hunc tumulum juxta fluvium Lethen, nam ita poterat *legere adversos, et discere vultus venientum*: ibant quippe ad bibendam Lethen; ita dictum hic *legere*, ut supra *perlegerent oculis*.

756. Locus attentionis; nam, et magna proponit, et conjuncta cum eo, apud quem agit, id est, conjuncta cum Ænea: magna, in illis, *quæ gloria sequatur Dardaniam prolem*, et, *illustres animas*: conjuncta, in illis, *nostrumque in nomen ituras*, et, *te tua fata docebo*. Advertit præclare Nascimbænus mirum personarum decorum: nam quum poeta velit extollere Romanorum genus, præsertim Augusti, tribuit narrationem Anchisæ, qui senex, qui parens Cæsarum, qui Trojanorum nobilissimus. Facit auditores Æneam, et Sibyllam: illo nemo excellentior, ista nemo sacratior: quid si adjungas locum Elysiorum, ubi fit narratio? quo loco nullus in humanis major.

760. Seriem hanc optime incipit a Sylvio Albaniæ Rege, Æneæ filio ex Lavinia, a quo series Regum Albanorum manavit post Ascanium. Ergo describit Sylvium, nitentem *pura hasta*, id est, sceptro; tenentem *proxima lucis loca*, quia nimirum jam imminebat vitæ, et accessurus erat ad potandam Lethen; commistum *Italo sanguine*, quia Laviniæ filius; dicitur *proles postuma* Æneæ, quia postremo, et post omnes filios natus: illud, *Albanum nomen*, est, vir, aut homo Albanus.

Æneæ errores, adventus, bellumque manifesta sunt: Albanos reges, Romanos etiam consules, Brutos, Catonem, Cæsarem, Augustum, et multa ad historiam Romanam pertinentia hic indicat locus. Cætera quæ hic intermissa sunt, in *ἀποδοσία* commemorat: unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non *Æneidem*, sed *gesta populi Romani*: quod ideo mutatum est, quia nomen non a parte, sed a toto debet dari. *Serv.* — *De hac prædictione futurarum rerum* et de poetis Epicis qui sunt imitati, vide Excursum XIV, tom. III, pag 244 et sqq.

763. *Silvius Albanum nomen.* Quia omnes Albani reges ab eo dicti sunt *Silvii*: sicut hodieque Romani Imperatores *Cæsares* vel *Augusti* vocantur: Ægyptii olim *Ptolemæi*: Persarum *Arsacidæ*: Latinorum *Murrani*: ut Æneid. XII 1 « Murranum hic atavos, » etc. At in hoc Silvio variant auctores. Livius quidem Ascanii filium fuisse scribit; at Dionysius Æneæ: in silva tamen natum omnes prædicant. *Taub.* — *Tua postuma proles.* Sunt litterati, qui *postuma* sine aspirationis nota scribant, hic τηλυγέτην significari volentes, deducentes *postumum* a *post*, ut *postremus*, et *extimus* et *extumus* ab *extra*, et *intimus* et *intumus* ab *intra*. Quorum sententiæ illud mire blanditur, quod jurisconsulti non solum

764. Reddit rationem dictorum supra: cur postumus, id est, postremus? quia serus omnium filiorum natus Æneæ jam longævo: cur dictus Sylvius? quia natus nutritusque in silvis: cur cum sceptro? quia non solum Rex, sed parens Regum Albanorum: cur commistus Italo sanguine? quia illum Lavinia educet: cur Albanus? quia ab illo genus nostrum longa dominabitur Alba.

767. Reges alios Albanos infert, non omnes, neque eo ordine, quo fuerunt: nam Procas non post Sylvium: ergo *proximus* non tempore, sed loco. Erant ibi etiam, *et Capys, et Numitor:* meminit Capyos Regis Albani, credo, consilio hoc, quod Capys Assaraci filius, pater fuerit ipsius, atque Æneæ avus. Itaque Anchises refricat in hoc gratam patris sui memoriam: meminit Numitoris, quia hic pater Rheæ Sylviæ matris Romuli. Progreditur, et *qui te nomine reddet Sylvius Æneas:* fuit hic filius Sylvii illius, qui natus est sylvis, si Livio, et aliis credimus: hunc cum Ænea tribus comparat, *nomine, pietate, armis:* ait de hoc extremo, *si unquam regnandam acceperit Albam*, quia hic Albam accepit a tutore, qui imperium invaserat, ac vix tandem anno quinquagesimo tertio restituit. Absolvit memoriam Procæ, Capyos, Numitoris, Æneæ Sylvii, versu pleno majestatis hoc, *Qui juvenes, quantas ostentent, aspice, vires.*

772. Connumerat civitates aliquas, quas dicit ædificandas a posteris Æneæ: nullum nominans conditorem, quia hujus rei incerta est et obscura fama: ait, hos conditores gerere *tempora umbrata civili quercu*, intelligens coronam civicam; tum ex materia, nam ex quercu: tum, quia, qui ædificant urbes, videntur quodammodo cives servare; servant certe ab hostium incursibus. De urbibus, quas hic attingit, dictum est, vol. III, pag. 193 et seqq.

777. Post aliquot Albanos reges; Romulum Romamque infert magna verborum exornatione: *avo*, id est, Numitori: *Mavortius*, quia filius Martis Romulus: *addet*, quia restituens Romulus regnum avo Numitori, cum ipso aliquando regna-

eum postumum vocant, qui mortuo patre natus est, sed et qui post testamentum patris. *Germ.*

767. *Proximus ille Procas.* Standi ordine, non nascendi: nam sextus est rex Albanorum: item Numitor tertiusdecimus fuit. *Serv.* — *Proximus.* Teste Livio, *Procas* est tertiusdecimus, ab Ascanio: ut *Capys* sextus; vel, ut alii, septimus: *Numitor* vero XIV, vel XV, Albanorum rex. *Taub.*

vit. Dicitur Ilia esse *sanguinis Assaraci*, in gratiam Æneæ, quia ab Assaraco scissa est familia Æneæ a familia Priami: dantur Romulo in *vertice* galeæ *cristæ geminæ*, cum allusione ad rem militarem: verbo *stent* notat habitum cristarum, quæ surrectæ. Illud, *et Pater ipse suo Superum jam signat honore*, commodius refertur ad Jovem, quam ad Martem, hac sententia: Juppiter pater Superum signat jam Romulum honore suo, id est, cælestem jam facit, jam hinc destinat in numerum immortalium.

781. A Romulo pergit ad Romam, quæ *inclyta;* quæ condita *auspiciis* Romuli; quæ totum terrarum orbem imperio suo complexura, hoc enim est, *imperium æquabit terris;* quæ habitura imperatores, viros, cives magni animi, et ideo, *animos æquabit Olympo;* quæ *una* quum sit, *circumducit* muro unico *arces septem;* quæ denique *felix prole* magnorum *virorum:* ut vero summam laudum ponat, comparat illam cum Cybele Deorum matre, quæ et *turrita*, et in *curru invehitur per urbes Phrygias*, ubi hæc Dea præcipue culta: quæ *læta partu* magnorum *Deorum:* quæ *complexa centum nepotes*, plurimos intelligit, hos vero *omnes cælicolas*, *omnes tenentes supera alta*, id est, cælorum domicilia.

788. Excellenti judicio, post Romulum infert Augustum, quasi alterum conditorem urbis. Legendum autem; *huc geminas, huc:* non; *huc geminas nunc;* est enim affectus major: quum ait, *Romanosque tuos*, blanditur Æneæ: τὸ *Cæsar*, signat Julium Cæsarem; ita multi: sed ego Augustum capio; nam

778. *Assaraci*. Trojani: nam Trois filius *Assaracus* pater est Capyos, *Capys* Anchisæ, *Anchises* Æneæ. *Ilia* igitur orta ex sanguine Trojano. Vide Æn. I, 274.

780. *Viden'*. *Den* naturaliter longa est: brevem tamen eam posuit, secutus Ennium; et adeo ejus est immutata natura, ut jam ubique brevis inveniatur. *Serv.* — *Viden'*. Corripit hanc syllabam etiam Stat. Theb. X: « Ipsa dedi, viden' ut jugulis consumserit ensem. » Horatius producit Sat. I, 1: « Illuc, unde abii, redeo: nemon' ut avarus. »

782. *Illa*. Quam tibi sæpe fata promiserunt. — *Inclyta*. Græcum est: nam κλυτὸν *gloriosum* dicunt.

785. *Prole virum*. Virorum fortium. — *Qualis Berecyntia mater*. Phrygia: nam Berecyntus, castellum est Phrygiæ juxta Sangarium fluvium, ubi mater Deum colitur: per hanc autem comparationem nihil aliud ostendit, nisi Romanos duces inter Deos esse referendos. *Serv.*

789. *Huc geminas*. Asper et Fabricius vetustum hoc laudant: « Huc geminas huc flecte acies: » ut repetitione excitetur attentio. *T.*

de Julio mentio alibi in hoc libro; in illis *magnum cœli ventura sub axem*, an innuitur Cæsarum apotheosis? an simpliciter capiendum, pro vivent tandem, emergentque in lucem?

791. Jam hic digito Augustum signat: dicit autem, *hic vir, hic est*, ut supra, *huc geminas*, *huc:* vocat autem Augustum, *Divum genus*, non solum propter patrem Julium, qui Divus: sed propter ipsum Æneam, aliosque ex progenitoribus Augusti, qui assecuti sunt divinos honores; atque adeo, propter ipsum Jovem, qui pater Dardani, a quo Trojani. Prædicat vero duo de Augusto; primum, *condet rursus aurea sæcula in Latio*, idque, *per arva* illa, *quondam regnata Saturno*, id est, in arvis a Saturno regnatis: hæc commoda est explicatio; sed alii aliter explicant: alterum, quod prædicat, est, *super et Garamantas et Indos Proferet imperium:* pulchra hæc sunt. Garamantes in Africa sunt; Indi in Asia: innuitur ergo, imperium Augusti maximum fore, ut qui non contentus Europa, ubi est Latium, Africam etiam omnem, et omnem Asiam additurus esset imperio suo; et quidem omnem Africam, et omnem Asiam designari, liquet; nam extremos Africæ Garamantas, et extremos Asiæ Indos assumpsit, juxta opinionem mortalium tum temporis.

795. Sequitur mira exornatio ad res Augusti, qui prolaturus esset imperium *extra cœli sidera:* quid intelligat, se ipse statim explicat, addens, *extra anni Solisque vias;* viæ Solis κέλευθοι ἠλίου sunt a Cancro ad Capricornum: signat itaque poeta partem Africæ, ubi est mons Atlas, quæ pars terrarum est extra signiferum, et ideo esse extra Solis vias dicitur, ac perinde extra sidera, nimirum Zodiaci: aliter poeta nequit intelligi: nulla enim tellus extra sidera universa est.

798. Probat magnitudinem Imperii Augusti, ex responsis Deorum, anticipans poetice tempus præsagiorum; ideo *jam nunc:* ergo, *jam nunc* Asia, Europa, Africa, *horrent responsis Divum*, id est, incipiunt jam timere admoniti oraculis, quum intelligant tempus fore, in quo servitutem ab Augusto patiantur. Asiam signat per *regna Caspia*, Europam per *tellurem Mæoticam*, Africam per *Nilum*. Vides ut sibi poeta mire consonet: sicut enim supra meminit Europæ in Latio, Africæ in

797. *Anni Solisque. Annum* pro nocte, *Solem* pro luce posuit: vult ergo aliquid ulterius etiam esse poeta, quod Sol nesciat, et mundus excludat: ergo melius Cæsar, qui ad tantum spatium imperium proferet, quam Saturnus, qui in sola regnavit Italia. *Donat.*

Garamantibus, Asiæ in Indis; ita nunc flexu alio ad easdem partes recurrit: sed adhuc quidpiam nota: tres orbis partes supra a tribus provinciis duxit perpetuo filo, et nunc ab aquis perpetuo etiam filo: nam Caspia regna dicta sunt cum relatione ad Caspium mare; Europa, ad Mæotidem paludem; Africa, ad Nilum. Vulgaris poeta a se degeneraret, et unam orbis partem per fluvium aliquem signaret, alteram per montem nulla constantia: in his minimis apparet qualis esse debeat poeta. His non solum vatem explicui, sed amputavi plures difficultates objectas a nonnullis contra illum de his locis, turbide, ut videbantur, et nullo ordine illatis a Virgilio. Vocat porro Nilum *septem geminum* a septem ostiis; *turbant* est, turbant se, explicatore Budæo.

801. Comparat Augustum, ejusque gesta cum gestis Herculis, et Bacchi; nec solum comparat, sed victoriam dat, quum plures orbis partes Romano imperio subjugaverit, quam illi peragraverint. (Vide notas, vol. III, pag. 198 et sqq.)

804. Per *pampineas habenas* intelligit thyrsum Bacchi: quid sit *Nysæ de vertice* subobscurum est: possis capere montem, unde egressus sit Bacchus, nam Nysa mons est Baccho sacer; vel etiam templum Nysæ urbis, nam Nysa quoque urbs fuit eidem Deo sacra: templa autem olim in urbium verticibus ædificari solita alibi dicimus.

806. Exhortatio stimulorum plena ad acuendam Æneæ virtutem. Sententia est: dubitamusne Trojani, se enim admiscet, ut liberius agat, quum sciamus Augustum a nobis originem ducturum, virtutem et gloriam factis extendere? aut aliquis metus erit, qui nos prohibeat pedem in Italiam ponere, etiamsi gerendum sit bellum cum fortissimis viris? omnia pericula ducenda sunt nihili, spe tanti nepotis!

808. Redit ab Augusto ad seriem Regum Romanorum, utique ad Numam, qui post Romulum. Fingit Anchises, se illum non nosse, quia videlicet Numa, non Romanus, sed Sabinus: ideo autem *ramis insignis olivæ*, quia sub Numa summa pax floruit: ideo *sacra ferens*, quia hic rex totus fuit in constituenda religione.

802. *Nec vero Alcides.* Nunc comparat illum Herculi, deinde Libero patri, qui ambo plurima loca superarunt: laudat ergo alios, ut potiorem Cæsarem faciat. — *Tantum telluris obivit.* Ideo a Græcis Hercules πολύπλαγκτος, et ab Horatio Od. III, 3, *vagus.* Sic de Baccho Catullus, LXIII, 390; *Sæpe vagus Liber Parn. vertice summo*, etc.

809. Sed noscit tandem illum a crinibus, et mentis, quæ albida: quum ait, *primus qui legibus urbem fundabit*, attingit (notat hoc Servius) Numæ etymon, qui dictus ἀπὸ τῶν νόμων, *a legibus*. Est hic egressus a *Curibus* civitate Sabinorum, et quidem a *paupere* illa *terra missus* est in regnum Romanum, quod ad αὔξησιν *imperium magnum* vocat.

812. Numæ *subibit*, succedet, *Tullus*, qui Romanos longa Numæ pace armorum oblitos, ac pæne desides, iterum in arma concitabit, movebitque *agmina desueta jam triumphis* partis a Romulo.

815. Regnat post Tullum Ancus Martius, Numæ ex filia nepos, Tullo quidem tum propter hanc generis nobilitatem *jactantior;* tum quia adeptus est regnum populari favore, et aura, qua *jam nunc gaudet:* vides enim illum elatum supra cæteros.

817. Post Ancum regnat Priscus Tarquinius; post hunc Servius Tullius; ac demum Tarquinius Superbus. Virgilius, omisso Tullio, Tarquiniorum tantum meminit, ut qui rem poetice tractet, non historice: et fortasse hic S. Tullium prætermittit, quia ejus casum, et Tulliæ filiæ facinus attingit, in fabrica scuti Æneæ, Æn. VIII: pergit ad Brutum, qui primus iniit consulatum: vocat illum *ultorem*, quia ultus Lucretiam; ejus *animam superbam*, id est, gloriosam, ac præstantem. Quia vero *hic primus accipiet imperium consulis* exactis regibus, ideo duplex Consulum adducit insigne, *fasces*, et *secures:* illos vocat *receptos*, quia accepti a regibus, et translati ad Consules: illas *sævas*, propter filiorum necem, quam statim attingit, quum ait, *gnatosque pater*, etc. Conjurarunt nobiles adolescentes de regibus iterum admittendis; interque illos liberi ipsius Bruti Consulis; de quibus pater pœnas publicas sump-

809. *Quis procul ille autem.* Nunc redit ad Romanos reges, qui septem fuerunt: Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus. Mira autem utitur phantasia; ut quasi ostendat se non agnoscere eum, qui de gente Romana non fuerat. Multa dat signa, ut cognoscatur in multitudine: magna autem laus, ut per modicas vires ad magnum tendat imperium.

818. *Vis et Tarquinios reges, animamque superbam.* Unus enim de Tarquiniis fuit superbus: ita Servius, qui non vidit poetam ademisse Tarquinio, quod Bruto daret: quasi *anima superba* verius conveniret Tarquiniorum vastatori Bruto, quam ipsis. *Cerda.*

820. *Sævasque secures, infelix.* Quamvis ob commodum publicum te laudent, tamen infelix eris propter natos cæsos. *Donat.*

821. *Pulchra pro libertate.* In-

sit. Cur vero *infelix:* quia in eam calamitatem pater venit, ut filios necare cogeretur: et est veluti epiphonema commovens miserationem. Sequitur, *utcumque ferent*, etc. Sententia est: utcumque posteri judicent de hoc facto Bruti, vincet tamen semper ratio duplex, videlicet amor patriæ, et laudis comparandæ aviditas: perinde ac si dicat; utcumque judicent; semper tamen in defensionem Bruti inclinabunt posteri; illiusque factum defendent duplici illa ratione: itaque non crudelis habebitur, sed amator patriæ, et gloriæ solius avidus.

824. Longum sermonem in Bruto consumpsit, ut qui caput Consulum; et duobus versibus haurit Decios, Drusos, Torquatum, Camillum. Dicam hic de illis. Decii se pro salute patriæ devoverunt, pater bello Latino; filius Gallico: uterque dictus est Publius: patris facinus narrat Livius lib. 8: filii lib. 10; et Plutarchus in Parall. comparans utrumque cum Codro. Pergo ad Drusos. Intelligit poeta consensione interpretum duos Drusos, et illum, qui Asdrubalem vicit; et alterum Augusti privignum, qui Germanos bello domuit. Sequitur Torquatus, quem *sævum securi* appellat, quod filium suum T. Manlium cædi securi jusserit *atroci imperio*, ait Livius lib. 8. quod extra imperium paternum provocatus, singulari certamine pugnaverit: nec profuit misero vicisse, et spoliis patris ovantem rediisse ad patrem. Restat Camillus: Galli duce Brenno in Italiam irrumpunt; Romanos vincunt ad fluvium Alliam, inde Romam infesti petunt, et Romani in hostium potestatem, excepto Capitolio, perveniunt: sed Romani se pretio redimunt. Furius Camillus, qui absens Dictator creatus fuerat, forte intervenit, priusquam merces persolveretur, nondum auro per altercationem appenso: jubet aurum auferri, summoveri Gallos; renituntur hi, negat ille ratam pactionem, injussu suo factam. Eo demum res devenit, ut cum illis acie confligat, fundatque, ac recuperet omnia, quæ prius Galli abstulerant, cum triumpho etiam revertatur, referatque secum omnia decora, signa, monumenta, quæ fuerant in potestate hostium. Et hoc est, *referentem signa Camillum:* quod Eutropius dixit, lib. I, *militaria signa revocaret.*

826. Loquitur de Cæsare et Pompeio; quos nefas fuisset præterire in hac narratione. *Paribus armis*, id est, Romanis: ait horum animas *concordes* esse ante vitam, et *dum nocte pre-*

genti arte loquitur consideratione personarum: factum enim laudat dicens, *pulchra pro libertate:* personam vituperat. *Serv.*

muntur. Quem in locum Servius: *bene allusit; nam concordiam in humilitate tenuerunt, cum nobilitate vero in bella venerunt.* Sequitur, *Heu quantum inter se bellum!* pulchre; nam nullum deploratius, infestius, calamitosius: illo enim Respublica libertatem amisit, in imperium transiit: ideo amplificans addit, *quantas acies, stragemque ciebunt!*

830. Habuit Pompeius uxorem Juliam, filiam Julii Cæsaris: itaque Julius socer fuit, Pompeius gener: descendit contra Italiam Julius ab Alpibus, quas hic vocat aggeres, nam Alpibus Italia munitur, tanquam aggeribus; per eam partem, qua Alpes vicinæ sunt Monœco portui Liguriæ: Pompeius vero Orientalibus valuit opibus.

832. Sequitur admonitio Anchisæ, qua conatur retrahere ab armis Julium et Pompeium: vocat illos *pueros* ex decoro senis Anchisæ, et est præterea vox blanditiarum: monet vero, ut abstineant a civili bello, neque convertant vires patriæ in propria viscera: est enim nihil aliud civile bellum, quam si vires ipsæ corporis perdant viscera, et vitalia: nam his sublatis, perire quoque vires necesse est.

834. Affectus Anchisæ elucet præsertim erga Cæsarem, ut in suum, atque ex suo semine posterum; ideo, *sanguis meus:* addit, *genus qui ducis Olympo;* propter Venerem: itaque jam tum Julium, heroem vocat, ut qui ex mortali Anchisa, ex immortali Venere ducturus esset originem: voluit enim hac re indicare, Julium illustriorem fore Pompeio.

836. Alios duces affert nullo servato ordine, qui rebus Romanis dignitatem essent allaturi: duobus primis versibus L. Mummium intelligit, qui Consul Achæos vicit, unde et Achaicus est appellatus, et Corinthum delevit, ac triumphavit; ideo *victor aget currum ad alta Capitolia;* nam triumphantes ibant ad Jovem Capitolium.

838. Diversum jam indicat a Mummio, et Paulum Æmilium intelligit: per *Æacidem* autem Persen Regem Macedoniæ, ab genere Achillis; quem Persen vicit Paulus, et insuper regnum omne Græcorum subvertit; ideo *eruet Argos; Mycenas Agamemnonis; ipsum Æaciden:* id vero faciet *ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ:* quod interpretes referunt ad facinus Ajacis Oilei, qui in templo Palladis Cassandræ stuprum intulit. (Vide notas Heynii, tom. III, pag. 204.)

835. *Tuque prior, tu parce.* Cæsari dicit, quem clementem circa Pompeianos legimus; cui vult tunc hoc esse mandatum. *Serv.*

841. Jam confertim multos adducit, videlicet Catonem Majorem dictum Censorium; Cornelium Cossum; duos fratres Caium et Tiberium, Gracchos; duos Scipiones Africanos, Majorem et Minorem; hos appellat *belli fulmina*, *Libyæ cladem*. Pergit ad Fabricium et Serranum, quorum elogia adducit; illum vocat *parvo potentem*, quia quum summa esset frugalitate, tamen insignis admodum fuit rebus gestis: istum honestat a sulcis, qui fuit Serranus C. Attilius, de quo Plinius lib. XVIII, cap. 3, *serentem invenere dati honores Serranum, unde cognomen*.

845. Dolet se fessum jam, et post longam narrationem venire ad Fabios, quum hi integrum requirant; et in quibus cunctandum sit: ex tota vero Fabiorum gente, oculos conjicit in Q. Fabium Maximum, qui unus sua cunctatione, unde et Cunctator dictus, rem perditam Romanis restituit. Modulus ipse carminis rem apprime, et cunctationem signat.

847. Pulchre ex tot ducibus dilabitur ad militarem virtutem Romani populi prædicandam, quasi is omnes artes contemnat præ arte imperandi, atque in illis vinci se patiatur, non in hac: ergo; tanta arte ab nonnullis cudendum est æs; tanta peritia ducendum marmor; ut et æra spirare mollitie quadam, et vultus in marmore vivere videantur.

849. Dat hic aliis gentibus principatum in agendis causis; in Mathematicis doctrinis; nam has intelligit, illis *cœlique*

841. *Ultus avos Trojæ*. Vehementer reficit animum filii, interitum Græciæ et ultionem Trojæ promittens. *Donat.*

842. *Magne Cato*. Censorium dicit, qui scripsit historias; multa etiam bella confecit: nam Uticensem, præsente Augusto, contra quem pater ejus et dimicavit, et Anticatones scripsit, laudare non poterat. In eum exstat distichon: « Porcius hic mordax, glaucis subrufus ocellis, Interiens Erebo sedes non comperit ullas. »

848. *Excudent*. Alii cudendo efficient; et est rhetoricus locus. — *Spirantia*. Animata. Horatius, « Et molles imitabitur ære capillos. » *S.* — Dictum hoc propter Corinthios facile credat, qui legat Strabonem lib. VIII, et Plinium XXXIV, 8, ubi loquens de nobilitate operum ex ære, principe loco affert Corinthios, quod firmat exemplis magnorum principum. *Cerda.*

849. *Vivos vultus*. Hoc est quod dixit *spirantia*: et per *æs*, Corinthios indicat: per *marmor*, Parios: per *actionem causarum*, Athenienses: per *Astronomiam*, Ægyptios et Chaldæos. *Serv.*

850. *Orabunt caussas melius*. Nihil detrahendum literatæ Græciæ: habuit tamen Roma in eloquentia viros, quos Græciæ opponere potuit. Verbis utar quæ de Æsopo

meatus Describent radio: in Astrologia, ideo *et surgentia sidera dicent*.

851. Arrogat Romanis artem imperandi, pacificandi universa; parcendi subjectis; superbos debellandi; quod procul dubio fecit suo adulans Augusto, qui claruit his artibus; non quod re vera gentes aliæ in aliis artibus superarent Romanos.

854. Servat ad libri exitum Claudium Marcellum, ut cum altero Marcello conjungat, quo absolvit Catalogum virorum fortium: ergo de Claudio *ingreditur*, militari verbo, et *insignis spoliis opimis*, quæ detraxit Viridomaro Gallorum duci, quem vicit singulari certamine, et magno elogio; *Victorque viros supereminet omnes*.

857. Quum multa præclara sint Claudii Marcelli, illud inprimis, rem gessisse contra Annibalem equitatu, quo videbat hostem valere, quum prius Romani peditatu, ut plurimum, uterentur: ideo *eques sistet rem Romanam*, id est, fulciet firmabitque pæne labens imperium: nec solum *sistet*, sed cum ingenti Pœnorum occisione, ideo *sternet Pœnos*: adjicit *Gallumque rebellem*; nam Gallos vicit, victoriam insignem adeptus: et tertius Romanorum *arma capta*, detracta hostium duci, id

dixit Phædr. II, 10: Occupavit Demosthenes, ne primus foret Cicero, qui tamen studuit, ne solus esset Demosthenes eloquentiæ princeps. Sed non assentior Cerdæ asserenti Romanos Græcis eloquentia præstare, et Ciceronem Demostheni: suspicor autem in animum Virgilii scribentis rediisse tunc fœde proscripti Ciceronis memoriam, et cruentum illius caput in suis rostris expositum!

855. *Atque hæc mirantibus addit*. Transitus quidam, ne una et continua narratio tædiosa sit: hinc enim generibus varietas nascitur, et quasi nova initia aliarum narrationum fiunt. *Donat*. — *Mirantibus*. Æneæ et Sibyllæ.

856. *Spoliis Marcellus opimis*. Hic Gallos et Pœnos equestri certamine superavit. Viridomarum etiam Gallorum ducem manu propria interemit, et opima retulit spolia, quæ dux detraxerat duci; sicut Cossus Larti Tolumnio. — *Supereminet omnes*; virtutis genere. *Serv*.

858. *Rem Romanam*. Statum reipublicæ labantem confirmabit eques, id est, victor prælio equestri. — *Tumultu*. Docte, ut omnia, nam hic sermo est de Gallis; et *tumultus* proprie est, aut domesticus, id est, Italicus; aut Gallicus. Verba Festi ita legit Scaliger: « Tumultum dici, ait Verrius, quia is non aliter, quam ab Italicis et Gallicis hostibus immineat Italiæ: itaque non alium quam Gallicum, aut domesticum timebant. » Quam lectionem ibi defendit Scaliger. Servius in hunc locum: « ideo tumultu, quia res in Italia adversus Gallos geritur. » Sed quid his opus, ubi est Tullius? cujus hæc sunt, Philipp. VIII: « Majores nostri tu-

est, opima spolia, adjunget et suspendet in templo, ubi Romulus, *pater Quirinus* olim suspenderat *arma*, opima spolia, quæ *primus ceperat*, Acrone Ceninensium Rege occiso: itaque Marcellus, in honorem Romuli, et eum auctorem secutus, illi monumenta sui triumphi *appendit*. (Vide notas vol. III, pag. 208.)

860. Post Claudium Marcellum, vidit forte Æneas Marcellum alium, Octaviæ, sororis Augusti, filium, qui etiam dictus Claudius Marcellus; erat hic juvenis egregia forma, armis apprime splendentibus: sed cui frons parum læta; parum læti oculi in dejecto vultu. Miratur Æneas hinc fulgorem juvenis; inde mœstitiam; rogatque patrem, quis ille est juvenis, qui comitetur virum euntem, id est, Claudium Marcellum? Est ne ejus filius? an magnus aliquis nostrorum nepotum? ita vero hoc rogat Æneas, quasi jam illectus forma juvenis, exoptet illum fore nepotem suum, non filium Claudii. Pergit Æneas: quis circa illum strepitus et multitudo comitum? *quantum instar in ipso est?* id est: quam magna est, o pater, dignitas hujus juvenis? quæ similitudo! sed cur ita tristis in tanto splendore et comitatu? cur *atra nox* circumvolat? numquid illæ *tristes umbræ* mortem præsentem ominantur? Recte vero poeta Marcellum istum innectit, superiori faciens comitem; nam Marcelli omnes ab illo Claudio originem se ducere gloriabantur: sed præsertim quæsitum est hic lenocinium Augusti; qui quantum Marcellum hunc dilexerit, satis notum.

multum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. » *C.*

862. *Egregium forma juvenem, et fulgentibus armis.* Tria sunt secundum Carminium; pulchritudo, ætas, virtus: significat autem Marcellum filium Octaviæ, sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptavit. Hic decimo sexto anno incidit in valetudinem; et periit decimo octavo in Baiano quum ædilitatem gereret. Hujus mortem vehementer civitas doluit: nam et affabilis fuit, et Augusti filius: ad funeris hujus honorem Augustus sexcentos lectos intrare civitatem jussit: hoc enim apud majores gloriosum fuerat: etiam dabatur pro qualitate fortunæ: nam Sylla sex millia habuit. Igitur cum ingenti pompa relatus, et in campo Martio est sepultus. Ergo modo in Augusti adulationem, quasi epitaphion ei dicit: et constat, hunc librum tanta pronuntiatione Augusto et Octaviæ esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium; nisi Virgilius finem esse dixisset, qui pro hoc ære gravi donatus est, id est, massis: nam sic et Livius *argentum grave* dicit, id est, massas. *Serv.*

867. Marcelli funus ex decoro præcedunt lacrymæ Anchisæ. Quid me, nate, pertrahis ad tuorum nepotum luctus narrandos? *hunc*, quem vides juvenem, *fata tantum ostendent terris, neque esse sinent ultra*: dicit hoc, quia parum vixit Marcellus. Sequitur, *nimium vobis*, etc. est sententia plena indignationis! o Superi, invidistis Romanæ potentiæ, Marcello ablato: timebatis enim eo vivo, dona, quæ tam multa in imperium congessistis, fore *propria*, id est, perpetua, æterna; unde fieret, ut Romana gloria esset major vestra et illustrior. Sic fere interpretes, et cum illis Nann. lib. IV, Miscell. Tu hic poetam cautissimum considera, qui invidiam quum innuat, tamen non nominat, ne offendat Deos, cum quibus loquitur: debuisset enim dicere; invidi fuistis Dii; abstinet; et tantum, itane visa vobis potens Roma?

872. Describit pompam funeream Marcelli cum magnis affectibus. Fuit Marcellus crematus sepultusque in campo Martio; inde, *quantos virorum gemitus aget campus*: agnosce metonymiam. Pergit pari affectu; *vel quæ Tiberine*, etc. quibus nihil dici potuit magnificentius ad hoc funus deplorandum, quod ornatum curatumque fuit sexcentis lectis, unde *funera*.

875. Nemo tantam de se mortalibus spem injiciet, de nemine ita gloriabitur Roma: præclare *spe;* nam in adolescentibus potissimum spes, non res laudatur: *quondam* hic est futuri temporis. Laudat Marcellum a triplici virtute; pietate, fide, fortitudine, quæ essent in illo maximæ, si perveniret ad virilem ætatem: addit notam doloris *heu!* Est *fides prisca* non ævi illius, in quo victurus esset Marcellus; sed prisci et

869. *O nate, etc.* Incipiunt hinc versus illi, quos vocant aureos. Vide notam Budæi lib. III, de Asse pag. 341, de pecunia persoluta Virgilio ab Octavia propter hos versus. Excurrit enim summa supra aureos quinque mille. De versu etiam sequenti, « ostendent terris, » etc. Vide Spartianum in vita Ælii Veri non longe ab initio. Ista et similia citasse sit satis; notas integras compingere, otiosum. *Cerda.*

870. *Ostendent terris hunc tantum fata.* Metaphora ducta ab arboribus et re rustica; ideo postea signate *propago* pari consecutione. Cicero in Catone: « adolescentia significat ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, aut percipiendis accommodata sunt. » Dicuntur enim arbores ostendere, quum spes est in illis futuræ ubertatis. Hic versus in proverbium abiit. — *Neque.* In pluribus antiquis codicibus *nec* monosyllabum est. Sed enim *neque ultra*, ea vocalium collisione nescio quid miserabilius ostendit, versu etiam ejulatum quodammodo emittente. *Pier.*

antiqui : quum vero laudaverit illum a triplici virtute, sistit in extrema fortitudine, quum ait, *non illi quisquam*, etc. Est vero sententia : nemo se illi armato obvius daret *impune*, id est, citra noxam; modo res gereretur pedestri certamine; modo equestri : dicit, fore ista, si perveniret Marcellus ad ætatem integram. Hic ego admiror, qua carminum jactantia hoc dixerit poeta : nam quid aut plenius, aut magnificentius versu isto? *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos :* ubi agnoscis furentem equum, audacem sessorem.

882. Erumpit tandem in nomen pueri, satis post tot lacrymas, post tot virtutes exspectatum lectori. Præcedit nomen exclamatio ista : *Heu miserande puer!* doloris et affectus plena, quod videat Marcellum prius interiturum, quam possit tantarum virtutum specimen edere. *Si qua*, est, si qua via, aut ratione. Sequitur post nomen, *manibus date lilia*, etc., ex more, quo veteres sepulcra ornabant floribus sertisque. Quæ quum omnibus ex usu darentur, nullis tamen magis proprie, quam pueris : quo admonemur momentanei vigoris et brevitatis vitæ. Est *nepotis*, posteri mei, sed vox illa quæsita ad dolorem : magis enim excitatur dolor; si audias nepotem interiisse, quam si posterum : in voce *inani munere*, allusit ad genus

879. *Heu pietas, heu prisca fides.* Elogium Marcelli hujus hoc habet Velleius lib. II : « Sane, ut aiunt, ingenuarum virtutum, lætusque animi, et ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax. » Seneca ad Marciam cap. 2, hoc : « Adolescentem animo alacrem, ingenio potentem; sed et frugalitatis continentiæque in illis aut annis, aut opibus non mediocriter admirandum, patientem laboris, voluptatibus alienum; quantumcunque imponere illi avunculus, et, ut ita dicam, inædificare voluisset laturum. » *Cerda.*

882. *Foderet calcaribus armos.* Species pro genere. *Equi armos* pro equo posuit : non enim possunt *armi* calcaribus fodi. *Serv.* — Armus in quadrupedibus idem, quod in hominibus humerus.

883. *Fata aspera rumpas.* Posse aliqua ratione fata disrumpi, per transitum docet. — *Tu Marcellus eris.* Talis, qualis fuit Marcellus. *S.*

884. *Manibus date lilia.* Affectum dolentis expressit dicendo, *date:* quum non præsto hic adessent qui darent. *Manibus plenis*, plena officia significat. Manes herbarum et florum amœnitate gavisos fuisse ex Schedio cognosce libro de Diis Germ. cap. 49, ubi ex antiquissimis monumentis illud eruit.

885. *Purpureos flores.* Ut sæpe diximus, propter sanguinis similitudinem; quia aut anima, aut animæ est sedes. *Serv.*

886. *His saltem adcumulem donis.* Observavit in Catullum Achilles Statius dici dona, et munera de his quæ dabantur mortuis : nam Catullus ipse : « Ut te postremo do-

sepulturæ, quæ fiebat cadavere non præsente; et hic Anchises celebrat funus Marcelli nondum exstincti, immo nec dum nati.

886. Anchises, Æneas, Sibylla vagantur per spatiosas illas latasque regiones aeris, omnia oculis collustrantes.

888. Consulit hic poeta et Anchisæ narratori, et Æneæ auditori, ac pariter omnibus lectoribus, qui, ne fatigentur longa narratione, reliqua confert in compendium; ideo *duxit natum per singula*, ne singula narrare cogatur, atque ejus *animum incendit amore* futuræ *famæ*.

890. Optime; incipiunt enim ab sequente libro bella Latii; ideo in hujus exitu illorum meminit, docens futura bella; docens Laurentes populos Æneæ hostes futuros; docens urbem Latini, juxta quam præcipue gestum bellum illud; ac tandem rationem, qua possit labores omnes aut honeste fugere, aut patienter ferre.

893. En epilogus totius libri, in quo dicit duplicem esse portam somniorum; corneam unam, qua vera exeunt som-

narem munere mortis. » Iterum : « Tradita sunt tristes munera ad exsequias. » Et Virg. Æn. XI : « decorate supremis Muneribus. » Ovidius, « in cineres ultima dona dedit. » Et in epist. : « Jam dabis in cineres ultima dona meos. » — *Inani Munere*. Secundum Epicureos, non profuturo. *Serv.* — Nempe quod officium honorarium illud Anchisæ ἀποτρόπαιον non esset, nec ad avertendum Marcelli fatum quidquam proficeret. Vide eum locum Æn. XI : « vano mœsti comitamur honore. »

887. *Sic.* Ista nocentes. *Serv.* — *Tota passim regione vagantur.* Non complevit omnia, quæ apud Inferos agebantur : esset enim vitium si totum vellet suo carmine complecti, quia et longum et impossibile. *Donat.*

888. *Aeris in campis.* An, quod inanis tota illa plaga sit corporibus carens, animasque et umbras aerias eorum vice habeat, et aere vacuo diffusa sit et obsessa? *aerem* enim *inanem* appellari non est inusitatum. Sed et Græci *vias aerias* ἠερόεντα κέλευθα dicunt pro caliginosis, quæ ad Orcum ferunt. Turneb. XI, 19. Servius ait Elysium hic putari Lunarem circulum.

890. *Incenditque animum.* Nam supra ait, « Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Serv.*

891. *Exin.* Deinde : confert autem in compendium narrationis prolixitatem. Sic Terentius propter longum actum ait, « Intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat. » *S.* — Narravit primo læta, tristia prætermisit, præterquam de Marcello; deinde docuit quomodo quædam æquo animo ferre posset. *Donat.*

894. *Sunt geminæ Somni portæ.* Pro *somniorum*. Est autem in hoc loco Homerum secutus, Odyss. 19. *De Somni portis*, lege XV Excursum, vol. III, pag. 249, quamvis ipse Heynius se paulo licentius sibi

nia; eburneam alteram, qua falsa : atque Æneam Sibyllamque ab Anchise demissos per eburneam : hoc facto, Æneas ad naves et socios rediit, qui tunc erant in Cumano portu : quo ubi pervenit, statim brevi cursu, a Cumis ad Caietam trajecit; ubi, jactis anchoris, conquievit. Signate *somnia* nominavi explicans : non enim Virgilius portas Somni scribit, sed Somnii; in illo tamen *Somni* pro *Somnii* scriptum est, poetico schemate.

indulsisse fateatur; et parem illius modestiam ingenio laudabis.

896. *Candenti elephanto.* Pro ebore candido; de cujus candoris pretio et honore passim veteres poetæ, quos memorat Bochart. Hist. animal. de elephantis II, 24.

897. *Ad cælum.* In nostram terram, et vivorum regionem, respectu scilicet inferorum : nam « sicut dii nobis, ait Macrobius, ita nos defunctis superi habemur; quibus nostra regio velut cælum. »

900. *Secat.* Tenet; unde *sectas* dicimus, ab eo, quod propositum non tenent. *Serv.* — Eadem ratione Homerus absolvit Odyss. lib. XI, ubi perlustrati quoque Inferi : atque etiam Sil. lib. XIII, quo libro versatur in eadem inferorum lustratione.

901. *Caietæ portum.* A persona poetæ, Prolepsis : nam Caieta nondum dicebatur *Serv.* — Ita Ovid. Met. XIV : « Litora adit nondum nutricis habentia nomen. » — *Recto litore.* Atqui nullum litus rectum : sed dicimus « rectam vitam agere », quando nihil aliud agimus nisi iter continuum, et nullo alio actu illud rumpimus : nam cupida suorum mens, nihil aliud agere debuit. *Donat.*

902. *Anchora de prora jacitur.* Pari verbo Calaber lib. XII, εὐνὰς δ' ἔνθ' ἕβαλον κατὰ βένθος : *ibi anchoras in profundum jecerunt.* Xenoph. ἀναβ. III, ἀφεὶς ἀγκύρας. *Cerda.* — *Stant litore puppes.* Scal. Poet. IV, 29. Si quo in loco *palilogia* λέξεως Virgilio objici potuerit, sane ista fuerit : *Litore*, hic : *litore*, versu præcedente : *Litoribus* sequenti.

Cæterum observat Servius, etiam ille Danielis, poetam controversiarum more Epilogos dedisse sex istis prioribus libris, quos etiam βιωτικοὺς esse voluerit : nam singulis res singulas dedisse; ut primo Omina; secundo πάθος; tertio errores; quarto ἦθος, id est, Mores; quinto Festivitatem; sexto Scientiam; Epilogos autem sic variasse, ut in primo esset miseratio Didonis; in secundo mors Creusæ; in tertio Anchisæ; in quarto Didonis; in quinto Miseni; in sexto Marcelli acerbum defleret interitum.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

(Vide Argumentum generale, vol. III, p. 253.)

ANALYSIS.

Solvit Æneas Caieta, solutis prius exseqoiis uotriei, cui portui nomen ipsa dederet ibi mortue; 1—9. Ex occasione eursus Æneæ describitur, Regia Circes, ejusque iucentationes; ed extremum Neptuui cura in servando Ænea; 10—24. Ad primum diei ortum Trojani eppelluut ad litus, iu ea parte Italiæ, qua Tiberis iufluit in mare. Deseribitur ex occasiooe voluptas fluvii; 25—36. Invocat Musam; propouit materiam sequentium librorum, videlicet arma belli latiui; 37—45. Latini Regis genus, Lavinia ejus filia, Laviniæ procus Turnus, Amatæ Reginæ studia in Turnum; 46—58. Futuri Italici belli prodigium duplex, apum atque ignis: quibus Turui uuptiæ disturbantur; 59—80. His prodigiis Latinus commotus adit oraculum patris Fauui, ut sciat, cui debeat filiam uuptui dare: respoudet Fauuus locandam externo genero; 81—101. Evulgat Latiuus oraculum, ec per id tempus Æneas pedem io Italia fixerat. Paraot sibi Trojani conviviolum in solo herbido; 102—111. Cousompto cibo meusas appetuot; rem primus omnium auimadvertit Ascanius; obstupescit Æueas, atque ex illis morsibus cognoseit eem esse terram fatis promissam; revoeat iu memoriam pristiua oraeula; hortator suos, ut explorent partem illam terrarum, libatis prius Jovi pateris, et vocato Anchise; 112—134. Veneratur Æneas Deos plures in hoe primo ad Italiam aditu: edhibet Jupiter gratæ voluntatis significatiooem, ter tonitru repetito; lætentur Trojani ad rumorem quietis jam iuventæ post tot errores; 135—147. Explorant milites vicina loca; mittit Æneas oratores ad Latinum cum donis; excitat domicilium; 148—159. Redit ad legatos, qui urbem adeoot, et Regem; voeati ab eo. Narrautur obiter puerorum La-

tinorum exercitationes; 160—169. Describitur Regia Latini a magnitudine, situ, religione, dignitate, antiquitate, majorum imaginibus, spoliis, Pici majestate; 170—194. Rogat legatos Latinus, quæ causa illos ad Italiam adduxerit: invitat amicissime ad hospitium; repetit ab ultima antiquitate primam Trojanorum originem, quæ ortum habuit ab Italia; 195—212. Reddit causam Ilioneus, cur illuc appulsi Trojani; explicat originem ejus gentis, bella cum Græcis, errores post bella. Commendat suos, aperitque qua fati necessitate ducantur; offert munera Æneæ nomine; 213—248. Post auditum Ilioneum, revocat in memoriam Latinus Patris Fauni oraculum, quo jubebatur collocare natam externo viro; hæretque, an hic futurus sit Æneas, ad quem remittit mandata amoris plena; 249—273. Dat Latinus legatis singulis equos singulos; mittit duos ad Æneam ex solis semine; 274—285. Jacitur semen ad rem novam ex interventu Junonis, acerrimæ hostis Trojanorum; 286—292. Sequitur oratio divisa in querelas et minas: queritur de potentia Trojanorum, de impotentia sui: minatur in Trojanos Latinum bellum; 293—322. Adit inferos Juno, mandatque uni e tribus Furiis negotium turbandæ pacis, serendi belli inter Trojanos et Latinos; 323—340. Egressa Alecto Latini Regiam petit, et primo Amatam invadit, conjecto in eam uno e crinalibus anguibus; 341—353. Amata rationibus primum disturbare nuptias contendit, veneno non penitus imbibito; 354—372. Procedit Regina in furiis, recepto jam penitus veneno intra viscera; 373—391. Sequuntur matres reliquæ pari insania furorem Amatæ; canit hæc Hymenæos Laviniæ et Turni; 392—405. Confert se Furia ad Turnum mutata in anum forma; 406—420. Aperit illi consilium Latini de externo hærede; hortatur ad bellum; 421—434. Turnus anum ridet, ac remittit ad curanda templa; tumet Erinnys ira, et juvenem in furias agit conjectis anguibus; 435—451. Addit faces, et novas minas; excitatur a somno Turnus cum tremore, sudore, fremitu: ostenditur ejus ira comparatione; 452—466. Abrumpit pacem Turnus; dat Alecto initium bello; 467—482. Cervus in deliciis ab Tyrrho habitus percutitur ab Ascanio in venatione; quæ belli latini princeps causa; 483—499. Percussus cervus iram Tyrrhi et agrestium excitat; illam Furia adjuvat vocans ad arma; 500—518. Veniunt ad arma rustici, et Trojani: cadit Almon Tyrrhi filius, et Galesus senex; 519—539. Compos votorum Furia Junonem adit, majora adhuc promittens; 540—551. Contenta Juno vetat plura, illamque cælo exterminat. Describitur locus in quem se Furia abdidit; 552—571. Omnes, Junone acuente, bellum conclamant, pastores, Turnus, urbani juvenes; 572—584. Latini constantia in resistendo, et oratio, qua Turnus exitium canit; 585—600. Mos indicendi bella reseratis portis Jani, a qua re Latinus abstinet; 601—619. Adest Juno, quæ portas aperit, immo frangit, bellum indicens. Sequitur furor militaris totius Italiæ, peditum, atque equitum comparantium instrumenta ad bellum. Numerantur urbes quinque, quarum præcipua opera: fervent omnia armis, furore, strepitu; 620—640. Sequitur catalogus conspirantium ad bellum contra Æneam: præcedit nova invocatio.

Primi omnium numerantur Mezentius et Lausus : pater infamis vitiorum dedecore, filius pulchritudine juventutis insignis; 641—654. Accedit Aventinus filius Herculis; describuntur hujus natales et arma; 655—669. Catillus et Coras fratres veniunt a Tibure, comparanturque cum Centauris; 670—677. Sequitur Cæculus, cujus natales describuntur, comites, et arma comitum; 678—690. Messapus quoque ad id bellum conspirat, in cujus agmine describendo utitur poeta eleganti cycnorum comparatione; 691—705. Pergit ad Clausum et ejus comites, ac numerosam multitudinem, quam comparat cum fluctibus maris, cum aristis terræ; 706—722. Halesi adventus, hujus comites; arma omnium; 723—733. Describitur adventus OEbali, et ejus natales : tum etiam comites, et horum arma; deinde Ufentis comitatus; 734—749. Adest Umbro sacerdos Marrubiorum, cujus narratur potentia in viperas, et adhibetur πάθος ex illius obitu; 750—760. Describuntur natales Virbii, qui fuit Hippolyti filius. Cujus rei occasione ansam capit poeta ad narrandum interitum Hippolyti, ejusdem ad vitam revocationem Æsculapii opera, et Dianæ amore : inde sævitum in Æsculapium a Jove; sed Diana, ne quid tale Hippolyto accideret, eum substrahit mortalium consortio, et Egeriæ Nymphæ ac silvis credit; 761—782. Adventus Turni principis omnium ad bellum; ejus arma, et comitatus multiplex; 783—802. Catalogum et librum claudit Camilla : afferuntur ejus virtutes militares, ornatus, arma; 803—817.

N. B. Heynius post argumentum libri septimi Æneidos plura de hac secunda parte poematis disseruit, quæ sagacis ingenii et doctrinæ multiplicis virum arguunt : legenda est illa disputatio quæ lectorem *delectabit* simul et *monebit*. Vol. III, pag. 254—257.

EXPLICATIO.

1. Misenus nomen dedit monti in Campania, Palinurus promontorio in Lucania; et hi quidem duo Trojani : tu quo-

NOTÆ.

1. *Tu quoque litoribus nostris, Æneia nutrix.* Ut et in principio diximus, in duas partes hoc opus divisum est : nam primi sex libri ad imaginem Odysseæ dicti sunt : quos personarum et allocutionum varietate constat esse graviores. Hi autem sex ad imaginem Iliadis dicti sunt, qui in negotiis validiores sunt; nam et ipse hoc dicit, « Majus opus moveo. » Et re vera tragicum opus est, ubi tantum bella tractantur. *Serv.* — Quam variis tamen condimentis unius et ejusdem cibi levarit poeta, per suas partes ordine docuit Scalig. III, 9, poetices. — *Æneia nutrix.* Hanc alii Æneæ, alii Creusæ, alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis in hoc loco classem Trojanorum casu concrematam : unde Caieta dicta est, ἀπὸ τοῦ καίειν. *Serv.* — Vide Excursum primum de Caieta, vol. III, p. 350.

que, o Caieta, nutrix Æneæ, famam, et hanc æternam attulisti litoribus Italiæ: nam a te Caieta portus nomen accepit, quia tu ibi mortua; et fama crevit, quum morte minui debuisset.

3. Dixerat famam illam fuisse æternam; probat; nam adhuc *honos tuus servat sedem*, id est, sepulcrum in honorem tuum ibi structum adhuc retinet eamdem sedem: et nomen Caietæ adhuc signat, demonstratque inibi esse tua ossa, quæ sane gloria aliqua est ad solatium tuum: sed hoc cum dubitatione: nam videlicet putabant veteres nihil funebrium pertinere ad mortuos.

5. Æneas tamen vere pius, non prius solvit, quam justa nutrici solveret, aggerato tumulo: quo facto, solvit tranquillo mari, velis in altum ablatis. Præclare hic, *æquora*, non freta, aut aliud: nam cum respectu ad *quierunt:* sunt enim æquora proprie, quum æquata, et quieta. Ait, *Tendit iter velis*, quia, ut extensa vela, ita extensus cursus, ait Servius.

8. Favent omnia naviganti Æneæ, aura, Luna, pontus: aura quippe adspirat; hanc ut copiosam notet, plurali utitur. Luna lucem præbet ad cursum: pontus splendescit lumine accepto a Luna. *In noctem*, est, circa noctem: lumen dicitur tremulum ab fluctuante et inquieta unda.

10. Quum Æneas solvit Caieta versus Italiam, habuit in via proximam insulam Circes, quam non ausus ingredi, tantum strictim attigit, et rasit leviter, ac legit. De ea vide Excursum primum, vol. III, pag. 350.

11. In hac insula degebat Circe, quæ Solis filia, et satis dives continuo cantu in lucis amœnissimis ævum traducebat. Adhibet deinde argumentum divitiarum ejus; nam et tecta erant superba, et in his tectis, non vulgaribus lignis ad nocturna

4. *Hesperia in magna.* Propter Hispaniæ discretionem. — *Si qua est ea gloria.* Secundum Epicureos: bene autem interest funeri, postquam ab Inferis rediit; sicut interfuit ante qnam descenderet, ut medinm actum ostenderet. *Serv.*

5. *Exsequiis. Exsequi*, pro funerare, Cic. etiam Tusc. I, dixit: unde *exsequiæ;* quod multi cadaver ejus, qui efferebatur, sequebantur. Ἐντάφια Græcis, Turneb. IX, 18. *Taubm.*

9. *Luna negat.* Liptotes. Nam dicit, Large præstat: ut, « Munera nec sperno. » — *Tremulo sub lumine.* Ita enim mobilitas aquæ facit videri. *Serv.*

13. *Odoratam;* pro *odoriferam:* et hoc ideo, quia usus olei apud majores non fuit, præcipue in Italia. *Serv.* — Vigilans et voce et odorato lumine ad se incautos attrahere utebatur. — *Cedrum;* ut cedrus tanquam oleo madens, incendia semper insidiis nutrit, ita

lumina utebatur Circe, sed odorata, et pretiosa cedro. Tertio ponit studium Circes in telarum textura; itaque non lanificio aut acui addicta erat, ut molles feminæ; sed telis, quæ hominum sunt, et quas percurrebat pectine, vel sonanti, vel gracili; de quo legendus est Excursus I*, vol. III, pag. 354. Vocat lucos Circes *inaccessos* ab timore, quasi non tuto adeundos. *Resonat lucos cantu*, est, facit resonare, explicatore Servio.

15. Audivit in ipso cursu Æneas gementes atque irascentes leones, sues, atque ursos sævientes, lupos ululantes: dicit, *exaudire, sævire, ululare*, pro, exaudiebantur, sæviebant, ululabant: dicit, *sera nocte*, quia credibile sero noctis Æneam eo appulisse, qui initio noctis Caieta solverat. *Rudentes* leones explicat, frementes, atque indignantes.

19. Explicat jam, quæ hæ feræ: nimirum homines in feras conversi sævitia Circes, herbarum potentia.

21. Ne quid simile Trojani paterentur, quos pios vocat ab pietate ducis Æneæ, Neptunus secundam admodum navigationem illis præbuit, fugæ persimilem, vexitque classem præter vada fervida, atque æstuosa, ac proinde periculosa. Subeant Lectorem, quæ Neptunus promisit Veneri ad calcem libri V Æneidos in favorem Æneæ. — *Dira litora*, sunt jam male ominata, et infamia simili successu.

25. Habent duo versus descriptionem orientis auroræ, in quibus mirus apparatus ex coloribus, rubro, roseo, luteo, quibus fulsit: ex mari, in quod primum conjecit lucem purpurascentem: ex æthere, unde adducta: ex bigis, quibus vecta.

27. Cessavit ventus, cessavit flatus; ac proinde naves non

et voce, id est, cantu insidiatur. *D.* — An cedrus in deliciis fuerit Circes disputat Salmas. Plinian. exercit. p. 951. Cedri in Syria præstantissimæ teste Theophrasto, Plant. V, 9. *Emmen.*

16. *Rudentum*. Naturaliter ru longa est. Persius, « Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas. » Systolem ergo fecit. *Ruditus* autem proprie est asinorum clamor: ut *grunnitus*, porcorum: ranarum, *coax*: quæ nomina a sono vocis constat esse composita. *Serv.*

19. *Dea sæva;* aut per se, aut herbis potentibus sæva. Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clarissima meretrix fuit; et nihil est Sole clarius. Hæc libidine sua et blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, ut libidini et voluptatibus operam darent: unde datus est locus fabulæ apertæ. *Serv.* — *Potentibus herbis;* quarum origo tota venit a Circe; nam alioqui Italia benignissima terrarum fuit. Plin. XXV; 2.

21. *Pii paterentur Troes.* Ergo impii qui pertulerunt: impii autem propter occisa Solis armenta. *Serv.*

amplius usæ velis, luctari remis, et laborare cœperunt, quippe postulante hoc maris lentitie.

29. Priusquam Æneas ad portum appelleret, lucum prospicit amœnissimum, quem Tyberis interfluebat erumpens in mare: celebrat fluvium ex rapiditate, qua ibat; ex flavitie arenarum aurea; ex canoro avium garritu, quæ supra amnem inter arborum frondes dulcissime modulabantur, suavissimo linguarum concentu complentes aerem, verius mulcentes.

35. Jubet itaque Æneas classem ad ostium fluminis appellere, opacitate illa, et umbra nemoris invitatus.

37. Vult expedire initio posteriorum sex librorum, statum in quo erant res Italiæ eo tempore, quo Trojana classis illuc appulit: ad quam rem Musam invocat. Sunt *rerum tempora*, explicatore eodem poeta, *status rerum*.

41. Tametsi verum sit in prioribus sex libris Æneidos multa scripta, quæ pertinent ad bellum, et inprimis librum secundum de expugnata Troja; nihilominus certum est materiam armorum reservatam esse ad sex istos posteriores libros Æneidos. Inde proponit se cantaturum bella; acies; Regum funera; maximos exercitus coactos; Italiam totam conspiran-

28. *Tonsæ*. Sunt hic remi, aut potius imæ remorum partes, quas vocant palmulas: dicuntur tonsæ, non a tnndendis fluctibus, quasi illis, ut ferro, tondeantur, quamvis hoc et Servius, et Festus; sed verius a tundendis fluctibns, quod est aptius ad naturam remi. Græci aut *κώπας*, aut *ἐρετμοὺς* vncant; Lycophron *σπάθας*. Prnbe itaque *luctantur tonsæ*, apparet enim tanqnam luctæ simulacrum inter remns et aquam.

29. *Atque hic Æneas*. Sic autem lætus fuit Æneæ adventantis in Italiam ingressus, ut elementa ipsa nbsequi, et aves gratulari viderentur. *Donat*. — *Lucum prospicit*. In quo erat fluminis nomen: diximus enim nnmquam sine religione esse lucum a Virgilio positum. *Serv*. — De accessu Æneæ ad Italiam, videndus est Excursus secundus, vol. III, pag. 356; et de lncorum situ, *ibid*. pag. 361, Excursus tertius.

37. *Nunc age*. Hic est sequentis operis initium: antedicta enim ex snperioribns pendent. — *Erato*. Vel pro Callinpe, vel pro qualicunque Musa posuit. *Serv*. — *Tempora rerum*. Quia tempora, nisi ex rebus colligantur, per se nulla sunt. Lucret. lib. I: « Tempns item per se nnn est: sed rebus ab ipsis Consequitur sensus, transactum qnid sit in ævo: Tum quæ res instet; quid porro deinde sequatur. »

42. *Actos in funera reges*. In sua, nnn in Trojannrum funera: quum enim animis ferocitate exagitatis, in aliennm exitium ruerent, ipsi, Trojanis e diverso certantibus, ceciderunt. *Donat*. — De veteris Italiæ originibus, de *Regibus*, de populis, religionibus et fabulis, npe-ræ pretinm est adire et pervolvere

tem ad arma: absolvit demum, rem hanc majoris esse operis, et vere heroici: pars enim hæc tota est tragica, ut in qua nihil aliud spectes, quam mucrones et gladios; ferrum et iracundiam; exercitus et militares copias; Regum bella et funera; omnia demum illa, quæ horrorem et metum incutiunt.

45. Magna laus principis, qui ab initio suscepti imperii pacem habuerit ad senectam usque: talem enim pacem hic indicat, quum ait *longa:* et quia pax longa, ideo urbes placidæ; ut effectus a causa.

47. Traditum est a majoribus patrem Latini fuisse Faunum, matrem Maricam Laurentem; Fauni patrem Picum; Pici Saturnum; a quo Deo propagatum genus.

50. Habuit Latinus filium; sed Deorum fato et voluntate ereptus est patri in ipsa juventute: ut paternum dolorem indicet, ait, *erepta;* et componit cum verbo *oriens*, ut augeat affectum: est enim magnus dolor orientem eripi patri, et in ipsa juventute, in qua propinquior spes.

52. Erepti filii solatium erat filia magnarum opum hæres sola; et eo jam ætatis, ut posset virum capere, et nuptias contrahere.

54. Qui non peterent hanc virginem in matrimonium, opulentæ hæreditatis invitamento allecti? Multi, inquit poeta, sed ante omnes Turnus; quem commendat a pulchritudine; erat enim pulcherrimus ante alios procos: a genere, quo plurimum poterat; genus enim potentia sequitur; ideo ait, *avis atavisque potens.* Demum commendat ab studio Amatæ, quæ

Excursum quartum, vol. III, pag. 366—376.

49. *Ultimus auctor*; quia primus fuit Latinus, a quo factum est initium narrandi; ergo Saturnus *ultimus.* Ut in scalis, si descendas, primus est summus, ultimus qui est imus; si ascendas, contra fiet. Sic Cicero in rhetoricis inquit: « Ab ultimo principio hujus præceptionis »: pueritiæ memoriam recordari *ultimam.* Catul. Carm. IV; *ultimam* originem. — De Saturno, Jano, Pico, Fauno et Latino, adi, si placet, accuratam disquisitionem V, T. III, p. 376—380.

52. *Sola domum.* Ἐπικληρῖτιν virginem significat: non quod orba aut parentibus aut gentilibus esset, sed quam universum jus succedendi, aut tota hereditas respiceret. — *Domum.* Non hic in vulgari significatione, sed pro bonis et hereditate. Sic Græcis οἶκος: nam Odyss. lib. I, ἔδοντες οἶκον ἐμόν: *devorantes meam domum*, pro, meas facultates et bona. — *Sedes.* Quum hic servare domum, et sedes, sit exspectare hereditarium imperium, non dubium quin *sedes* posuerit pro paterno domicilio. Ita Ovid. Trist. IV, Eleg. I: Suet. cap. 1, Vitellius.

conjux Latini, in Turnum inclinabat, ut is filiam duceret: quod studium ut explicet, sunt enim impotentissimæ in cupiditatibus feminæ, ait; *miro properabat amore:* omnia signatissima sunt ad ardorem hunc.

58. Ardentissimis Turni et Amatæ votis, quibus ille nuptias petebat, illa nuptias properabat, obstabant Deorum portenta; eaque magnis terroribus evulgata.

59. Adstruit fundamentum futuro prodigio adducta lauri historia. Erat hæc in media, ac proinde interiore Latini regia, habebaturque in religione. *Sacra comam*, est locutio Græca; subaudi κατά.

61. Quo tempore Latinus Lavinium condidit, inventam fortasse eo loci hanc arborem pro bono omine habuit; dicavit Phœbo, in cujus tutela ea arbor prius erat; demum ab illa nomen colonis indidit, et vocavit Laurentes. Τὸ *Laurentis* esse potest vel in secundo casu; erat enim huic oppido nomen, Laurens, Laurentis: vel in primo multitudinis, ut *omnes, omneis, omnis.* Sic *Laurentes, Laurenteis, Laurentis:* quod fortasse melius, ad eum modum, quo Livius lib. I, dixit, *Cui parentes Ascanium dixere nomen:* hoc monuit noster Pontanus.

64. Sequitur prodigium: advolavit examen apum in eam arborem, conseditque in summo apice; inde se connexis mutuo implicatisque pedibus demisit, ac pependit ex apice.

68. Interpretatio prodigii: advenerat examen ab ea parte, qua Æneas in Italia pedem fixerat ad ostium Tyberis: ergo vates statim: aderit vir externus ab iisdem partibus, unde apes advolarunt; petetque easdem partes, quas examen: nam sicut apes apicem arboris occuparunt, ita ille in summis nostris arcibus dominabitur.

71. Prodigium alterum: intererat fortasse Lavinia sacro patris Latini, juxta quem erat, cumque ipso quoque *altaria ado-*

58. *Sed variis;* propter apes, et incendium, et oraculum Fauni. — *Portenta*, signa, quæ sunt media; a portendendo: nam et bona et mala sunt portenta. *Serv.*

59. *Laurus erat.* Latinus post mortem fratris Lavini, quum Lavinium amplificaret, ab inventa lauro, *Laurolavinium* id appellavit. — *In penetralibus. Penetrale* est omnis interior pars domus, licet sit intecta: unde laurum in penetralibus fuisse non est mirum. *Serv.*

66. *Obsedere apicem.* Verbum oppugnationis est *obsedere*, quo usus signate propter bellum futurum. *Serv.*

68. *Vates.* Divinus; per quam autem artem non dixit, nec nomen ejus: sed datur intelligi conjecturis eum quibusdam futura dixisse.

71. *Castis.* Piis; et sciendum La-

let, id est, urit dona, quæ sunt supra altare; ecce subito flamma comas ejus aripuit, totumque ornamentum capitis; ut coronam, et gemmas, idque cum magno crepitu: statimque a capite visi sunt fumantes inter lucem globi, et flammæ rutilæ spargi in omnem partem tectorum. De structione admoneatur puer hunc in modum. Lavinia dicta est comprebendere ignem longis crinibus: visa est cremari ornatum capitis: visa est accensa comas, accensa coronam: visa est involvi fulvo lumine, et quidem tota ipsa fumida: demum visa est spargere Vulcanum totis tectis: tota videlicet structio pendet a verbo *visa*.

78. Interpretatio alterius prodigii: ferebatur horrendum hoc esse atque mirabile: horrendum; nam bellum magnum populo portendebatur: mirabile; nam Lavinia illustris fore fama ac fatis pronuntiabatur.

81. Prodigia apum, et flammarum, quæ vocat hic monstra, Latinum sollicitum, ut par erat, ferunt ad oraculum patris Fauni, quod reddebatur in luco juxta Albuneam; nomen est fontis; exhalabat vero fons corruptum putorem. Albuneam dat luco, quia nullus lucus sacer absque fonte.

85. Dicit in eum lucum solitam confluere universam Italiam ad petenda oracula in rebus dubiis; adhibetque ritum, quod id fieret. Ferebat Sacerdos secum dona, id est, oves, nam sic interpretor, quibus cæsis in earum pellibus dormiebat: ac

tinnm sacrificasse astante Lavinia. *Serv.* — *Castis*. Commune sacrorum epithetum. Ita lib. III: « Hac casti maneant in relligione nepotes. » Quidquid enim castum est, opponitur scelerato: Æneid. lib. VI: « Nulli fas casto sceleratum insistere limen. »

76. *Fumida*. In fumo est causa lacrymarum et belli. — *Vulcanum spargere*. Incendinm bellicum significat: his enim duubus huc ab augurio distat Ascanii; fumo, et aspersione flammarum. *Serv.*

81. *At rex*. Non dixit, virginis pater: nam publicus status quam filiæ potior fnit. *Donat.* — *Fauni*. Faunus ἀπὸ τῆς φωνῆς dictus, quod voce, non signis, ostendit futura. *Serv.* — De hoc oraculo vide Excursum VI, tom. III, pag. 380.

84. *Mephitim*. *Mephitis* proprie est terræ putor, qui de aquis nascitur sulphuratis: et est in nemoribus gravior ex densitate silvarum. Alii *Mephitin* Deum volunt Leucotheæ connexum: sicut est Veneri Adonis, Dianæ Virbius. Alii *Mephitin* Junonem volunt, quam aerem esse constat. Novimus autem putorem non nisi ex corruptione aeris nasci; sicut etiam bonum odorem de aere incorrupto: ut sit *Mephitis* Dea odoris gravissimi, id est, grave olentis. *Serv.* — Vide notas, vol. III, p. 264, et sqq.

88. *Incubuit*. *Incubare* dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad acci-

tum in somnis mira quædam videbat simulacra; audiebat voces; fruebatur Deorum alloquio; loquebatur cum Averno.

92. Ergo Latinus pari ritu eo contendit; tulit secum oves centum; mactavit; in earum pellibus incubuit; vocem audivit.

96. Sequitur vox oraculi jubentis, ne Latinus natam collocet in matrimonium Turni; exspectet venturos aliunde generos, qui commisti cum Italis, horum gloriam in cælum tollant, ferantque in totius terrarum orbis partes; ac nutu suo, atque imperio omnia vertant, omnia regant.

102. Oraculum Fauni acceptum secreto, in somnis, silente nocte Latinus manifestat. Quo factum est, ut statim fama, ut est celerrima, perferret illud in omnes urbes Italiæ: ac tum temporis Æneas portum appulerat; eratque jam in agro Laurente, parte Italiæ.

107. Ut primum in Italia Æneas, et alii pedem posuerunt, cogitant de curando corpore, ut erant maris cursu defatigati: eligunt epulis locum opacum juxta frondosam arborem: pro mensa, in qua essent epulæ, subjiciunt liba quæpiam panis, quod faciunt Jove inspirante: mox poma, et edulia alia imponunt super solum Cereale, id est, super liba illa panis, quæ erant pro mensa.

112. Dixerat superpositas epulas mensis panicis: ergo consumptis epulis, ut erant famelici, mensis ipsis pro cibo utuntur; conversique ad quadras illas, et crusta fatalia (est enim ἓν διὰ δυοῖν) manu, et ore cuncta diripiunt, ut famem saturent.

116. Clamat subito Ascanius: en quid facimus? mensas etiam devoramus.

117. Nihil ille ultra; ea quidem vox audita laborum omnium finem attulit: illam statim Æneas ut omen arripit; et attonito

pienda responsa. Unde est, « ille incubat Jovi, » id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere. *Serv.* — *Pellibus incubuit.* Ad Amphiarai oraculum alludi putant. Cur autem pellibus, et præsertim arietinis, incubuerint, somnii significationem captantes, docet J. Baptista Pius cap 10, Annot. Post. idem Cælius XXVII, 14. Apud Scythias pellis inscensio, jurisjurandi religionem habebat. *Taub.*

92. *Pater ipse.* Aut honoris est, aut re vera pater Laviniæ: ergo non misit alterum, sed ipse perrexit, ut et patris et regis diligens adhiberet officium: pro mollibus plumis et ornatu regio, non recusavit pelliceum stratum. *Donat.*

109. *Adorea liba.* Ador farris est genus, cujus laudem narrat Plinius, lib. XVIII, cap. 3 et 8.

117. *Laborum finem.* Scilicet maritimorum: nam in terra multa passurus est, ut ait Sibylla, « Sed terra graviora manent. » *Serv.*

similis Ascânii vocem pressit, nihil ultra volens audire a quoquam, quum videret jam expleta oracula.

120. Salutat terram fatis sibi debitam; salutat Penates Trojæ, qui sibi fideles fuerunt: ac plenus lætitia, certo affirmat, eam sibi esse domum, eam patriam: mox revocat, quæ a patre audierat: solitus enim Anchises fuerat natum monere, illam terrarum partem ad domicilium assignatam Trojanis, ubi, consumptis epulis, mensæ ad cibum appeterentur.

130. Hortatur suos, ut cælo deinde albescente a portu abeant, et perquirant, quinam ibi homines, quæ urbes.

133. Jubet, ut prius sacra fiant Jovi, ad quæ etiam Anchises vocetur, ut unus e cælestibus.

135. Facturus rem sacram, Deosque precaturus primum omnium coronat se ramis viridibus: quo facto Deos invocat, ut sibi adsint. Dii qui sequuntur, aperientur infra in notis a sensu Heynii contrariis.

141. Æneæ preces excepisse Jovem poeta ostendit sequuto omine: erat tunc serenum, et subito auditum est tonitruum, illudque ter repetitum, ne, si semel tantum, casus putaretur, non Deorum voluntas. Quin in ipso tonitruum fragore Juppiter nubem ostendit luce et auro ab radiis solaribus fulgidam; nam si nubilam, et tristem, adversum esset omen.

144. Exultabundi Trojani ob famam dissipatam statim per totum exercitum de sedibus jam inventis epulas apparant,

136. *Geniumque loci.* Apollinem vult iotelligi; cujus in tutela tota fuerat regio: ot, « Quam pater inventam primas quum conderet arces, ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latious. » Aliter iniquum est, si quum omnes invocet, Apollinem prætermittat: præsertim quum Helenus dixerit, « Aderitque vocatus Apollo. » — *Primamque deorum.* Quia ipsa est mater Deorum. *S.* — Sic Æn. IV, 166, prima et Tellus.

137. *Nymphasque, et adhuc ignota precatur flumina.* Bonum ordinem sequitur: sic alibi, « Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amoibus uode est. » *Serv.* — *Flumina*, quæ soos habere Deos putabantur, quos adjungit cum *Nymphis Telluri*, quam iocoluot simul et oroaot.

138. *Noctem*, quam Hesiodus numerat ioter Deos, V, 123. Haoc invocat, ot imminentem et timendam, quia favere potest incolarum insidiis.—*Noctisque orientia signa*, quæ noctem sequuotur; ut Nymphas flumina: iuvocat eoim sibi conjoncta. *Serv.*

139. *Idæumque Jovem*, vel ab Ida Phrygiæ moote, vel ab Ida Cretæ, ubi oatus, et in ejusdem aotro Dictæo edocatus. — *Matrem Phrygiam*, Cybeleu cujus sacra Phryges primi celebravere. — *Ex ordine;* aut contigue, quia Idæum dixerat Jovem: aut certe rite, id est, more solemoi.

coronant vina, læti scilicet magno illo omine tonitrui, et coruscantis nubis.

148. Subeat, Æneam duo præcepisse in superioribus: primum, ut cum primo Solis lumine vestigarent vicina loca: deinde, ut statim fieret libatio Jovi. Hoc ultimum jam explevit; sequitur primum illud de investigatione: ergo orto jam die explorant, et discunt milites, quæ scire Æneas volebat. Urbem quum ait, Laurentem intellige: ait *Numici*, pro, *Numicii*, nam *Numicium* dici multi volunt. Numici stagna vide in Excursu tertio, vol. III, p. 364.

152. Hoc facto, ut novit Æneas ibi Latinum regnare, deligit oratores centum, qui Regem adeant, eosque cum ramis oleæ, quæ pacis nota; et cum donis, quibus pax firmetur. Numerus ambitiose ponitur ad commendationem Æneæ.

156. Abeunt illi diligentissime; ipse interim nihil faciens impendii in tempore, locum sibi ad domicilium assignat; sedemque excitat in eo litore aptam tuendis castris, et servandis militibus. Est, *molitur locum*, ædificat in loco mœnia cum molimine: illud, *pinnis, atque aggere cingit*, explicat, cingit aggere, supra quem essent pinnæ.

160. Tria dicit, videlicet confectum iter legatorum; visa a longe mœnia; urbi successum.

162. Pueri Latinorum in ipso campo ante urbem exercent se disciplina, aut equestri, aut curuli: tum etiam telis ludunt, quæ aut tendunt arcubus, aut torquent propria lacertorum virtute.

166. Ruit ad Regem nuntius, advenisse ignotos legatos;

152. *Tum satus Anchisa*. Quamvis fatis fideret, tamen humanitatis officium putavit ad regem legatos mittere, ne ob superbiam alienos fines invadere videretur: interim non exspectato de pace responso urbem designat; tantum spei in fatis reposuerat! *Donat.* — *Ordine ab omni*. Ex omni qualitate dignitatum; quod apud Romanos in legatione mittenda, hodieque servatur. *Serv.*

160. *Turres ac tecta*. Primo enim altiora ædificia; deinde quum propinquius acceditur, humiliora cernuntur. *Don.* — *Tecta Latinorum*. In codicibus nonnullis admodum vetustis, *tecta Latini* legitur. Servius *Latinorum* hypermetrum agnoscit; quod etiam in Mediceo codice habetur. Quos versus Scaliger libenter appellet δολιχούρους, et μειούρους: Poet. II, 31.

163. *Domitantque currus*. Equos sub curribus. *Serv.* — *In pulvere*; quia ibi melius animalia domantur, ubi difficilior tractus est. *Don.*

165. *Ictu*. Jaculatione; non ut sese ferirent invicem, sed ut destinata perculerent. *Donat.*

ingentes viros: jubet statim illos accedere; atque in solio, quo usi majores, auditurus sedet.

170. Primus versus continet magnitudinem regiæ; secundus situm; tertius religionem. Spectatur magnitudo ex centum columnis: sita erat in summa urbe: religionem faciunt silvæ horrore suo.

173. Sequitur dignitas: nam ibi sceptra, et fasces accipiebantur a Regibus, quum primam obibant dignitatem: ea Regia illis erat pro Curia et templo, ubi sacrificia peragebant et sacras epulas.

177. Antiquitas notatur ex imaginibus veterum; erant quippe ibi Reges Latini, *ex ordine*, prout sibi successerant; videlicet Italus, Sabinus, Saturnus, Janus, et Reges alii a

167. *Ingentes.* Ex stupore nuntii laus ostenditur Trojanorum; et bene novitatis ostendit opinionem: ingentes enim esse, quos primum vidimus, opinamur. *Serv.*

169. *Solio medius consedit. Solium* est veluti armarium de uno ligno, ad regum tutelam factum: secundum alios, a soliditate dictum: secundum Asperum per Antistichon, quod solum unum capit; quasi *sodium*, a sedendo: nam et *sella*, quasi *sedda* dicta est. *Serv.*

170. *Tectum augustum, ingens.* Domum, quam in Palatio diximus ab Augusto factam, per transitum laudat, et quasi in Laurolavinio fuisse commemorat. *Serv.* — *Augustum.* Vel quia domus fuit regum, vel quia reges ipsi sibi regnandi auspicia sortiebantur; illic enim potestatem sumebant et fasces erigebant. *Donat.*

173. *Hic sceptra accipere.* Hoc in palatio fiebat. *Serv.* — *Primos attollere fasces;* cui et contrarium, *fasces submittere.* Alludit autem ad Capitolium, moremque Romanorum, apud quos magistratus omnes fascibus insigniri soliti, fasces ex Capitolio rite et more majorum desumebant. — *Omen*, pro initio posuit; ita et *auspicium, auspicari.*

174. *Curia templum;* quia curia non est nisi in augurato loco. *Serv.* — Curia locus est ubi res publicæ *curantur;* sive divinæ, ut sacrificia; sive humanæ, ut judicia, consilia: unde aliquando cum templo convenit; aliquando ab eo diversa est, ut hic: qui curiæ præerat, dicebatur inde apud Romanos *curio:* et postquam populus Romanus a Romulo in tribus tres distinctus est, singulæ tribus divisæ sunt in decem *curias*, sic dictas a locis, quo sacrorum negotiorumque causa separatim cives conveniebant.

176. *Perpetuis mensis;* longis, ad ordinem exæquatis sedentium: majores enim nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus et Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani: in quibus dicit quid a quaque traxerint gente per imitationem. *Serv.*

178. *Ex cedro;* quod lignum non facile consumitur vetustate: hoc genus ligni tineam nescit; corruptionemque ex antiquitate non sentit; unde est *cedria*, quæ chartam

prima gentis Italorum origine, qui regnum illud præclaris in bello factis auxerant.

183. Subjicit jam spolia, et arma postibus Regiæ, ac parietibus affixa : sunt hæc, currus ; secures ; cristæ ; claustra portarum ex captis urbibus ; spicula ; clypei ; rostra navium.

187. Extremo loco erat Picus, de quo jam major, et clarior mentio, quia is Latini avus : erat Picus indutus trabea ; habe-

reservat. Hinc est illud, « et cedro digna loeuti », aut *Cedria peruncta*, quoniam ligna custodit ac conservat. *Serv.*

179. *Vitisator Sabinus.* Non inventor vitis, sed qni genns vitis demonstravit Italis populis, et nomen dedit Sabinis, aliunde ortis; patrem habuit Sancum hujus regionis Genium, qni alio nomine Deus Fidius dieebatur. Sabini imago gerebat faleem recurvam, qua vites putantur. De hoc et aliis Italiæ regibus, vide Exeursum IV, tom. III, pag. 366 et seqq.

180. *Saturnusque senex.* Antiqui reges nomina sibi plerumque vindicabant Deorum : ergo Saturnus rex fuit Italiæ : nam et supra ait, « Veterum effigies ex ordine avorum. » Gabalus etiam Romanus imperator Solem se dici voluit : nam *Heliogabalus* dietus est. *Serv.* — *Janique bifrontis.* Dignnm est sane animadversione, in numismate Adriani exhiberi Janum quadrifontem, videlicet in partem anteriorem et posteriorem, in dextram et sinistram. Quem bifrontem vocant reliqni, Ovidius Met. XIV, « Aneipitem Janum » dixit, sicut et Nazianzenus ad Nimesium ἀμφιπρόσωπον, de re tamen alia loquens. *Quadrifrons*, exhibetnr, a qnatuor anni temporibus : quemadmodum *biceps*, a solertia præteritorum et futurorum.

183. *Sacris in postibus.* Ubi spolia consecrabantur; indicia hæc sunt virtntis : postes ornabant veteres donis in honorem Deorum snspensis, vel etiam spoliis hostium. Horat. lib. I; Epist. I.

185. *Cristæ;* galeæ; a parte totum posuit. — *Ingentia;* ut ostendat quanto labore retracta sint. — *Ereptaque rostra carinis.* Bene de omni genere præliorum, spolia illic demonstrat fuisse. *Serv.* — *Carinis.* Ut appareat etiam navali bello illos vicisse. *Donat.*

187. *Quirinali lituo.* *Lituus* est incurvum augnrum bacnlum, quo utebantur ad designanda cæli spatia : nam mann non licebat. *Quirinalem* autem ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit ; nam tunc adhnc non fuerat Romulus : vel *lituum*, id est, regium baculum, in quo potestas esset dirimendarum litium. *Serv.*

188. *Succinctus trabea.* Toga est augurum, de cocco et purpura. *Trabea*, vestis erat, quæ quasdam tanquam discolores pannorum trabes habebat; propriamqne fuisse equitnm, non etiam regum, ducum, vel augurum, docet, contra Grammaticos, Lipsius Annal. Taciti lib. III. *Parvam* autem vocat, aut vere talem; ant non magni pretii, pro sæculi frugalitate. — *Ancile;* seutum breve : regnante Numa, cælo hnjusmodi scutum lap-

bat lituum in dextera; in sinistra ancile. Est hic, inquit poeta, Picus ille, Latini avus, quem Circe in avem mutavit, quod ea ab illo sperneretur, cujus amore flagrabat. Porro verba illa de lituo, et trabea Agellius, et Macrobius ad hunc modum explicant, ut dicat poeta: Picus erat cum lituo, sedebatque succinctus trabea; nam alioqui concipi non posse, ut esset succinctus lituo: istæ enim voces, *est*, *erat*, *fuit*, absunt sæpe cum elegantia. Non multum abest explicatio Turnebi lib. XXX, cap. 5.

192. In hoc igitur templum vocati sunt Trojani; sedebat Latinus in solio, ac prior humanitatis suæ, et benevolentiæ loquendo signa præbuit.

195. Ait Latinus, scire se et urbem Trojanorum, et illorum genus: itaque non incogniti accedunt ad Italiam, immo *auditi*.

197. Tria rogat, quid petant? qua causa illuc appulerint? cujus rei inopia coacti? Indicant hæc appellentium voluntatem, quasi ipsi alicujus rei egentes illo accesserint: quæ sequuntur, necessitatem.

199. Id enim naufragis sæpissime solet contingere, ut vel ignoratione maris, vel tempestate, quo nolint accedant: ergo si inviti accessistis, aut errore, aut tempestate, ne fugite hospitium.

202. Invitat ad hospitium; quod ut velint, commendat gentem Latinorum ab imagine vitæ aureæ, quam adhuc retinent, et quam accepere a Saturno: quam vitam conservant, non coacti legibus, aut vinculis, sed voluntate; quæ res maximam justitiam indicat. Gens, inquit, nostra, æqua est et justa, non vi, non vinculis, aut legibus; sed sua sponte.

sum est: et data responsa sunt, illic fore summam imperii, ubi illud esset. Quod ne aliquando posset auferri, aut ab hoste cognosci, per Mamurium fabrum multa similia fecerunt: vide inf. not. 664. Septem fuerunt paria, quæ imperium Romanum tenerent: Acus matris Deum, Quadriga fictilis Veiorum, cineres Orestis, sceptrum Priami; velum Ilionæ, Palladium, ancilia.

194. *Placido prior edidit ore.* Bene *placido*: legatorum enim fuerat, ut ipsi ante loquerentur. Sic in secundo Æneid.: « Ultro flens ipse videbar. » *Serv.*

197. *Quid petitis.* Confert Macrob. V, 8, hunc locum cum Homerico ex Odyss. Sed Scalig. Poet. V, 3: quanto, inquit, barbara Polyphemi persona inferior est regia majestate, tanto versus nostri Græcis illis compositiores: nam recte primum quæritur, Quare venerint? deinde ipsemet venatur caussas: Necessarium, Utile, Fortuitum: et signate omnia illa ponuntur; *multa*; et *patiuntur*; et *alto*:

205. Ut quærat Latinus causas hospitii, repetit quæ ab Auruncis senibus jactari sciebat; videlicet Dardanum natum fuisse in Italia, et inde navigasse ad Phrygiam, et ad Samon.

209. Maxima Dardani commendatio, et quæ tota in Italiam redundat; nam qui profectus est ab Corytho Hetruscorum, jam cælo fruitur, augens Divorum numerum.

213. Incipit Ilioneus a commendatione Latini, laudans a patre Fauno. Latinus quæsierat, an decepti viarum errore, an coacti tempestatibus illuc Trojani appulissent: neutrum, ait Ilioneus; neque enim tempestas nos coegit, neque decepit viarum error.

216. Appulimus huc nostris animis; tua hæc regna volentes petivimus, nostris expulsi, quæ olim florentissima, atque ita magna, ut statim Sol primo ipso ortu illa intueretur.

219. Ab Jove principium generis, quia Dardanus filius fuit Jovis, et Electræ: hinc *pubes Dardana*, id est, Trojani habent Jovem avum: inde etiam factum, ut Æneas, qui nos ad te misit, sit *de gente suprema Jovis*, quia *Troius*, et ortum ducens

nulla enim spes ibi uisi a Fortuna.

205. *Fama est obscurior annis.* Ac si dieeret; uisi esset, jam vos sciretis. *Serv.* — Scaliger ita explieat: « Haud ita multi sunt anui, sed fama pervagata nou est. »

206. *Auruneos ita ferre senes.* Apnd veteres historiæ hoc genus fuit, ut majores natu anteaeta posteris indicarent: quod hic indicat locus. Lucauus apertius, quum esset de Antæo narratus, ait, Cognita per multos doenit rudis iucola patres »; quia adhuc uee aunales erant, nec historiæ. *Aurunei* vero, Italiæ populi antiquissimi fuerunt. *Ferre* autem, quasi eum ostentatione jactare. *Serv.* — *His ortus ut agris*, etc. Adstruit, inter Trojanos et Italos uullum generis esse diserimen.

207. *Dardanus.* Jam explicat qnod proposuerat, quum dixit: « Dicite, Dardauidæ. » — *Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbes.* Quia erant et Cretæ, addidit *Phrygiæ*, ad diseretiouem. *Serv.*

213. *Rex.* Conciliatio ab houore, iude a genere. *Serv.* — *Rex, genus egregium;* quum se beuevolum ostendisset Latinus, nou multum laboravit iu texendo exordio Ilioneus, uec tameu peuitus omisit. *D.* — *Genus.* Notetur locutio poetica pro filio; uam Latiuus filius fuit Fauui. — *Fauni.* Uude hoc coguovit Ilioneus? uempe ex simulacris, quæ erant iu vestibulo. Brevissime autem amplectitur quæcumque dixit Latinus; uec potuit in tanta brevitate magis extollere geuus Trojanum. *Donat.*

218. *Extremo veniens.* Id est, primo: uam alias *rediens* diceret, uon *veniens*. Serv. — *Sol aspiciebat.* Usitatum poetis, aliis etiam ad explicaudam magnitudiuem Imperii alicujus recurrere ad cursum Solis.

220. *Suprema.* Ut enumeratione majorum ipse videatur fiuis, pro-

a Dardano; et notes corrigi tacite Latinum ab Ilioneo: ille initium Trojanorum ab Dardano petiverat; hic ab Jove repetit.

222. Rogaverat Latinus causam viæ: accipe, ait legatus. Quis est, qui ignoret bellum Græcorum contra Trojanos? quis nescit cladem illam, quæ instar diluvii ab Europa, ubi est Græcia, in Asiam, ubi est Troja, sævissime permanavit, urgentibus ad tam dirum bellum fatis? *Actus orbis*, est, collisus.

225. Nemo profecto hoc ignorat, etiam illi, qui habitant ultra Oceanum, qua se ille refundit late; etiam illi, qui degunt sub ardentissima zona, quæ sita in medio aliarum quatuor, solem habet iniquum, id est, ferventem, et intemperantem: ita vero hoc dicit, ut dubitet, an his locis sit gens aliqua.

229. Ergo post bellum illud, et post tot maria permensa, sedem petimus, ubi sint Dii nostri; litus aliquod, ubi aliqua civitas: demum id, quod negari nequit ex jure gentium omnium, videlicet aquam et aerem: ita satisfacit illis; *quid petitis?*

231. Nihil a nobis indecorum timete: fama vestra maxima erit; gratiæ nostræ erga vos æternæ: non pigebit vos excepisse Trojanos hospites.

pinquior causa ostenditur Æneas, quia nepos erat Jovis. *Donat.*

222. *Quanta per Idæos.* Ad illud respondit: « Auditique advertitis æquore cursum »: id est, Non mirum est hæc te audisse, quæ universus orbis agnovit. *Serv.* — Ut commiserationem concitaret, narrandæ erant calamitates; sed removendæ erant moræ, ut quamprimum legationem exponeret: ergo breviter illa tangit. *Donat.*

224. *Fatis.* Per transitum et Trojanos eximit culpa, et Græcorum deterit laudem. *S.* — *Orbis Asiæ*, et *Orbis Europæ*, dicitur, ut a Marcellino *Orbis Eous*, et *Orbis Occiduus*, pro imperio Orientali et Occidentali: et *Orbis Rom.* pro imperio Rom. Turn. XXX, 5.

226. *Summovet*; id est, si quis procul habitat. Est hoc quod statim, « si quem dirimit plaga Solis »: et quod de Britannis, « toto divisos orbe. » Itaque *summoveo, dirimo, divido*, in poeta idem sunt. — *Et si quem extenta plagarum Quatuor.* Audierunt etiam illi qui separantur Zona ea, quæ est in medio quatuor, id est, fervens. Significa autem Antipodas. *Serv.*

228. *Diluvio ex illo.* Ex illa vastitate, non bello: nam ex bello aliquid remanet, ex diluvio vero nihil; nam omnia tollit. *Donat.*

229. *Dis sedem exiguam.* Facilem et honestam petitionem ostendit. Ex commemoratione autem Deorum, etiam hominibus petere videtur: namque numinibus præbentur sedes cultore neglecto. *Donat.* — *Litusque rogamus Innocuum.* Non quod nulli noceat; sed cui vindicato nullus possit nocere. Aliter serpentes *innocuos* dicemus. *S.*

232. *Levis.* Nec pro levi ducimus, quicquid præstiteris. — *Abolescet.* Abolebitur: et usus est inchoativa

234. Adjurat per dextram Æneæ, seu pace fidam, seu bello acrem, se a multis populis expetitos, volentibus affinitatem et amicitiam cum Trojanis contrahere.

239. Aperit jam clarius illud de fatis, quod tantum attigerat: fata nos cogunt in hanc terram; nam Dardanus, qui auctor nostri generis, cogitur ab Apolline huc redire, quia hinc egressus est in Asiam. Illud, *huc repetit*, est, in hanc nos terram Dardanus revocat, et quasi vindicat.

243. Offert demum Latino regi Æneæ munera; videlicet aureum poculum; ornamentum capitis; sceptrum; tiaram; vestes pretiosissimas; commendat omnia ab Anchise, ab Priamo, a Trojanis feminis.

249. Obstupuit Latinus audito Ilioneo: stuporis hujus sunt notæ aliquot, videlicet defixio oculorum in terram pertinaci quodam obtutu: nam *tenet ora*, et *hæret*, et *immobilis in solo*.

forma, quum opus non esset. *Serv.*

234. *Fata per Æneæ juro.* Quem jam novit Latinus, oraculo scilicet Fauni; per quod audivit, « Externi veoieut generi. » — *Sive fide, seu quis bello est expertus et armis.* In his enim dextera comprobatur fide et virtute. Laudat fidem, quæ necessaria est in societate regni. Vides in hoe versu dextram et fide bonam, et bello acrem: ita Tullius in Orat. pro Dejotaro vocat Julii « dextram, non tam in bellis et io præliis, quam in promissis et fide firmiorem. »

237. *Vittas.* Quæ pendebant in ramo religatæ: alibi, « Et vitta comptos voluit prætendere ramos. » *Serv.* — *Ac verba precantia.* In codicibus plerisque veteribus legere est, vel *et*, vel *ac verba precantia*, hypermetro versu. Quoniam vero noo temere credendum tot in eodicibus *precantia* seriptum esse, eam ego lectionem minime rejeeerim: suot tamen qui *precantum* leguot et *proferimus*.

243. *Dat præterea.* Qoomodo *præterea*, quum nihil prius dederit? Sed sie conjunge: misit oos ad te Æneas, et *præterea*, id est, ultra, ad id quod misit, dat muoera, parva respectu prioris fortunæ. — *Fortunæ parva prioris.* Bene medium tenuit: nam, ne laudare videratur, ait *parva*; ne deformare (nam dorum est aliquid ab infelicibos accipere) ait, *fortunæ prioris*. Serv.

247. *Sacerque tiaras.* Pileom Phrygium dicit: et sciendum *hic tiaras* per usurpationem dictum: nam *hæc tiara* dicitor. Melios ergo Juvenalis: « et Phrygia vestitor bucca tiara. » *Serv.* — *Tiaras.* Pileus est qoo Phrygas utuntur, qoom eelebrant sacra: uode *sacrum* dixit. *D.*

248. *Iliadumque labor vestes.* Eadem significatiooe πόνος etiam aeeipitur: unde et χρυσοπόνητα φάρεα Euripidi. Solebant matronæ texere vestes suas: ita Augustos « nulla oisi domestica veste usus est, ab oxore, et sorore, et filia, neptibusque eonfecta », ot Suet. in ejus vita eap. 73, ad quem locum coosulcodus Casaubooos.

Si quando vero oculos convertebat, ut necesse est, semper intentissime. In hoc stupore subiit Regem altior quædam cogitatio; nam nec sceptri quidem memor, aut purpuræ, nocte tantum nuptias meditabundus versabat.

254. Volvebat etiam secum oraculum, quod a patre audierat, et reputabat, an Æneas esset gener ille externus ad imperium Italiæ vocatus, futurusque egregiæ sator sobolis.

259. Erupit post longam cogitationem in vocem, qua, præmisso prius Deorum auspicio, promittit Ilioneo non solum quæ petiverat, *exiguam Diis sedem*, *litus innocuum*, *undam*, *auram*, sed ubertatem agrorum, opulentiam Trojæ. Qua pollicitatione quid majus? Τὸ *tandem* indicat longam satis cogitationem Regis. Ait, *lætus*, quia prius, ut hærens, atque defixus nondum vultum ad lætitiam explicaverat.

263. Hoc facto, Æneam amicissime per legatum invitat, ut se adeat, ut contingat dextram, nihil ut timeat; donec major accedat fœderis auctoritas, auspicemur concordiam ab innexione manuum: hoc sane erit pars pacis.

267. Mox quæpiam signate mandat, quæ velit ad illum referri; videlicet sibi esse natam, quam oraculis admonitus debeat externo viro nuptui dare; existimare se, et optare hunc esse Æneam.

274. Habebat Latinus equos tercentos; ex his centum dedit

259. *Di nostra incepta secundent.* Secundum priscam consuetudinem locuturus de publica utilitate, id est, pace, et de regiis nuptiis, facit ante Deorum commemorationem, sicut in Catonis orationibus legimus.

260. *Augurium.* Propter ea quæ dicta sunt supra. — *Trojane.* Nam nomen Ilionei ignorabat. — *Quod optas.* Id est, pax. Brevis, sed plenissima promissio. — *Nec sperno.* Quia dixerat, «fortunæ parva prioris Munera.» Et est Liptotes: id est, libenter accipio. *Serv.* et *Don.*

266. *Pacis erit.* Fœderis; ab eo quod sequitur, id quod præcedit. — *Tyranni.* Græce dixit, id est, regis: nam apud eos tyranni et regis nulla discretio est: licet apud nos incubator imperii, *tyrannus* dicatur. Hoc nomen posterioribus sæculis infamatum est: nam reges quoque *tyranni* dicebantur. Aristoph. in nubibus Jovem vocat θεῶν τύραννον: et in Plut. *Διὸς τυραννίδα.*

268. *Est mihi nata.* Male multi arguunt Virgilium, quod Latinum induxit ultro filiam pollicentem: nec oraculum considerantes, quia Italo dari non poterat; nec Æneæ meritum, quem decebat rogari: nam antiquis mos fuit meliores generos rogare. Verecunda oblatio, et adversus omnem exprobrationem munita.

269. *Sortes;* modo abusive pro oraculis posuit: nam non proprie dicuntur, *sortes;* hic autem a Fauno oraculum, non *sortes*, acceperat. *S.*

dono legatis : nam centum Æneas miserat : describit vero poeta studium Latini ex circumstantiis : nam quum omnes essent *nitidi*, id est, pingues, tamen meliores *eligit ex omni numero :* deinde *extemplo*, ut signetur regis alacritas in dando: tertio, ex ornatu equorum ; nam illorum stramenta erant ex purpura, cui admista pictura acus ; monilia eorum aurea, et fræni aurei.

280. Circe Solis filia mortalem equam submiserat uni equorum Solis, unde sobolem creaverat : ex hac ergo plures equos quum haberet Latinus, duos ad Æneam misit una cum curru, eo videlicet consilio, ut Æneas vectus cum dignitate veniret ad socerum.

284. Redeunt legati lætissimi, quippe cum donis, cum dictis, cum equis, cum pace.

286. Eo temporis puncto, quo legati lætissimi redibant cum equis, donis, pace, forte tum Juno per auras ab Argis in

278. *Demissa monilia pendent.* Suspendenda pronuntiatio est : et ambitus major est ; nam *monilia* non nisi hominum dicimus: quæ nunc ad laudem pro phaleris posuit. *Serv.* — *Monilia* Ornati in formam mulierum : mirum autem benevolentiæ in Trojanos signum : nam qui pedites venerant, non debebant ad futurum generum nisi equites redire. Æneæ vero mittit bigas, honoris virtutisque causa; *honoris*, ut curru vectus, ad socerum eum dignitate veniret : *virtutis*, quia currus et equi instrumenta bellorum sunt : et ne ad generum potentissimus rex leve donum mittere videretur, equos mirifice laudat. *Donat.*

282. *Patri quos dædala Circe.* Ingeniosa : et hoc fingit eam fecisse. — *Dædala*, vel a δαιδάλλειν, id est, artificiose facere, aut variegare, vel ab ingenioso illo Cretensium fabro *Dædalo.* Ita Lucret. dicitur *Dædala tellus*, a varietate illa rerum : et *Dædala Minerva*, a varietate artificiorum, Ennio : eidemque Lucret. « Dædala verborum lingua » : et, « Dædala signa polire » : item « Dædala carmina », etc. Quoniam autem supra fidem et naturam est, equos hosce de genere Solis esse, ideo prudenter Deæ facinus hoc attribuitur. Vide Scal. III, 3 et 4, ubi locum hunc a reprehensione Criticorum vindicat : quippe eadem ratione potuit Circe suffurari semen equorum, qua solis esse filia. *Taubm.* — Macrobium etiam consule, lib. VI, c. 6.

286. *Inachiis sese referebat ab Argis.* Bene *Inachiis :* non enim una est Argos : fuit enim et in Italia, quam Diomedes condidit : quæ primo Argi, post Argyrippa, post Arpi dicta est : fuit et in Thessalia. Et notandum, quod ubi bonus sequitur eventus Trojanos, Juno removetur : et congrue, quasi numen inimicum, quod præsens posset nocere. *Serv.* — Argos hic est Peloponnesi oppidum, Junoni carissimum ; Æneid. I, 19 ; 288.

Italiam, ut credi potest, remeabat: ac tum ab Pachyno promontorio Siciliæ Æneam vidit lætum jam ex appulsu in Italiam, classemque intra portum receptam. De hac mirabili peripetia vide notam 286, tom. III, p. 285.

290. Vidit præterea Æneam jam fundantem arces, attollentem tecta, quum classem reliquisset in portu: ac tum acriore, quam credi potest, doloris vulnere transfixa, gradum continuit, et commoto sæpius capite locuta est indignabunde: illud *fidere terræ* explico, non se gerentem ut hospitem, sed versantem uti in terra propria, qua videlicet fiducia esse quis inter suos potest: illud *effudit* notat habitum effutientis omnia præ iracundia, quasi nihil retinuerit, sed omnia dixerit: nam ad quod tempus magis aptum servaret iracundiam Juno?

293. Incipit a contemptu, *heu stirpem invisam:* mire *heu*, quasi vocem gemitus anteverterit, quod signum est altissimi doloris, ait Donatus. Pergit ab indignitate rei, *fatis contraria nostris Fata Phrygum.* Est quippe indignum fata hominum directe opponi fatis Deorum, et illa his adversari: immo hæc ab illis superari, quod ostendit per ecphonesin: nam capti, evaserunt; Troja incensa, non sunt cremati: neque ferrum, neque ignis aliquid profuerunt; nam per ferrum, et per ignes invenerunt viam, non fugam: itaque recessisse a Troja videntur potius, quam fugisse. Convertit deinde sermonem ad se per ironiam. Putent me fessam? putent odiis exsaturatam? non sic est: exsurgo in novas iras, in nova odia.

299. Enumeravit primum periculum belli, quod evaserunt Trojani: pergit ad alterum maris. Dixerat, *invenere viam per acies, per ignes;* corrigit hoc: non invenere ipsi viam, immo ego illos excussi patria, ac feci profugos; et excussos ausa sum sequi per undas omnes infestissima. *Ausa*, quia contra fata, et quia in regna non meæ ditionis, sed Neptuni: utraque enim magna est audacia; et non tam illis tempestates, quam me

293. *Heu stirpem.* Oratio pathetica: cujus initium ab ecphonesi abruptum est: neque etiam convenit indignantes leniter incipere: tota enim stricta sententiarum brevitate, crebrisque figurarum mutationibus, velut inter æstus iracundiæ, fluctuat. Videatur Macrob. IV, 2. *Taubm.*

295. *Capti potuere capti.* Cum felle dictum est: nam si hoc removeas, erit oxymorum. Dicit autem omnia, quæ contigerunt, non videri contigisse, quia non obfuerunt. *Capti* autem *capi* sic dixit, ut Cicero, « Ut in uberrima Siciliæ parte, Siciliam quæreremus. » *S.* — Hoc est desumptum ex Ennio, An. X.

opposui, si possem retardare. Sed ecce nihil omnia profuerunt; nam vires Junonis, cæli, maris, Syrtes etiam, Scylla, et Charybdis, omnia ista minora sunt illis. Ideo concludit: habent quod optabant, *conduntur in alveo Tybridis*, *securi pelagi*, *securi mei*, quæ per pelagus infestissima sequuta illos sum.

307. Ut se ad majores iras exacuat, adhibet argumentum a minoribus numinibus Marte, et Diana, sicuti in primo Æneid. ab Pallade: et sicuti ibi ad naufragium proposuit vastationem naufragii, quo absumptus est Ajax; ita hic ad bellum Latinum inchoandum proponit vastationes bellorum, quibus Lapithæ absumpti sunt a Marte, et Calydon a Diana. Fabulæ, quas attingit, Serviano filo istæ sunt. Pirithous Rex Lapitharum vocavit ducens uxorem ad convivium et Centauros, et Deos reliquos excepto Marte; hic iratus furorem immisit, quo se Centauri et Lapithæ confecerunt. Œneus Calydonis Rex de primitiis sacrificavit numinibus reliquis, Diana excepta; hæc irata aprum immisit, quo vastata est Calydon. Ergo, ait, Mars perdidit Lapithas, asseusit Juppiter Dianæ iris ad vastandam Calydona, quum tamen non tantam pœnam aut Lapithæ, aut Calydon mererentur. Hic enim *scelus* pro pœna posuit, interprete Servio, ut secundo Æneid. *scelus expendisse merentem*.

308. Accommodat rem. Diana, et Mars atrocissimas pœnas exegerunt in minore culpa; ego vero, quæ *conjux Jovis magna*, *vincor* non a Lapithis ferocissimis, non ab integra urbe Calydone; sed ab uno *Ænea*, quæ tamen *potui*, non minus atque illi, *nil inausum linquere; quæ me in omnia verti*, ut illos perderem; sed satis infeliciter, quum nihil profecerim. Pergit hunc in modum: si ita jam constitutum est, ut nihil ipsa pos-

302. *Aut Scylla mihi*. Bene *mihi*: ac si diceret; etiam quæ per suam naturam solent nocere, me rogante, non potuerunt obesse Trojanis. *Serv.*

304. *Mars perdere gentem*. Bene belli et vastationis quærit exempla in rebus hujusmodi; a quibus iras suas accendit, et ostendit minores Deos ad plenum se defendisse: comparat causas, delicta, et personas.

305. *Concessit*. Ideo dixit, ut ostenderet minora numina, nisi impetraverint, nocere non posse. Statius de Venere, « Infandum natæ concessit honorem. » *Serv.*

309. *Quæ potui infelix*. Id est, nocens, irata: ut contra; *sis felix*, id est, propitia. *Serv.* — *Nil linquere potui*. Pro, nihil inausum reliqui. Elegans verbi *Possum* usus; de quo plurima G. Canterus Nov. Lect. II, 2. *Taub.* — *Memet*. Multum efficax, ait Scaliger: ita Catullus: « Conjugis infido consoler memet amore. »

310. *Vincor ab Ænea*. Nomen

sim, implorabo auxilia omnia, quæ ubique locorum sunt, videlicet infernum contra cælum, inferni numina contra Superos: et præclare de Diis, *flectere;* de inferno, *movere:* illud suadelæ ad Deos prudentes, istud moliminis ad Deos barbaros.

313. Esto; fatales sint nuptiæ Laviniæ cum Ænea, neque hunc possim prohibere Italia, tamen (aperit jam hic animi iniquitatem, quum aliter nequeat contra Trojanos munitos fatorum vi) traham nuptias, moras belli interponendo: licebit saltem vastare, atque exscindere utramque gentem, Trojanam et Italam mutuis cædibus: coeant gener Æneas, socer Latinus hac mercede, damno populorum suorum: vide, an major iniquitas fingi queat; ut noceat Trojanis, vult suis nocere.

318. Convertit se ad Laviniam, quam dotari sanguine, et cujus vult esse pronubam Bellonam. Nota hic miram emphasin: non ego ero pronuba, quæ Juno sum, et ad quam hoc muneris spectat; sed Bellona. Pergit, et addit argumentum a simili: Hecuba filia Cissei vidit se facem parere, et Parin peperit, quæ causa incendii Trojani; ducta Helena in matrimonium. Ergo, ait, non tantum Hecuba enixa est ignes in perniciem Trojæ, face illa, id est, filio, quem habebat in utero: sed Venus quoque peperit partu simili Æneam; hic enim alter est Paris: ac proinde iterum tædæ et flammæ comparantur funestissimæ in Pergama, quæ denuo exsurgunt, et recidiva restaurantur. Itaque comparat Hecubam Veneri, Parin Æneæ, Helenam Laviniæ: vocat Parin *ignes jugales*, id est, conjugales; conceptos utique matrimonii jugo, et ex conjugio.

proprium pro convitio posuit: quasi dicat, ab uno, eodemque vitiosissimo. *Donat.*

316. *At licet amborum.* Magnum factiosæ inimicitiæ consilium, ut dissiparet populos, quum regum concordiam non posset rumpere. Convertitur autem ad virginem, veluti ipsa cum Ænea aliquid egisset. *Donat.*

318. *Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo.* Ambitiosæ exsecrationes. *Serv.* — *Bellona pronuba.* Crudelitatis scilicet Dea: pronubæ dicuntur, quæ sunt in obsequio nubentis. *Donat.* — Προμνήστρια, νυμφεύτρια. Ita Lucan. lib. VIII, Cornelia: « Bis nocui mundo: me pronuba dixit Erinnys. »

321. *Idem.* Talis, similis. — *Et Paris alter.* Mira contumelia in Æneam, qua vult Juno illum similem fore Paridi delicato, molli, libidinoso; ducta ex Euripide in Troadibus, ubi Tragicus similia dat verba Andromachæ ad Hecubam.

322. *Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.* Sic tædæ recidivæ, ut Pergama. *Recidiva Pergama* quidam dici putant, quod bis reciderint: semel ab Hercule, et iterum ab Agamemnone; quæ Eu-

323. Vix Juno minas absolverat, quum pari furore commota, ac tota præ iracundia horrens, terras petiit, et infernum, ut inde Alecto excitaret, unam e tribus sororibus: huic dat luctum, bella, iras, insidias, noxia omnia crimina: nam videlicet Juno ad eam iniquitatem, quam animo meditabatur, omnibus his pestibus indigebat.

327. Hanc furiam tot malis scatentem, tot criminibus fœcundam, ipse etiam Pluto, ipsæ sorores odio habent: ratio hujus odii, quia ea in omnes malorum forma mutabilis est, et quantis opus est ad omnia mala serpentibus pullulat: ea videlicet est mali natura, ut mali quoque illud oderint.

330. Ad hanc igitur ita Juno acuens ad iras: nihil a te alienum peto; proprium tuum est nocere: impende mihi, (dicit *da*, imperans), hunc laborem. Ratio, cur velit uti industria hujus Furiæ: ne meus honor, aut fama periclitentur. Quid vero petit? disturba nuptias Æneæ cum Lavinia; fac ne Trojani in Italia sint: sed *Æneadæ*, ait, non Æneas, ut signet alios Trojanos, qui pari exemplo, immo necessitate, ut in aliena terra, nuptias etiam ambirent. Sic supra; *Externi venient generi*, non, gener.

335. Amplificat numerando Furiæ mala: naturalis est fratrum concordia; hanc tu naturam potes evertere: naturale est, ut quos unum domicilium conjunxit, conjungat amor: hunc quoque amorem convertere in odium potes: nullum est

ripid. in Troadib. παλιμπετῆ vocarit. Quidam sumptam arbitrantur metaphoram ab arboribus, quæ aliis sectis repullulant, ut hic ea sint *recidiva Pergama* quæ a reliquiis Trojanorum renoventur; tanquam ἀνασυόμενα, παλιμσυῆ et παλιμπλαστῆ: quæ Serv. Æn. X, 57: *renascentia* interpretatur: sed malo propter mensuram secundæ syllabæ brevem a *cado* quam a cædo derivari *recidiva*.

324. *Luctificam Alecto*. Græcus accusativus est. Hujus autem declinationis tres tantum casus usurpamus, genitivum, ut *Alectus*, nominativum, et accusativum, ut *Alecto*. S.—G. III, 552; Æn. VI. 572.

327. *Odit et ipse pater Pluton*. Venerationis est *ipse pater*: nam Furiæ, Acherontis et Noctis sunt filiæ. *Serv.* — Sic et Ditem patrem Cic. de nat. Deor. vocat. « Terrena autem res omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui dives, ut apud Græcos πλούτων, quod recidant omnia in terras, et oriantur e terris. »

335. *Tu potes unanimos*. A majore ad minus. *Serv.* — Scilicet et σύγγονοι ἐριννὺς Æschylo notantur. Celebris fuit ara concordiæ fraternæ apud Græcos, et Agathium Ep. lib. III, cui βωμὸς ὁμοφροσύνης. — *Armare in prælia fratres*. Ge. II, « gaudent perfusi sanguine fra-

tectum tam munitum; nulla domus, quam tu non verberibus et facibus furoris ad funus, et exitium perducas. Ratio; nam *tibi nomina mille, mille nocendi artes;* id est, nullum est facinus tam abominandum, quod ipsa non concipias. Sequitur conclusio : ergo *concute pectus* malorum *fœcundum :* sed inter tot mala; quibus fœcunda est, mihi nunc necessaria sunt ea crimina, quibus disjicienda pax, serendum bellum : itaque juventus *velit arma* animo ; *poscat* voce ; *rapiat* manu ; et *simul* omnia. Vide, ut instet!

341. Paret statim Furia pestibus omnibus malorum munita, non aliter ac si secum afferret venena, et serpentes Gorgonum, petit Latium ; e toto Latio urbem Laurentem ; e tota urbe Regiam Latini ; e tota Regia Amatæ limen ; hoc obsidet tacite insidiabunda.

344. Ratio cur ad Amatam primum diverterit; nam illa ardens, et curis et iris coquebatur, dolens Teucros advenisse, dolens disturbari Turni nuptias : hi duo versus sunt oppositi : adventus quippe Trojanorum curas ingerebat, disturbandæ nuptiæ iras : hic nullus est perversus ordo, ut quidam volunt ; nam quod Amata tota intus coquebatur curis, tota iris ardebat, neque se curæ illæ, aut iræ adhuc manifestaverant ; ideo supra, *tacitum limen :* quasi dicat ; nullis dum minis atria illa constrepebant ; quieta erant omnia ; tantum dolor, et ira intus.

346. Quid ergo Furia ? Anguem unum, habebat quippe angues pro crinibus, in illam conjicit ; signat locum, *in sinum ;* non satis, *in intima præcordia :* dat rationem ; ut Regina agitata hoc monstro, domum omnem furore permisceat : per hunc anguem intellige aliquam mentis affectionem ; puta errorem, deceptionem, insaniam.

349. Insinuat se illico serpens in vestes feminæ ; in corpus ; sed, *nullo attactu,* quia non sentiebatur : nam lapsu molli vol-

trum. » Claud. in Ruff. I, ubi de Megæra dicitur : « Non, nisi quæsitum cognata sede cruorem, Illicitumque bibit, patrius quem fuderit ensis, Quem dederint fratres. »

337. *Tibi nomina mille.* Quot enim facies scelerum, tot ipsi et nomina : in precationibus autem, cujus Numinis potentia magna erat, ejus vires commemorabant, et pro officiis nomina attribuebant, quorum enumeratione dignitas Dei crescere videbatur. Vide Turneb. XI, 19. *Taubm.*

340. *Velit.* Plus, *velle,* est, quam cogi. *Velit* primo, deinde poscat, et si non detur, rapiat : nam rapit, qui sine jubentis auctoritate invadit.

350. *Attactu nullo.* Sine morsu, sine sensu. *Serv.* — Hanc anguium insinuationem nullo sensu corpo-

vebatur : sic fallebat furentem, id est, sensim agens in furorem : sic fallebat, quia spirabat vipereum halitum. Vocat Amatæ *pectus leve* servata vicissitudine ad serpentem, qui *lubricus;* qui *lapsus;* qui *attactu nullo.* Redit serpens ab intimis præcordiis; et in aurum versus, fit torques circa collum; vitta circa comas; ut ita erret per omnes partes miseræ. Præclare *tortile aurum* cum allusione gemina, videlicet et ad torquem colli, et ad serpentis naturam; ille enim tortilis.

354. Nondum in ima viscera venenum serpentis penitus influxerat; nondum animus flammis caluerat, ac proinde neque Amata furore omnia permiscuit; sed egit mollius, et ut sanæ solent feminæ, tantum lacrymis, et rationibus.

359. Prima ratio, cur non debeant conjungi matrimonia cum Trojanis. Lavinia tua, ac proinde unica *datur,* non petitur, quod solet fieri, in matrimonium *exulibus.* Quid hac re deformius? vere *datur ducenda exulibus :* quasi dicat : qui exules sunt, et in perpetuo errore, ducent quo volent, te deserent : non istæ erunt nuptiæ; sed transcriptio miseranda filiæ. Ludit quippe poeta in ambiguitate verbi *duco;* ac proinde concludit; *nec te miseret natæque tuique :* quia non es illam visurus am-

ris Ovid. Metamorph. IV, ita imitans expressit his versibus, « Inoosque sinus, Athamanteosqne pererrant, Inspirantque graves animos, nec vulnera membris Ulla ferunt; mens est quæ diros sentiat ictus. » *Cerda.* — *Fallitque furentem.* Injicit furorem sine accipientis sensu. *Furentem* autem, quod furore teneatur : nam nondum furebat. *S.*

357. *Solito matrum de more locuta est.* Nondum ad plenum furebat : unde per muliebrem iracundiam mista asperitate loquebatur; nam hoc est *matrum de more :* paulo post enim furore quatietur. *S.*

359. *Exsulibusne datur.* Propter dissuasionem figurate loquitur, ex*sules* vocans eos, qui propria regna repetebant. *Serv.* — Non fuit utendum principio : nam nec benevolus reddendus erat, qui esset pater : nec attentus, qui de re esset sollicitus : nec docilis, quum causam sciret. Incipit ergo a quæstionibus deformans negotium : et ita agit cum marito, quem revereri oportuit, ut suadere potius quam reprehendere videatur. Sunt ergo argumenta : nullus postulat : pater ingerit : erit in navi thalamus filiæ, quando datur ei, qui perpetuis erroribus damnatus est : omnis vita ducetur in fluctibus : nulla conjugis gratia, nullum decus uxoris, quam pater non tradidit, sed abjecit non amplius visuram : ergo non propagatio sanguinis, sed orbatio est, et domus nostræ solitudo perpetua. Antea autem gesta exempla sunt perfidiæ ipsorum : est autem maximum scelus rumpere fidem Turno : responsa Deorum sunt cum maxima cautela consideranda, quia implicita sunt et involuta. *Donat.*

Un oracle dit-il tout ce qu'il semble dire?

plius; nec te mei miseret; nam qui est exsul, et perpetuus erro, perfidus exinde erit; alta petet; virginem secum auferet immanissimus prædo; relinquet me, quum primum venti flare cœperint.

363. Firmat domesticis exemplis, et revocat recentem memoriam Paridis, qui *pastor*, (quid faciet miles?) Helenam rapuit, nullo jure hospitalitatis servato, filiam Ledæ, ac proinde Regali matre genitam, vexitque secum ad Trojam, qua audacia nulla major : hæc ratio eo tendit, ut probet, faciliorem fore Æneæ hanc rapinam, quum illi Latinus filiam in manum tradat.

365. Sequitur altera ratio : regat te Fides, quæ magna est virtus, et tuorum cura, et data dextera Turno consanguineo : quasi dicat; partes sunt Fidei, tuorum curam gerere; consanguinitatis jura servare; servare religionem datæ dexteræ non semel, sed sæpe.

367. Posset objicere Latinus, danda est externo : diluit hoc Amata : externus est, qui a tuo Regno et potestate discretus est : is est Turnus; nam tametsi in longinquis oris non natus, tamen ditionis tuæ non est. Itaque argumentum positum est in nova notione, et explicatione hujus vocis *externus* : deinde confirmat : nam Turni majores sunt Inachus, et Acrisius Reges Mycenarum. Huic ergo ex paterno oraculo danda est filia; nam hic vere est externus : non Æneæ, qui exsul. Aliud latenter agit Amata, ne videlicet Æneæ detur, qui vere Italus, ut qui a Dardano originem duceret. Absolvo breviter, quæ pertinent ad natales Turni, quos hic attingit. Inachus, et Acrisius fuere Reges Argivorum, diverso quisque tempore; et constans erat fama, aut ab illo, aut ab hoc duci Turni originem : ab Inacho obscurior, tantum propter colonias missas ab eo Rege in Italiam : ab Acrisio clarior; ferebatur quippe Turnus natales ducere ab Danae filia Acrisii, quam pater in arca inclusam in mare abjecit, quæ appulsa in litus Appulum, ducta est ad Regem Pilumnum, qui eam in uxorem accepit, unde natus Daunus pater Turni. Porro de Danae inclusa in turri, et ibi prægnante a Jove in aurum verso, quæ causa fuit erroris, undecumque suppetet notitia. Videndus est Excursus septimus, vol. III, p. 381—386; de Turni origine.

373. Non expugnatur rationibus illis Latinus; stat non aliter, quam rupes prætenta fluctibus. Interim serpentis lues

362. *Prædo*. Quasi piratam dicit, hominem diu in mari morantem. *S.*

lapsa jam penitus in viscera, totam Reginam occupat, erratque non jam per cutem, sed per ossa et venas; ac tum vix credas quibus monstris excitaretur, uti per urbem fureret. Sunt hic *monstra* imagines illæ, quæ Reginæ animo objiciebantur, afferente dolore illa phantasmata. *Sine more*, est, sine exemplo, ait Servius.

378. Adhibet comparationem negotio aptam : solent pueri in atriis ædium turbinem flagello agitare. Vide vero uti in puerili ludo vivide, et non pueriliter : volitat turbo sub verbere circum atria; nam magno in gyro, ideo postea *curvatis spatiis :* agitur scutica, habenam hic vocat; stupent præ admiratione pueri, ut qui inscii, ut qui impubes, ac proinde nondum majoribus assueti : plagæ iterum et sæpe inflictæ turbinem versant, neque sinunt cessare : ergo Amata non segnior per medias urbes furens agitur, rotatur, volitat. Dicit *feroces populos*, quos ipsa scilicet movebat ad ferocitatem furore suo.

385. Ecce vero furorem, verius nefas ultra omnem modum : natam in silvas abdit; simulat Bacchi festa, eo consilio, ut moretur nuptias; ac tum cum fremitu Bacchum invocat; illi cum ingenti vociferatione filiam dedicat : nam ille solus, nemo alius, dignus ea. Adhibet vero tres notas bacchantium, scilicet thyrsum, choros, crinem : thyrsus gestabatur manu, ideo *sumere :* chorus in circuitum peragebatur, ideo *lustrare :* crinis nutriebatur in Bacchi honorem, ideo *sacrum pascere :* porro *sumere, lustrare, pascere*, pro sumebat, lustrabat, pascebat.

392. Vix fama Amatæ facinus evulgavit, quum statim matronæ reliquæ pari ardore imitari illam cœperunt : itaque urbem deserunt; in silvas commeant; assimulant se bacchantibus; solutis comis; editis ululatibus; incinctis pellibus; gestatis thyrsis.

397. Quid tum Amata cœtu matronarum coacto? tædas ca-

385. *Simulato numine Bacchi.* Talem patiebatur furorem, ut speraret se Liberi sacra celebrare : non enim ipsa simulabat, quod est sanorum : nam et paulo post dicturus est, « Alecto stimulis agit undique Bacchi. » *Serv.*

390. *Thyrsos. Thyrsus*, hasta aculeata, hedera vel pampinis vitium implexa, quam in Orgiis Bacchi quatiebant. Hinc et Propert. III, 3 : « Hæc hederas legit in thyrsos. » Inde θυρσοφόροι, et θυρσοπλῆγες, id est, *thyrso percussi*, qui Bacchi furore concitantur. Hinc Lucret. I, dixit, « acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor. » *Taubm.*

398. *Natæ Turnique canit hymenæos.* Hic aperte expressit dementiam : nam quum consecraverit filiam Libero, hymenæum canit

pit; canit nuptias Laviniæ et Turni; iras ex oculis difflat; convertit se ad illas; petit, se audiant; sui misereantur; secum Bacchi orgia celebrent, solutis vittis.

404. Absolvit epiphonemate, quo representat poeta, talem se in silvis Amatam gessisse, quales esse Bacchæ solent furore percitæ, stimulante illam ad has insanias Furia.

406. Incenderat jam primam illam belli scintillam; ac proinde Latini consilium, et domum totam everterat, quum protinus ad Ardeam evolat, urbem Turni: sed poeta rem tragice: nam *Dea tristis*, et *alis fuscis*. Pergit, et arrepta occasione adhibet primam originem Ardeæ: eam urbem Danae fundaverat, adductis ex Græcia colonis; quod tradit Plinius lib. III, cap. 5: et Solin. cap. 8. Sequitur, *locus Ardua*, etc. ait hanc urhem avis, id est, veteribus dictam Arduam, et indè corruptione vocabuli mansisse Ardeam.

413. Accidit fortasse, ut hoc tempore Turnus somnos caperet. Signat tempus mediæ noctis: illud, *carpebat mediam quietem in nocte nigra*, est, erat in medio somno noctis nigræ: ideo vero nox nigra, quia media: ea enim pars noctis obscurior est.

415. Quid tum Alecto? exuit formam, vertit se in anum, cui in fronte rugæ, in capite cani: erat etiam cum vitta, et ramo oleæ.

419. Anus, quam retulit, erat Calybe: est in vate locutio poetica; nihil enim aliud dicit, quam anum illam esse Sacerdotem templi Junonii.

421. Quidquid funditur, perit uno ictu temporis: ergo patiere ita subito abripi et interire labores tuos, et hos *incassum?*

ejus et Turni. *Hymenæus* autem, nunc carmen nuptiale dicitur. *Serv.*

400. *Io.* Omnes pæne affectus continet, dolentes, exultantes, furentes. De primis Ov. Fast. IV, de Proserp. rapta: « Illa quidem clamabat, Io, charissima mater, Auferor. » De alteris Dio loquens de militibus in Claudii libertum jocantibus, συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον ἰὼ, Σατουρνάλια: *Clamantes statim illud tritum, Io, Saturnalia.* De tertiis Val. Flac. Arg. VI: « Sponte sua strepuere tubæ, Mars sævus ab altis Hostis, Io, conclamat equis. » In Virgilio possis capere aut primos, aut ultimos. Primos propter illud, « Si qua piis animis », etc. ultimos propter torvitatem, et aciem sanguineam; quod Græci βλέπειν μανικὸν καὶ τραγῳδικόν. *Cerda.*

403. *Crinalis vittas.* Quæ solarum matronarum erant: nam meretricibus non dabantur. *Serv.*

415. *Membra exuit.* Bene *exuit*: nam Dii quum volunt videri, induunt se corporibus propter mortalium oculos: nam incorporei sunt. *Serv.*

et patiere sceptra illa, quæ jam sunt *tua*, transcribi advenis (hi enim sunt coloni) Dardaniis? Notat videlicet, nulla esse merita Trojanorum; nam advenæ quid habent meriti? Sceptris, quæ labore tuo sunt parta, potiuntur qui nihil laborarunt? in voce *Dardaniis* inest contumelia: qui sua perdiderunt, qui errones sunt, tua invadunt.

423. Explicat labores illos: tuo sudore; parum hoc est, tuo *sanguine* usus est semper Latinus ad Regni sui incolumitatem; quibus meritis aditum tibi fecisti ad Regias dotes, ad Regale conjugium. Sed vide ingratum animum Regis: abnegat tibi regnum, quod tibi tuo sanguine peperisti, abnegatis nuptiis. Pro te vero quis substituitur? *externus:* quæ major contumelia, o Turne?

425. Rideris et irrideris, Turne, ab Latino: hic in te ingratus est: i nunc ergo, et te periculis objice pro tuendo regno: stravisti acies Tyrrhenas, quæ Latini fines invadebant; et nihil tibi profuit.

427. Addit supra dictis pondus ab Junone: et nota pronomina signatissima, *ipsa*, *me*, *tibi:* videlicet, *ipsa*, quæ Deum Regina, quæ potentissima: *me*, quæ Sacerdos sum; quæ numini dicata; cujus ministerio usa semper Juno: *tibi*, irriso, tibi, qui geris rem Latini tuo sanguine: dat vincendi fiduciam, ait Donatus, quum sciat Turnus displicuisse Junoni consilium Latini.

429. Excitat jam ad arma, adjuncta facilitate: nam quid magnum est exurere *naves pictas*, ac proinde ad venustatem potius, quam ad conflictum paratas? Quid magnum est vin-

424. *Abnegat.* Cum tantis periculis et uxorem et dotem quæsieris. *Donat.* — *Quæritur heres.* De jure traxit: ut non generum, sed heredem diceret; nam per coemptionem facto matrimonio, sibi invicem succedebant. *Serv.* — *Externusque in regnum.* Dicit omnia, quæ hominem fortem ad prælium, propter regnum, movere possint. Dat præterea vincendi fiduciam, asserendo Junonem affuturam, cui causa displicebat. Addidit metum, ne, si cunctaretur, firmatos arctiore fœderis vinculo superare non posset. *Donat.* — *Heres* Ex monimentis veterum sine diphthongo scribendum monet Dausquius, ab *herus* derivari contendens, quia *heredes*, pro *dominis* sumpti. Sunt tamen qui *hæredes* quasi *αἱροῦντες*, *capientes*, dici malint. *Emm.*

427. *Hæc adeo tibi me.* Addidit auctoritatem, quia scit anui credi difficile. — *Tibi.* Contra meritum laborum irrisio. *Tibi*, qui male gesta, possis tua propria fortitudine corrigere. *Tibi*, suscepto jam genero. *Don.* — *Adeo* autem, valde scilicet imperavit Juno.

esse duces *Phrygios*, ac proinde mollissimos? et qui nuper *consedere*, atque adeo vix tempus habuere tuendi sui: consedere vero *in pulchro flumine*, loco videlicet apto ad voluptatem, non ad sustinendum hostem; quasi dicat: venere quidem illi ad paratas nuptias, non ad bellum: ideo pictæ naves; ideo in loco herbido, et pleno luxuriæ: quid itaque isti contra pubem armatam? quum ait *lætus*, omen excitat: movetur affectus in illis, *pictasque exure carinas*, quum pars navium pretiosior exurenda.

432. Si vult Juno, ut isti miseri latrones profligentur, liquet proinde cælestium omnium voluntatem hanc esse: quis enim Deorum illi repugnet? ergo, o Turne, iratum te et fortem exhibe in Latinum, nisi dicto steterit. Illud, *ipse*, ἐμφατικωτέρως dictum, et vi magna, quam expendit Donatus: ipse, qui fallit; qui usus tuo sanguine ad sui incolumitatem; qui promisit tibi nuptias; qui mobilis; qui ingratus; qui hujus injuriæ auctor esse non debuit; is te iratum experiatur; et contra se, qui pro se laborantem non probavit.

435. Irrisit, quia juvenis: utriusque ætatis et sexus mores notantur: feminæ, et senes timidiores sunt, quam ratio postulet: juvenes procaces ad contumeliam: ideo post metum aniculæ inducitur juvenis confidentia et despectus. Illud, *orsa vicissim ore refert*, quasi dicat; resarcit orsa verborum vicissitudine: quid vero Turnus ad anum? scio classem advectam in Italiam; scio curam Junonis erga me; ne mihi metus aggera.

440. Laboras, o mater, ætatis et sexus vitio: quia curæ te exagitant, quæ non sunt ætatis tuæ; et bella, quæ neque ætatis, neque sexus: senectus *victa situ*, est senectus multa annorum diuturnitate consumpta: senectus *veri effœta*, est, cassa, carensque veritatis, et quasi enervata a vero: timor quippe senes eo adducit, ut credant quæ non sunt vera; ideo subjicit: *senectus ludit te falsa formidine inter Regum arma.*

443. Quid ergo reliquum? ut templa tua, et effigies cures: ut viri bella, et pacem gerant.

440. *Vieta situ senectus.* Temporis longinquitate, ex qua nascitur situs, squalor. — *Veri effœta.* Id est, cassa veritatis, vel, quæ cessavit vera dicere: Scal. IV, 16; vel, cui sunt effœtæ et exhaustæ vires ad dicendum et emittendum quod verum est; ut innuat illam cœpisse delirare; quales sunt vetulæ, quæ falsa pro veris sæpe accipiunt.

442. *Falsa vatem formidine ludit.* Quia *vatem*: nam eam defendebant a bellis, si non ætas, saltem religio sacerdotis. *Serv.*

445. Isto verborum contemptu arsit Furia ultra omnem modum : ac statim effectus apparuit in Turno, tum toto corpore : nam tremor artus omnes occupavit; tum præsertim in oculis, qui statim diriguere. *Oranti*, est, loquenti, non, supplicanti. Pergit : *tot Erinnys sibilat hydris* : quasi dicat : quid mirum, si ille artubus tremeret, rigesceret oculis, quum cerneret omnes serpentium hiatus cum sibilo arrectos; quum cerneret faciem Furiæ deposita anili forma excrescentem in ingentem magnitudinem? hoc est enim, *tantaque se facies aperit;* nisi quis velit esse explicationem superioris; id est, tot se hydrorum facies aperuerunt, et serpentium hiatus ostentarunt. Accedebant oculi, qui toti flammei, quique non cernebant, sed verius torquebant ignitos radios, ignita lumina. Ergo *cunctantem*, id est, se præ metu impedientem Furia repulit, nec sivit plura loqui : atque in illum angues duos exspuit; *insonuit verbera*, locuta est cum rabie. Jovianus in Antonio, illud de anguibus ita expendit; *ut subrigantur quidem legentium animi, quoties crines illi sanguinei subriguntur.*

452. Usurpat verba Turni ad majores iras; fit enim ut repetita contumelia recrudescat indignatio. Egone anus senectute obsita, squallore perfusa, a vero delirans, formidolosa inter Regum arma, et plena ludibriorum? Senti jam et experire, an verum hoc : una sum Furiarum, ab illarum sede excita ; bella in manu, et mortem gero.

456. Vix hæc dixerat, quum facem illi injecit; cui faci inerat lumen atrum a fumo.

451. *Verberaque insonuit*. Pro verberibus insonuit, id est, per verbera. *S* — *Verberaque insonuit*. Nove dictum : Scal. IV, 16. Notetur autem ars poetæ summa, qui hæc ita descripsit, ut legenti animum et capillos horrescere credideris. *Taubm*. — *Rabido ore :* hinc quæ futura sit oratio conjicis.

452. *En ego victa situ*. Pejus non potuit objurgare metuentem, quam in illum regerere, quæ protulerat. *Donat*. — Acerba repetitio, quæ rhetorum filiis mimesis appellatur, qualis est Æn. IV, 377. *Emm*.

455. *Bella manu letumque*. Contra illud, « bella viri pacemque gerant. » *Donat*.

456. *Facem juveni conjecit*. Satis considerate facem juveni conjecit, quæ cito exardescit et desinit. Supra vero, Amatæ serpentem injecit : quod in mulieribus semper viget venenum. *Serv*. — Alludit Juvenalis ad hæc Maronis Sat. VII, 68, « qualis Rutulum confundat Erinnys, Nam si Virgilio puer, et tolerabile desit Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri. » *Emm*.

457. *Fumantis tedas*. Δᾷδας ψολοέσσας. — *Sub pectore*. Ubi fellis locus est, id est, iracundiæ. *Serv*.

458. Hoc puncto temporis excitatur Turnus : neque vero evigilavit suaviter, immo cum ingenti pavore abruptus est somnus : accessit sudor, qui erupit ex toto corpore; nam videlicet non in artus solum externos, sed in interna ossa : accessit fremitus, quo inclamare arma cœpit, requirere, sævire, insanire.

462. Accessit demum ira, quam explicat comparatione. Solent lebeti flammæ subjici ; ac tum unda vix se capit, attollitur, exultat, furit, exuberat, ad auras volat : talem finge Turnum. Verba poetæ expende comparans cum Homero, qui victus est, testibus Macrobiu et Scaligeru. Vide notas, T. III, pag. 305.

467. Vix excitatur Turnus, quum statim principibus juventutis, qui possent arma capere, indicit, ut eant ad Latinum, bellum facturi ; ut arma comparent ; Italiam tucantur ; hostem arceant ; se unum satis esse et contra Teucros invasores, et contra Latinos pactarum nuptiarum violatores : illud, *polluta pace*, potest accipi de ipso Turno, qui pacem inter Latinum, et Æneam violavit : vel de ipso Latino, qui pacem violavit initam prius cum Turno; ut sententia sit; indicit iter ad Latinum, pollutam ab illo pacem : quod prætuli.

471. Rutuli omnes se ad arma exhortantur, nuncupatis prius votis, et vocatis Divis a Turno.

473. Movit quippe Rutulos, primo flos juventutis, in qua erat Turnus : deinde nobilitas; ejus enim avi Reges fuerant : tertio egregia illius in bello facta.

475. Dum hæc geruntur a Turno, Alecto quidpiam aliud

460. *Fremit*. Cum clamore deposcit : bene autem *amens*, quia in toto requirebat. *S*. — *Arma amens fremit; arma*. Illa repetitio habet suam venustatem. Tale est illud Ovidianum Met. XI, 377 : *coeamus, et arma, arma capessamus*.

463. *Virgea*. De virgis; unde facta est flamma validior. — *Costis;* lateribus : et bene antiquum respexit morem : nam ollas non suspendebant; sed positis circum circa ignem adhibebant *Serv*.

464. *Furit intus aquai amnis*. Nec immerito : nam potest esse et alterius rei amnis : ut, « Fluvios videt ille cruoris. » Notandum quod in toto Virgilio non reperiuntur, nisi quatuor diæreses : hoc loco, et in Æn. III, ut, « Aulaï in medio libabant pocula Bacchi », et in VI, ut « auraï simplicis ignem », et in IX, « dives pictaï vestis et auri. » *S*. — Vide varias lectiones, T. III, p. 306. — *Aquæ vis*. Ita Ms. Servius. Sic Hom. *ἐς ποταμοῖο· ἐς ἀνέμου* : et hanc lectionem germanam esse, docent Erythræus et Fabricius. Ad hunc locum vide H. Stephani Virgil. lectiones p. 23 et 24.

meditatur contendens ad locum, ubi tunc fortasse Ascanius operam dabat venationi.

479 Quid vero illa? sunt natura sua canes avidissimi prædæ, huic naturali aviditati adjecit impetum; quem posses vocare rabiem: itaque illorum nares perfudit mirifico quodam odore, ut ardentissime cervum agerent, unde nata prima belli origo, et seminarium malorum.

483. Dixerat agrestium animos accensos ad bellum; adhibet jam causam: habebat Tyrrhus (erat hic magister universorum pecorum Latini, et saltuum omnium) cervum, forma præstantem, ingentem cornibus, quem ejus filii, nam hi sunt Tyrrhidæ pueri, nutriebant, ut primum ille natus est; Tyrrhus etiam ipse.

487. Quid vero Sylvia Tyrrhi filia, soror puerorum? Hæc, ut femina, cui similes blanditiæ in gustu, exquisite cervum colebat; nam ejus cornua sertis ornabat; pectebat tergum; lavabat in puro et illimi fonte.

490. Ita factum est, ut cervus cicur factus manum tergo pateretur; cibos de manu, et mensa caperet; et quamvis in silvis erraret, tamen nocte domum rediret, blandissimo ministerio assuetus. Ait, *ipse*, quia αὐτόματος, et ducente nemine.

493. Dabat operam Ascanius venationi, quum fortasse cervus post natationem in ripa æstum recreabat; ac tum canes

487. *Adsuetum imperiis, etc.* Fuit hoc e deliciis veterum, qui cervos tales habebant mansuetos, qualisque hic cervus describitur a Marone. Illustris est et lata descriptio Calpurniana Ecl. VI Scimus (Paulo Veneto attestante) Meditas populos Tartarorum uti cervis ad sessionem, tanquam asinis aut equis. De Heliogabalo etiam Lampridius: « Processit in publicum et quatuor cervis junctis ingentibus. » Non absimilia Vopiscus de Aureliano. Sunt et notissima, quæ de cerva Sertorii Scriptores tradunt. Tu lege Plutarch. in ejus vita. *C.* — Pares cervos et magis stupendos Lutetiæ exhibet *Circensis* Franconi.

489. *Pectebatque ferum;* quadrupedem; ut, « In latus inque feri curvam compagibus alvum »: sic dictæ, quod velocitate pedum ferantur. *S.* — *Ferus* et *fera* pro quavis bestia, etiamsi immitis ea non sit. Martial. de formica, « Implicuit tenuem succina gutta feram. »

493. *Errantem.* His versibus ponit excusationem Ascanii. *Donat.* — *Rabidæ canes.* Certissima est nota in sermone animalium; si sermo sit de generositate, sæpissime mares nominat, si de feritate, sæpissime feminas. Ergo hic, ubi feritas, et rabies canum proponitur, voluit genus muliebre, non masculum. Ita Ge. III, in rabie amoris leæna inducitur catulorum oblita; non leo. Ibidem « pessima tigris »: et

in illum inciderunt, et commoverunt. Hæc est mens vatis; nescio uti se alii extricent: nihil enim aliud dicit, quam post defluxum, id est, natationem, successisse ripæ ad levandos æstus. Itaque cogimur accipere *deflueret*, pro *defluxisset*. Est *fluvius secundus*, ipsius amnis cursus; et optime *fluvio*, quia *deflueret*.

496. Non destitit Ascanius a consequenda laude, arrepta occasione: sagittam in cervum direxit; effecit vero Alecto, ne ictus cassus esset; itaque sagitta penetrato utero ad ilia pervenit. Ad apparatum ictus pertinet illud, *acta multo sonitu:* illud, *nec dextræ erranti Deus abfuit*, puto sic concipiendum: non abfuit dextræ, erranti, nisi adesset. Observat bene Servius, vulnus ea parte illatum, ubi non lethale, sed redire in domum posset cervus: si enim ibi cervus moreretur, lateret auctor vulneris, ac proinde nulla esset belli causa.

500. Hic jam tot πάθη, ubi opus: petuntur illa ab dolente cervo; ab plorante Sylvia; ab clamante Tyrrho. Ergo cervus accepto vulnere non silvis se tutum putavit, petiit tectorum confugium, sua videlicet stabula: et hoc cum gemitu, questu, imploratione. Vide vero an humanus questus repræsentari melius posset?

503. Tetigit hic dolor primam omnium Sylviam, ut feminam, ut quæ cervum pectebat, lavabat, ornabat: itaque illa in se primum sæviit dolorem testificata; deinde opem agrestium imploravit.

505. Adsunt statim rustici vix vocati; nam *pestis aspera*, id est, Furia quæ eos exasperat, latet silvis: vocat silvas *tacitas*, ut quæ nullo prius belli tumultu strepebant: fuerunt arma, quæ cuique casus et ira tulit; aut obustus torris; aut stipes adhuc cum nodis informis. Tyrrhus vero, qui princeps pastorum, cervi questu, et filiæ lacrymis commotus, irarum ut vir plenus turbare omnia altius cœpit; jactare minas; spirare graviter securi, qua forte armatus erat: scindebat enim quercum et cuneis, et securi: dicit quercum *quadrifidam*, ut quæ in quatuor partes scindebatur.

« rabidæ tigres », et « lynces Bacchi variæ. » Iterum, « Scilicet ante omnes furor est insignis equarum »: non equorum. *Cerda.* — Fœminino genere usurpari *canes*, quando de re venatica sermo est, notat Torr. ad Hor. Epod. 2, « multa cane trudit apros. »

507. *Repertum*. Qui differentiam statuunt inter *invenire* et *reperire*, hoc dicunt esse laboris et diligentiæ; illud aut quod facili negotio

511. Quid tum Furia? nacta jam belli occasionem ascendit culmen quoddam pastorum; et inde intenta voce classicum cecinit pastorali buccina, quam describens ait fuisse cornu recurvum. Audito sonitu nemus totum contremuit; isque strepitus excitatus est, ut in vallibus silvæ quippe profundis is fragor ederetur, ut tonitruum esse crederes. Retinui *Tartaream vocem* : est qui præferat *Tartarinam*, ad imitationem Ennii.

516. Erat nemus non longe ab Aricia, ubi erat lacus dictus Dianæ speculum; eo vox Furiæ penetravit, ut etiam ad fluvium, cui Nar nomen, et aquæ sulphureæ, ac proinde albentes: ad fontes etiam Veliæ. Matres vero eo timore correptæ sunt, ut de filiorum salute sollicitæ, arctius illos pectoribus admoverent, quasi jam prope raptores cernerent, qui illos ex earum complexibus avellerent. Vide quam vivide timoris vis significata est.

519. Dato signo a Furia statim ruunt agricolæ furiosi atque insani; nam hi sunt *indomiti* : et quia multi, ideo *concurrunt* : et quia bellum subitum, ideo *raptis telis*. Trojani vero auxilium præbent Ascanio, non tam ut noceant, quam ut bellum repellant : cavet enim poeta ne in crimen improbitatis incurrant. Quia vero salus Regii Principis agebat, ideo *effundit auxilium*, et *apertis castris*. Ita ferme Donatus expendit. Vocat buccinam *diram*, ut indicet adverso pugnatum omine.

523. Orsus belli primus fuerat ab stipitibus, ab torre obusto : cessarunt hæc arma, certatumque est ferro, atque ensibus. Vide vero apparatum armorum ex ferro ancipiti, id est, utrimque noxio, quales esse gladii solent, et ferramenta hastarum : ex strictis ensibus, qui, quia innumeri, reddebant speciem fluctuantis horrentisque segetis : ex splendente gladiorum ære, quod ex percussu Solis jactabat lucem in omnem partem. Notetur pulcherrima oppositio; nam atra seges quum esset, tamen æra fulgebant : itaque atriciem refero ad horrorem; ait enim, *seges atra horrescit*.

528. Sequitur apta comparatio : crevit belli furor ab stipiti-

comparatur : vel *invenire* artis esse et industriæ; *reperire* casus et fortunæ : quod nostri poetæ congrueret sententiæ; sed multi confundunt.

512. *De culmine summo*. Proprie, quia de tectis agrestium loquitur : culmina enim agrestia sunt, dicta quasi a culmo, quod culmis palearum contecta.

524. *Præustis*. *Præ* brevis fit propter sequentem vocalem : quod in una parte orationis factum tolerabile est, quia compositus est sermo. *Serv.*

bus ad gladios; non aliter ac mare, quod paulatim fluctus attollit; deinde undæ altius intumescunt, ita ut ab imo fundo cælum attingere videantur. Habet etiam locum comparatio in re alia : fulgebant æra gladiorum, non aliter ac primus fluctus esse solet, albicans præ spuma : tamen atra erant omnia horrore belli, non aliter ac mare turbatum jam procellis. Disce uti sapienter comparationibus.

531. Sequuntur, quod necesse erat in tam diro malo, cædes: cadit ante omnes Almon maximus filiorum Tyrrhi : cadit autem primus, quia *ante primam aciem* dimicabat, quippe juvenis, et paternæ rei sollicitus : adhibet poeta modum mortis; sagittam enim hærentem sub gutture, tanta sanguinis copia secuta est, ut vocis, et vitæ iter occluderet. Expendunt hic quæpiam Servius, et Scaliger : prior ait, moveri miserationem ab ætate quum dicit, *juvenis:* a virtute, quum dicit, *primam ante aciem* : a vulneris crudelitate, quum ait, *hæsit enim sub gutture vulnus :* posterior expendit mortes varias variis affectibus induci. Sichæus enim et Pyrrhus, qui insidiose cadunt, dicuntur cadere *incauti*, et *ante aras;* at Almon *juvenis*, id est, audax, *primam ante aciem.*

535. Cadunt multi circa Almonem, et in primis senex Galæsus, qui se sequestrum ad pacem dabat. Vide variatam poesin ab Almone juvene, ab Galæso sene : movet affectus primo a virtute; fuit enim justissimus : deinde a paupertate, in quam inciderat propter justitiam. Olim, inquit, fuit ditissimus, quasi tunc non esset : inde postea imperfecto tempore *redibant armenta, vertebat terram*, quasi jam non redirent, quasi jam non verteret : redibant enim, quum erat ditissimus : itaque non prædicat opes, quas tunc Galæsus haberet, sed quas habuerat, quum in similes calamitates soleant incidere plerumque justissimi, ut qui plus æquo justi. Hæc mihi visa mens poetæ : scio aliter poetam capi; quisque ut volet; vide notas infra.

535. *Senior Galæsus.* Cerdæ explicationem de Galæso mutare nolui, quamvis eam non admiserim : nulla enim hic est paupertatis indicatio : majores vero affectus oriuntur ex ætate, justitia, et divitiis hujus senis, qui ideo pacem optat, quia in bello arvorum fructus atque armentorum proventus perdere timebat. Macrob. Saturn. IV, 4, tractat πάθη, quæ Virgilius movet a *causis*, et hoc exemplum principe loco adhibet.

537. *Quinque greges.* Πολύμηλον sive πολύαρνα describit, et πολυβούτην. Vide Æn. VI, 38. Cato interrogatus, quis esset *paterfamilias :* respondit, eum *qui bene pascit, et bene arat.* T. — *Quina*, pro quinque, sicut *bina* pro duo. *Serv.*

540. Servius accepit *æquum Martem* pro bello aperto jam et manifesto, neque ullis dolis: nam æquale esse non potest, quum soli interempti sint Itali: igitur bello jam grassante, ubi vidit Furia se potuisse quod promiserat, inchoato jam bello cum sanguine, commissa pugna cum funeribus, Italiam deserit, et vecta per cæli auras, Junonem superbissime, utpote victrix, alloquitur.

545. Perfeci, inquit, quod jussisti; ita sunt iræ inchoatæ, ut neque ex tua voluntate reparari concordia possit; etiamsi ipsa jusseris, ut amicitiam jungant et fœdus, nihil assequeris, quia jam respersi Trojanos Ausonio sanguine.

548. Quin si jusseris, et tua consentit auctoritas, clades cladibus cumulabo: efficiam enim, ut vicinæ urbes ruant in bella; accendam animos belli insania, ut undique in auxilium concurratur. Quin si opus fuerit arma compluere, et spargere in omnem locum, id ipsum præstitero: quum ait, *spargam arma per agros*, intelligit, credo, se excitaturam ad bellum agrestes omnes et rusticos: itaque discriminans ait, et urbes, et agros commovebo. Servius notat bene Furiæ in principio denegatam orationem, quasi properanti ad scelera, quæ tamen eidem nunc datur post bella incœpta.

552. Nihil amplius requirit Juno a Furia, dicitque satis esse terrorum; satis fraudium: terrorum; nam, *Stant belli causæ, pugnatur cominus armis:* fraudium; nam, *Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma:* videlicet ob cervum vulneratum dolo Furiæ: itaque secundus, et tertius versus explicant primum.

555. Duo hi versus videntur mihi positi cum magno judicio, ut respondeant pari emphasi et consecutione versibus Furiæ, quæ etiam irridens dixerat, *Dic in amicitiam coeant, et fœdera jungant.* Ergo ridens quoque Juno, *Talia connubia*, etc. Et quidem hic Servius irrisionem agnoscit ex illo, *Egregium genus*, ut, *Egregiam vero laudem.*

557. Non respuit Furiam fastidiose, ut quam viderat sibi egregiam operam præstitisse; sed confert in Jovem excusationem, qui nolit illam diu versari in luce; et se ait confecturam quod superest.

561. Volatum Furiæ mire describit ab stridore anguium; *sedem Cocyti* opponit *arduis superis.*

541. *Promissi dea facta potens.* Honesta elocutio; promisisse autem eam consensione intelligimus: nam non promisit. *Serv.*

563. Describuntur valles Amsancti, in quem locum se Furia mersit: descriptio petitur a situ; ab notitia; ab horrore arborum; ab torrente: ab situ, nam in umbilico Italiæ, et sub altis montibus: ab notitia; nam locus ille nobilis, id est, ubique notus et celebris, ideo sequitur, *memoratus in multis oris:* ab horrore arborum; nam locus ille utrinque urgetur atro densissimarum arborum nemore: ab torrente; nam inde se per saxa fluvins frangit, demittitque cum ingenti strepitu vorticosus. Vide tom. III, p. 316 et sqq. notas et lect. varias.

568. Hoc igitur loci specus est horrendum ab atro et denso nemore; nam supra, *densis hunc frondibus atrum Urget utrinque latus nemoris.* Quo in specu apparent *spiracula Ditis,* id est, fauces inferni: quod deinde explicans addit; *Vorago ingens abrupto Acheronte aperit fauces pestiferas.* Ait *vorago* propter torrentem, quem supra scripsit: et nominat *fauces,* quæ supra *spiracula;* et *pestiferas* propter nocuum halitum inde erumpentem. Ergo his faucibus se Furia condit, quo factum est, ut terras recrearet, quibus sua præsentia erat oneri; nam hoc est, *levabat terras.*

572. Excitabat ad arma omnes Juno; ideo illa manum dicitur bello imponere, et extremam, quia jam omnes simul, tam pastores, quam cives bellum conclamant. Incipit vero a pastoribus; ruunt illi in urbem Laurentum Deos imploraturi; Latinum obtestaturi: quoque efficacius moveant, reportant ex acie Almonem puerum, Galæsum senem, qui in bello occubuerant. Componit poeta orationem ad πάθος ex ætate, nam *puerum;* ex circumstantia, nam *fœdatique ora Galæsi.* Proprie admodum de Diis, *implorant;* de homine *obtestantur:* et illos quidem, ut opem cælo adferant: hunc, ut ultionem paret; ideoque testem adhibent factæ cædis: et vide surgentem commiserationem ex puero, et sene. Almo est puer, Galæsus senex, qui nihil commeriti videbantur. Sic melius expugnabitur Latinus.

577. Non sibi deest Turnus: nam arrepta occasione ipse quoque terrores ingeminat, id est, concitat, et majores facit, crimen conferens in Trojanos cædis factæ, ignis immissi: queritur vero Teucros vocari in Regna; mollissimos Phryges admisceri fortissimis Italis; se ab nuptiis jam pactis pelli.

580. Tum juvenes urbani, collecti in unum, ex omni parte

572. *Extremam manum.* Nam in artibus *extrema manus* est, quum amplius manus non reponitur, quia opus est perfectum. *Donat.*

Martem fatigant, deposcunt bellnm cum clamore; illi videlicet juvenes, quorum matres attonitæ Baccho, id est, Baccho quasi Furia excitatæ, per avia nemora insultant thyasis, agitantur vociferationibus, dantes operam Bacchanali rei: reddit rationem, cur hi juvenes arderent bellandi cupiditate, quia Amatæ Reginæ nomen, non leve. Quid enim non auctoritatis habet princeps femina?

583. Est veluti epiphonema: præcessit vociferatio pastorum, et juvenum urbanorum clamantium prælium: ergo cuncti illico bellum poscunt; sed *infandum;* quia *contra omina, contra fata Deum:* ait *omina* cum respectu ad apes, et ad incensas Laviniæ comas: ait *fata* cum respectu ad oraculum auditum Latino, *Ne pete connubiis*, etc. Demum addit *perverso numine*, quasi irato et repugnante numine. Adeo cuncti in ruinam suam præcipites!

585. Latini constantia comparatione illustratur: circum-[illegible] illum omnes, et certatim; ille tamen non aliter resistit, ac rupes, quæ in medio pelago firmissimis saxis innixa, irruentium undarum fragorem, irrumpentium fluctuum latratus contemnit: itaque aquæ frustra in illam fremunt ingenti mole et vastitate tutam. Hæc sententia: sed vide ut illustret pulcherrima epanaphora, atque etiam a latratu undarum, ab scopulis spumeis, ab alga refusa: fragorem dicit de fluctibus, qui in rupem impingunt, et franguntur.

591. Ubi tamen videt Latinus cæcas illorum mentes, cæca consilia; ubi videt rem geri Junonis sævientis nutu; quum a nemine in tanta rerum insania se exaudiri posse videret, Deos et auras ipsas testabatur: et quamquam firmus sim, inquit, ut rupes pelagi, me tamen fata frangunt, procellæ invadunt: ait, *frangimur fatis*, insistens comparationi; dixerat enim *fragorem* de undis.

595. Mox ad milites et Turnum conversus omnibus exitium canit. Illos ait pœnas luituros sacrilego sanguine, quia bellum sumentes contra Deorum voluntantem sacrilegi quo-

586. *Velut pelagi rupes.* Quum Cicero seditionem fluctibus comparaverit, bene Virgilius eum, qui resistit seditioni, rupem vocavit. *S.* — Comparatio talis est et Æn. IV, de Æneæ constantia; et Æn. X, de Mezentii fortitudine: vide Scalig. P. V, 3. — *Ut pelagi rupes.* Repetitio elegantiæ et veneris plena. — *Latrantibus undis.* Non minus pulchra tralatione dictum est de causidicis; *causas elatrare.*

589. *Mole tenet.* Hic *scopuli* nominativus pluralis est. *Serv.*

dam modo fiebant : Turno vero tristissimum mortis genus minitatur, qui sero tandem Deos agniturus sit, quos nunc oppugnat per summum nefas.

598. Se jam ait in tuto fore, ut cui parta sit quies; nam portus tutissimus mortis sibi jam adest in limine, qui tantum felicitate funeris et exsequiarum sit cariturus : quasi dicat; felix fui in omni vita usque ad extremam senectutem; nihil jam timeo, nisi infelicem exsequiarum honorem; hic enim felix esse nequiverit armata urbe. Hæc quum dixisset, vidissetque se non posse turbatas res componere, parietibus se condidit, simulatione quadam relicti Regni.

601. Dicit morem fuisse in Latio ad indicenda bella, quem deinde Alba, ac mox Roma accepit; modo bellum inferatur Getis, aut Hyrcanis, aut Arabibus, aut Indis, aut populis Orientalibus, aut Parthis. Est *protinus*, continuo, deinde. Hæc sententia : vide vero quo apparatu verborum aditum faciat ad celeberrimum morem explicandum, qua magnificentia orationis, qua rerum ostentatione? quid non concipis ex Latio, Alba, Roma? quid non ex Getis, Hyrcanis, Parthis? etc. Nihil certe grandius potest excogitari, nedum scribi.

607. Antequam morem describat, præmittit sermonem de portis Martis, et Jani : Martis, quia apertæ bellum notant : Jani, quia hic Deus illarum custos : ergo ait has esse duas, et habitas in Religione : erant illis vectes centum, et hi ærei ad firmitatem : erant et repagula, et hæc ex ferro : illa enim verba, *æternaque ferri robora*, de repagulis, aut seris accipio, non de vectibus, ne bis eamdem rem dicat. Illud Servii, *portæ sa-*

596. *O miseri*. Dolet errore peccantium : nullus enim sciens cadit in foveam scelerum. *Donat.*

598. *Parta quies*. Scilicet vicinæ mortis beneficio. — *In limine portus*. Securitas omnis in promptu est.—*Funere felici spolior*. Exsequiis tantum regalibus careo. *Serv.*

601. *Mos erat*. Varro vult *morem*, communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus, consuetudinem facit. *Serv.* — Macrob. III, 8 : Scal. P. III, 17. — *Urbes Albanæ*. Vide ordinem. Prius Latium nominat, deinde Albam, postremo Romam : non id semel; nam Æn. I, « genus unde Latinum, Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ. » Et lib. V, « priscos docuit celebrare Latinos. » Et post pauca, « Albani docuere suos, nunc maxima rerum Accepit Roma », etc. *Cerda.*

606. *Auroramque sequi*. Ingenti ambitu dixit ipsum ortum dici pro populis. *Serv.* — *Parthosque reposcere signa*. Hoc, in honorem Augusti posuit : quo imperante a Parthis repetita sunt signa, quæ Crassus triumvir perdiderat.

cræ, id est, *exsecrabiles*, non placet: nulla enim necessitate hoc dicitur.

611. Sequitur jam mos, ad quem tot præmissa: ubi bellum indicitur, decernente Senatu, Consul aperit ea limina, veluti hoc ipso pugnas vocet; tum juventus hoc veluti omen sequitur comparans se ad bellum; tubæ tunc consentiunt animis juvenum, et quasi mutuo assensu conspirant. Sed qui habitus Consulis aperientis portas? gestat trabeam Quirinalem, cinctum Gabinum.

616. Ergo ex hoc more Latinus jubebatur eas portas aperire ad indicendum bellum Trojanis: noluit ille, abstinuitque ab hoc ministerio; quin sese tectis sepsit, et umbris condidit.

620. Abstinuerat vel a tactu portarum Latinus; Juno impatiens moræ, cælo delabitur; vide impetum! et portas, quæ bellum morabantur, ipsa manu impellit, nemini cælestium ministerium committens; et belli postes, etiam ferratos, non tam aperit, quam rumpit, præceps consilii, amens furore. Nota in hoc versu, *Belli ferratos rupit Saturnia postes*, moram spondæorum ad signandam illam, quæ necessaria in ea re. Itaque quantum celeritatis habet Juno in eo, *impulit ipsa manu;* tantum deinde morarum consumitur, ut tu afficiaris hac varietate.

623. Erupit statim non tam bellum, quam ardor, quo omnis Italia quieta prius, inflammata est ad arma.

624. Quisque, ut potest, ad bellum it præceps; per campos pedites, equites equo: vocat hos arduos, id est, sublimes; nam ipse alibi, *sublimes in equis redeunt:* omnes denique arma non tam quærunt, quam requirunt; quia non semel, sed sæpe identidem.

626. Erant multis arma, post longam pacem, situ et arvina obsita: ergo *tergunt leves clypeos, et lucida spicula*, id est, tergendo reddunt clypeos leves, spicula lucida: tergunt vero ab arvina, quæ crassa et pinguis: secures plenas rubiginis acuunt

617. *Tristisque recludere portas.* Sæpissime Virgilius bella vocat *tristia:* hinc ergo portæ bellum denuntiantes tristes. — *Fæda ministeria.* Cruenta, more suo. *Serv.*

621. *Regina deum.* Quod non decebat: ergo ostenditur pertinax inimicitia: neque aperuit solum, sed evertit postes a cardine. *Don.*

627. *Arvina.* Secundum Suetonium in libro de vitiis corporalibus, « Arvina est pingue durum, quod est inter cutem et viscus. » Alii arvinæ nomine laridum dicunt *Serv.* — Scaliger sevum esse intelligit; nam Glossar. *λίπος ἄνευ σαρ-*

in cotibus. Nihil demum jucundius, quam ferre signa, quam tubas audire.

629. Urbes quinque, Atina, Tibur, Ardea, Crustumeri, Antemnæ arma incudibus renovant. Nota attributorum copiam, quibus quælibet harum urbium princeps et gloriosa inducitur a potentia, a superbia, a turribus. Crustumeri illo carent, ut sit varietas. Ardea absque illo relinquitur, vel ipso nomine gloriosa, quasi Ardua, et ideo nihil illo eget. Vocula, *adeo*, vel redundat more Græco, vel sumitur pro valde magnæ, ut ait Servius: nam et Terentius, *adolescentem adeo nobilem*, id est, valde nobilem.

632. Hos versus et sequentes refero ad urbes illas; nam de reliquis jam superius dixerat, nec recurreret. Videtur vero mihi signare cataphractos milites, nominans capitum tegmina, clypeos, thoraces, ocreas. Vide autem ut cuique rei propriam assignet materiam, crates umbonibus, æs thoracibus, argentum ocreis: omnia proprie. De tegminibus capitum nihil, quia hæc ex varia et multiplici materia.

635. Pergit ad id, quod frequentissimum in apparatu bellorum. Floret agricultura in pace; sed si bellum adsit, statim instrumenta agri convertuntur ad militares usus: enses vero jam rubiginosi, et qui parentum fuerant et majorum, iterum redduntur fornacibus, ac recoquuntur.

637. Non exspectatur imperium ducis; sed ut quisque aut tuba insonuit, aut tesseram prætulit, ita omnes sequuntur avide, arrepta galea, junctis equis ad currum, indutis clypeo et lorica, accincto ense. Est *trepidus*, festinus et diligens, ut millies in Virgilio, et aliis. Quam tu partem Auctorum, qui hactenus scripserunt, sive historici sint, sive Poetæ, conferas cum strepitu, præcipitantia, ardore, quem Maro his versibus concitat? Et quidem par erat, ad adventum Junonis ferratos

κὸς, *pinguedo sine carne:* est vero hæc sevi definitio.

634. *Lento ducunt argento.* Flexili argento ducunt, id est, extendunt: est autem spondaicus et reciprocus versus. *Serv.*

635. *Vomeris.* Ecce qualis amentia universorum agrestium fuit, ut instrumenta vitæ profutura in perniciem vitæ verterent. *Donat.*

637. *Classica jamque sonant.* Bene posuit amphibologiam: nam *classicum* dicimus et tubam ipsam et sonum. *Classicum* autem est flexilis tuba. — *Tessera signum.* Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur, scilicet propter confusionem: ut fuit in exercitu Marii, « Lar Deus »; in Syllæ, « Apollo Delphicus »; in Cæsaris, « Venus genitrix. » *Serv.* — Neronis signum fuit, *optima mater.* Suet. 9.

belli postes confringentis, omnia ita subito turbari, commoveri, inflammari. Ideo audis ardorem Ausoniæ, campos peditum, pulverem equitum, clypeos, spicula, secures, signa, tubarum sonitus, urbium strepitus, umbones, thoraces, ocreas, aratra conversa in gladios, enses recoctos, classica, tesseram, equos frementes, et loricas. Quid plura potuit? O longum Homeri apparatum ad bellum, lib. II, Iliados!

641. Nova invocatio, ut sibi aditus pateat ad Heliconem Musarum, quo videlicet possit Reges canere, qui excitati contra Trojanos: agmina, quæ secuta Reges singulos ad dimicandum in acie: et in cursu ait se dicturum florem Italiæ, ardorem armorum. Vide Excursum octavum, T. III, p. 386—396, de populis qui cum Latino societatem inierant.

645. Ratio cur ad Musas confugiat: sunt illæ filiæ Mnemosynes, id est, Memoriæ, ac proinde possunt revocare in memoriam has historias; aliter tenuis est fama, potius aura famæ. An vero *aura tenuis* dicitur? an potius *aura famæ tenuis?* ut velis. In posterius inclino ex collatione verborum.

647. Principe loco catalogi Mezentius ponitur, et hic *contemptor Divum;* quasi dicat, impius contra pium Æneam. Verbum *init* proprie, quasi, it in bellum; hic enim scribitur catalogus concurrentium ad eundem belli locum: unde autem ille? ab Etruria: hanc enim vocat oras Tyrrhenas, a Tyrrheno Atys filio, qui eo coloniam deduxerat ex Lydia.

649. Mira varietas: pergit enim à paterno dedecore ad laudem filii; hæc posita in pulchritudine, qua nemo Lauso præstantior, Turno excepto. Sic decebat de Turno loqui competitore Æneæ, quo hujus major esset gloria.

651. An solum pulcher Lausus? nequaquam: adjicit enim militarem virtutem, cujus duplex argumentum, videlicet equitatio, et venatio.

652. Hic itaque ductor est agminis, in quo viri mille: sed nequicquam illum sequuntur; nam non reversuri: cecidere enim in acie, cadente duce: nominat urbem, unde profectus, nimirum Agyllinam: postrema Lausi laus, dignum fuisse me-

651. *Lausus.* Laudat Lausum a fortitudine, quæ in pulchro corpore rara solet esse; licet *pulchrum* pro *forti* capiat Servius. — *Equum domitor.* Ἱππόδαμος, πλήξιππος, ἱπποχάρμης, ἱπποπόλος, et ἵππων κέντωρ, poetis passim. — *Nequicquam.* Quia in prælio periit, nec patrium recepit imperium. — *Patriis qui lætior esset Imperiis.* Dignus qui haberet imperatorem potius quam exulem patrem. *Serv.*

liore patre: dicit, *dignus patriis qui lætior esset imperiis;* quia pater tandem exulavit.

655. Inducitur Aventinus cum superba quadam ostentatione: offerebat quippe currum cum signo palmæ, more triumphantium, ideo equos nominat victores: erat is filius Herculis, ipse pulcher, et pater pulcher, id est, fortis, explicatore Servio. Cave vero putes, illum advectum curru, ut male Donatus explicat, tantum ostentabundus illum afferebat; nam postea, *ipse pedes:* explicat quod ejus insigne in clypeo: serpentes Hydræ (centum nominat ad αὔξησιν) clypeum cingebant, ut ita patris gloriam indicaret, qui Hydram peremerat.

659. Explicat, qui fuerint natales Aventini: quum ad Italiam Hercules, quem hic vocat παραφραστικῶς *victorem Tirynthium*, perveniret, interfecto jam in Hispania Geryone, rem habuit cum Rhea Sacerdote; et ita Aventinus, cui id nomen contigit, quia postea partu editus in sylva Aventini collis. Sunt *Iberæ boves*, Hispanæ: *Tyrrhenum flumen*, Tybris.

664. Ponit jam arma comitum Aventini: hæc tria, pila, dolones, verua, quibus usi Sabelli, et quibus in exitu mucro teres.

666. Ipse vero Aventinus pro thorace gestabat tegmen leonis: sed hic singula explicanda: ait *pedes* cum respectu ad genus, quia Hercules semper pedes incessit; sic Servius: ait *torquens* cum respectu ad cinctionem: dicit *immane* propter magnitudinem: *terribili impexum seta*, quia setæ, et villi adhuc impexi, nequedum arte aliqua curati, sed ita hispidi, ut vivente leone: adjicit, *indutus capiti cum dentibus albis*, quia

659. *Rhea sacerdos.* Alludit ad nomen matris Romuli, quæ dicta est Ilia, Rhea, Silvia. *Serv.*

662. *Geryone.* Geryones rex fuit Hispaniæ: qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis præfuit, quæ adjacent Hispaniæ, Balearieæ minori, et majori, et Ebusæ. — *Tirynthius.* A Tirynthia civitate Argis vicina, in qua nutritus est Hercules. *Serv.*

664. *Pila manu. Pilum* proprie est hasta Romana, ut *gesa* Gallorum, *sarissæ* Macedonum. — *Dolones. Dolo* est flagellum, intra cujus virgam latet pugio: aut secundum Varronem, « ingens contus cum ferro brevissimo. » *Dolones* autem a fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, quum speciem præferant ligni: et multi volunt per teretes mucrones, *dolones* dici; per veru Sabellum, *pila* significari.

668. *Indutus capiti.* Circa rem Grammaticam monearis in Virgilio *capiti* non esse dativum, sed vere ablativum: quasi dicat, *indutus capite;* aut, *indutus in capite:* veteres enim omnes ablativos ita finiebant. De terminatione ablativi

pellis ea pro munimento quoque capitis loco galeæ. Itaque præferebat Aventinus speciem leonis, ac propterea *horridus*. Ait *Regia tecta* de Turno, credo, non de Latino: *subibat*, est, ingrediebatur: demum illud, *Herculeoque humeros innexus amictu*, locutio est poetica, quasi dicat: innexa erat pellis ad humeros Aventini ad eum modum, quo solitus gestare Hercules fuerat.

670. Catillus et Coras, Tyburis, aut Tyburni, aut Tyburti fratres, in Italiam ex Græcia venerant, et Tybur condiderant, ita appellatum ab illo majore fratre, cujus modo triplex nomen indicavi. Ergo relicto Tybure ad urbis novæ custodiam, duo reliqui ad bellum venere, et quidem primi sui agminis; nam ante primam aciem, ad ostentandam alacritatem.

674. Comparantur cum Centauris, quos vocat Nubigenas, quia geniti ex Ixione et nube in speciem Junonis conformata. Ergo, ut Centauri à montibus, ita illi ab urbe. Nota repræsentari omnia ad tragicam magnitudinem, ita ut in horrorem etiamnum me adducant tam Centauri ipsi, quam duces. Neque ergo facile quco expendere tot ἐμφάσεις. Vide Excursum octavum, vol. III, pag. 387.

678. Pergit ad Cæculum Prænestinæ urbis conditorem, quem natum Vulcano omnes credunt, ducti argumento infantis reperti inter focos. Sic ordinandum est: non defuit Cæculus fundator urbis Prænestinæ, quem Regem, id est, regnantem inter agrestia pecora, omnis ætas continuata ad ævum poetæ credidit genitum esse Vulcano; quippe inventum in focis.

681. Jam de apparatu hominum, qui illum sequebantur: quum ille in agris regnaret, par erat habere militem ab agris;

per *i* multa congessit exempla Sanctius in Min. p. 86.

678. *Nec Prænestinæ fundator defuit urbis*. De civitatibus totius orbis multi quidem scripserunt: ad plenum tamen Ptolemæus Græce, Latine Plinius. De Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit, et Cato in Originibus. Apud omnes tamen, si diligenter advertas, de auctoribus conditarum urbium dissensio invenitur, adeo ut ne urbis quidem Romæ origo possit diligenter agnosci. *Præneste* locus est haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, ab ilicibus, quæ illic abundant: ibi erant Pontifices et Dii Indigetes, sicut etiam Romæ: erant etiam duo fratres, qui Divi appellabantur. Horum soror, dum ad focum sederet, desiliens scintilla, ejus uterum percussit: inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum, juxta templum Jovis abjecit: quem virgines aquatum euntes juxta ignem inventum sustulerunt, qui haud longe a fonte erat: unde Vulcani dictus est filius.

ergo illum comitatur legio agrestis. Mox explicans ac dilatans unde conducta hæc agrestis legio, ait: qui colunt arva Prænestina, et Junonis Gabinæ; qui degunt litora Anienis, et saxa Hernicorum; qui pascuntur ad Anagniam, et fluvium Amasenum: en illa agrestis legio. Etenim, ut par est conjectare ex narratione poetica, non tam cives Prænestini secuti sunt Cæculum, quam qui arva Prænestina incolebant; nam agrestis legio; et mox consequenter nominat arva Gabinæ Junonis, Anienem, saxa Hernica. Deinde adhibet militaria instrumenta legionis hujus: non erant omnibus arma, videlicet non clypei, non currus: itaque clypei, et currus explicant, de quibus armis mox loquatur. Multa hujusmodi in Virgilio sunt, ubi sequentia explicant præcedens. Pars illorum plumbeas glandes spargebat in hostes; pars gestabat manu

682. *Altum Præneste.* Cato dicit, « quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit. » Ergo *altum*, quia in montibus locatum. Dicimus autem et *hoc Præneste*: « Quique altum Præneste viri »: et *hæc Prænestis*, unde est, « quum primam aciem Præneste sub ipsa stravi. » *Serv.* — Vide Excursum VIII, vol. III, p. 387 et sq. — *Gabinæ Junonis.* Apud Gabios, Juno religiosissime colebatur; unde dicta est Gabina, quod Servius notat. Meminit hujus Deæ Silius in lib. XII, « nec amœna retentant Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ. »

683. *Gelidumque Anienem. Anio* fluvius haud longe ab Urbe est: sed hic euphoniam secutus est: nam Ennius *Anionem* dixit juxta regulam. *Serv.* — Celebratissimus est omnium in Tiberim defluentium amnis, de quo Cluver. ant. Ital. lib. II, p. 711, 712.

686. *Nec clipei.* Scuta majora; dicta ab eo quod celent corpus, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν. *Serv.*

687. *Liventis plumbi.* Plumbeis massulis pugnabant *Don.* — Sphærulæ bombardicæ sunt. Ovid. lib. VII: « Contorto verbere glandes. » Olim, ante usum bombardarum, apparet missas fuisse fundis. *Hart.* — Indicat funditores, etiamsi abstineat a nomine fundarum Clare Propertius explicat eleg. IV, 3: « Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ »: et dubio procul ad Virgilium allusit.

688. *Fulvosque lupi de pelle galeros. Galerus* genus est pilei, quod Fronto genere neutro dicit, *hoc galerum*. Serv. — Galerus genus est armaturæ, loco galeæ, ut vult Varro: putat Junius respondere illi, quem Dionys. vocat πῖλον κωνοειδῆ, quia turbinata figura. Lazius VIII, 14, nominat « pileos hiemales. » Puto itaque duplex esse discrimen: galerus acuminatior et turbinatior galea. Alterum, galerus erat e pellibus ferarum, cum galea ut plurimum ex ære. *Galeros* dici etiam cudones multi adnotarunt, ex illo Silii; *caput his cudone ferino stat cautum*. De galero vid. Solerius, p. 249.

bina spicula; loco galeæ habebant galeros ex lupina pelle; pedem sinistrum nudum, et alterum tectum perone.

691. Describit Messapi natales, conditionem, virtutem. Natales; nam Neptuni filius, et ideo domitor equorum: equus enim inventum est Neptuni; par ergo fuit, filium ejus vim habere in perdomandis equis. Conditionem; nam neque igni, neque ferro potuit cadere; non igni, quia Neptuni filius aquarum Dei, et istæ ad exstinguendum ignem promptæ et idoneæ; non ferro, concedente patre facultatem hanc filio, ut credi potest. Virtutem; nam populos, qui a bellis desueverant, ad arma concitat; præit etiam exemplo; nam ferrum manu retractat, id est, sæpe versat, et gladios identidem repetit, gaudetque frequenti illorum tractatione.

695. Dixerat, evocatos populos à Messapo: explicat jam, quinam hi populi; hi, inquit, qui Fescennium incolunt, Faliscos, montem Soracten, Cimini montem et lacum, ac demum lucos Capenos.

690. *Vestigia nuda sinistri Instituere pedis.* Atqui ipse est in pugnantibus primus; sed bene uudus est, quia tegitur scuto. Dextrum autem teetum conveniebat esse, quasi ab armis remotum. *Serv.* — *Crudus pero.* Id est, dextrum pedem vestibat calceus rusticus e crudo corio. Rævardus tamen I, 8. Var. per *perones* intelligit non rusticos, cum Servio; sed cum Tertulliano, « puros calceos », quibus per nives, glacies, imbresque usi sint: immo et *perones* magistratuum gemmis insignitos legi annotat. *Taubm.* — De hoc rusticorum calceamento vide Balduinum de calceo cap. 17; et vol III, nost. edit. p. 388.

695. *Hi Fescenninas acies. Fescennium* oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina: hi autem populi ab Atheniensibus ducunt originem. — *Æquosque Faliscos. Faliscos* Haliseus condidit: hi autem immutato *H* in *F*, *Falisci* dicti sunt; sicut *febris* dicitur, quæ ante *hebris* dicebatur; *Formicæ*, quæ *Hormiæ* fuerunt, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς: nam posteritas in multis nominibus *F* pro *H* posuit. *Æquos* autem dicit., id est, justos, quia populus Romanus missis decemviris, ab ipsis jura fecialia et nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit, quas ab Atheniensibus habuerant. *Serv.*

696. *Hi Soractis habent arces Soracte*, qui est mons apud Hirpinos haud longe a Flaminia: de quo Horatius; « Vides ut alta stet nive candidum Soracte. » — *Flaviniaque arva.* Locus est in Italia, Flavinium nomine. *S.*—Flavinii oppidi meminit Cluver. Ital. ant. p. 550.

697. *Et Cimini cum monte lacum.* Et lacus et mons hoc nomine appellantur. — *Lucosque Capenos.* Ab his dicta Capena porta, quæ postea Appia, et nunc Sancti Sebastiani. Primum scribit Servius; alterum Frontinus de Aquæ ductibus; tertium Marlianus. *Cerda.*

698. Dicit Servius, Ennium dicere solitum, se originem duxisse a Messapo, et inde ejus socios induci cantantes, et conferri cum cycnis: quum ait, *ibant æquati numero*, intellige militarem τάξιν, ordinem videlicet incedentium ab bellum cum modulo et rhythmo.

699. Vidisti sæpe cycnos canentes in nubibus postquam alacres e pastu redeunt; tales finge Messapi acies. Expende, uti poetice cycnorum cantum dilatet; a nubibus, in quibus insonant; a pastu, ex quo redeunt alacres, ac proinde dulcior erit modulatio; ab longis et inflexis collis, unde necesse est suavior sit sonus ex fractione gutturis; demum ab amne, et toto lacu, circa quem habitant, personante. Nota etiam, ut sibi poeta respondeat: duo enim dixerat: *Ibant æquati numero Regemque canebant.* In primo est ordo; in altero cantus: ergo, quia *æquati numero*, ideo adhibet cycnos cum ordine, *quum sese e pastu referunt:* tunc enim non rumpunt ordinem, quum e pastu redeunt in loca, in quibus somnos capere consuescunt. Et quia *Regem canebant*, ideo, *et longa canoros dant per colla modos*, et reliqua.

703. Qui audiret suavissimam agminis modulationem, qua Regem suum Messapum canebant, putaret non illas esse acies veras; sed nubem volucrum, quæ ab alto mari cum musico strepitu ad litus usque properabant. De cycnis loquitur: non enim credendum transire ad aliud avium genus, et quia alibi *raucos* vocat *cycnos*. De his omnibus vide tom. III, Nost. Edit. pag. 334 et 390.

706. Explicationem hanc Servius suppeditat. Clausus Sabinorum dux Romam venit, post exactos Reges, cum quinque millibus clientum, atque amicorum: susceptus a Romanis accepit partem urbis habitandam, ex quo Claudia et tribus et gens nominata. Illud vero *postquam in partem data Roma Sabinis*, tractum est ex alia historia; nam post raptum Sabinarum, ictumque fœdus inter Romulum, et Tatium, recepti in urbem Sabini sunt. Ergo Virgilius, ut poetam decet, rem tractat, et ex duabus historiis unam conficit. Ait *prisco sanguine*, ad signandam hominis nobilitatem; *magnum agmen;* propter illa quinque millia hominum; *instar magni agminis*, ut significet vel animi pretium, vel corporis magnitudinem.

710. Conjungit tanto agmini, et tanto duci congruum comitatum, idque per versus octo: de quibus vide tom. III, Nost. Edit. pag. 337 et 391.

718. Illustrat multitudinem adventantium cum Clauso duplici comparatione; et fluctuum, qui excitari in Libya solent, quum cadit Orion, hyberno tempore; et aristarum, quæ multæ sunt in fertilissimis campis Hermi fluminis, et Lyciæ: inde sequitur, eam fuisse copiam militum, ut ad sonitum scutorum, ad pedum pulsum tellus ipsa tremisceret. Vocat *novum Solem*, æstatem adventantem.

723. Halæsus fuit aut comes Agamemnonis, aut filius nothus; hinc efficaces, et natura insitæ inimicitiæ in Trojanos. Ergo quum in Italiam e Græcia post Trojanum bellum venisset, statim, ut bellum geri contra Æneam sensit, alacer convolavit; ideo poeta de illo, *rapit*, quo convolantem agnoscas: et *Trojani nominis hostis*, quia *Agamemnonius; et curru jungit equos*, quia ita pugnatum in Trojano bello, ut tota testatur Ilias. Itaque ille eamdem rationem pugnandi init, quam jam expertus fuerat. Sed quos secum adducit ad bellum? qui degunt ad Massicum Campaniæ, qui mons felicissimus vitium cultura: præterea Auruncos; Sidicinos; Calenos, qui vicini Volturno flumini; Saticulos; Oscos. Sed quæ arma gerunt? aclydes in dextra; cætras in sinistra; enses falcatos ad latus. De aclydibus et cæteris, vide tom. III, Nost. Edit. p. 339 et 392.

733. Fuit OEbalus filius Telonis, et Nymphæ Sebethi fluminis. Habuit vero illum pater Telon jam in senectute, et quum teneret Capreas, quæ erant regna Teleboarum: filius tamen OEbalus cui jam inde angustiæ paterni imperii displicebant, vi et armis Sarrastes populos subegit, et tractum illum, quem Sarnus irrigat.

739. Venere ad id bellum una cum OEbalo incolæ Rufarum, Batuli, Celennæ, Abellæ: extremum effert cum elogio a malis, quæ fert optima: et nota locutionem plenam elegantiæ; mœnia enim, ut quæ alta, videntur suos cives despectare.

741. Adhibet horum arma: erant illis cateiæ in manu dextra quas torquebant more Teutonum; in capite pro galeis cortices

721. *Hermi campo. Hermus* Lydiæ fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem; unde arenas aureas fingitur trahere. — *Lyciæ flaventibus arvis.* Fertilis frugum provincia. *Serv.*

732. *Lævas cætra tegit.* Scutum loreum, quo utontur Afri et Hispani. *Serv.* — Vossius hanc vocem Maurorum putat. — *Falcati enses.* Sunt enses curvi: ἅρπαι Græcis; qualem Perseo tribuunt poetæ: qui etiam *falces* vocantur; inde *Falcarii* apud Cic. in I, Catil. Turneb. XXVI, 28. Lucanus: « Harpen alterius monstri jam cæde rubentem. » *Taubm.*

741. *Teutonico ritu soliti tor-*

suberis; in sinistra peltæ; ensis ad latus. De his vide vol. III Nost. Edit. pag. 339 et 394.

744. Pergit ad Ufentem, qui ab Nersis venit, quæ urbs sita in montibus: hunc prædicat et a fama, quam habuit; et a felicitate tractandorum armorum. Unum est ratio alterius; armis enim perite tractandis sibi famam peperit: erant Ufenti comites Æquiculi, homines venatui dediti ferarum; adeo bello acres, ut etiam armati essent, terram quum colerent, et non nisi raptis prædis victitarent; non contenti, nisi his, quæ aliorum damno sibi comparassent. Vide *ibid.*

750. Venit Umbro ab Archippo Rege Marrubiorum; duo de illo prædicat, et fuisse fortissimum, et sacerdotem; Ideo dat illi galeam, et olivam in capite: galea fortem respicit; oliva sacerdotem. Virtus Umbronis in viperas ac serpentes, inque horum ictus ac morsus fuit admirabilis: ferarum enim iras mulcebat, conciliando somnos cantu ac manu: morsus vero leviores esse faciebat, applicito medicamine.

756. Hic tam admirandus in feras medicus minime sibi opem afferre potuit contra Æneæ cuspidem, qua ictus occubuit: nihil profecere in illo discrimine cantus, quibus somnos conciliabat: nihil herbæ quæsitæ in montibus Marsorum contra viperas.

759. An tu quicquam dulcius his versibus? apostrophe; repetitio; geminatio; omnia dulcissima. Vid. *ibid.*

761. Virbius filius fuit Hippolyti, ita dictus à patre. Natus est in luco Egeriæ Nymphæ prope Ariciam ad lacus Aricini

quere cateias.. Non fero Servium, et alios, qui dicunt dici *ritu Teutonico*, pro Gallico: quasi non sciret poeta aliter rem afferre. Illas interpretationes, quæ Maroni dant angustam venam, semper respuo: mali poetæ coguntur; boni, liberi incedunt. Nam, esto, cateiæ Gallorum tela sint; cur non et Teutonum? unde enim probabunt esse illorum, non horum; præcipue in tam exigua mentione cateiarum? Quid quod Donatus nihil de Gallis agnoscit, et tantum Teutonas assumit? — *Cateias.* Erant hastæ angusto et brevi ferro Germanorum et Gallorum: de his telis sola mentio apud Val. Fl. Arg VI; et Sil. III.

762. *Virbius.* Παλίμψυχος, παλίμβιος. *Virbius* Ariciæ et Virbii filius, qui antea *Hippolytus.* Fabulam narrat etiam Diodorus, et Ovid. Met. XV, 45, inprimis Euripid. in Hippolyto. — *Quem mater Aricia misit.* Civitas juxta Albam: *mater* autem propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre progenitus: ac si diceret; quæ tanti auctor est generis. *Serv.*

763. *Egeriæ lucis.* Nympha in Aricino nemore, quam amicam suam Numa esse fingebat, ad fir-

ripas; quo loci erat Dianæ ara, ubi ipsa placabatur cæde pinguium victimarum. *Eductus*, est hic, et natus, et nutritus, γεγονὼς καὶ τραφείς.

765. Cur poeta subjiciat narrationem patris Hippolyti, silent interpretes. Vera mens poetæ est, Virbium fuisse procreatum ab Hippolyto, postquam is revocatus est ad vitam: id satis indicat Virgilius particula *namque:* et certe, nisi hoc velit, opportuna non erit narratio. Aiunt, inquit, Hippolytum, postquam Phædræ novercæ consilio, et patris Thesei iracundia occidit ab equis raptatus, rursum revocatum ad vitam herbis Æsculapii, impetrante hoc Diana ab illo; nam juvenem diligebat.

770. Indignatus est Juppiter, inveniri posse hominem, qui semel mortuus ad vitam rediret; ac propterea Æsculapium, Phœbi filium, percussum fulmine ad inferos detrusit, qui talem medicando artem invenerat, qua reduceret ad vitam mortuos.

774. Quid tum Diana? timuit ne mox idem pateretur Hippolytus; ac propterea substractum illum in lucis abscondit, ac committit Nymphæ Egeriæ. Hippolytus ibi vitam egit ignotus aliis, ac mutato nomine dictus est Virbius, quasi bis vir, quia bis habuit vitam, ne videlicet antiquo nomine proderetur.

778. Adducit argumentum, quo credi possit superior fabula. Hippolytus dicitur fuisse raptatus equis percussis pavore phocarum maris, quæ erant in litore: ergo ab his lucis, qui sacri erant Dianæ, et in quibus Hippolytus latuit, equi arcentur, quasi in vindictam admissæ culpæ.

781. Redit tandem ad filium Virbium, qui instar patris

mandam legum suarum auctoritatem. *Serv.* — *Humentia circum Litora.* Sunt qui *Hymettia*, legant, pro *Humentia:* verum hæc lectio nulla ratione defendi posse videtur, nisi Hippolytum prætexamus Atticæ suæ memorem Atheniense quoque nomen Hymetti montis novo et mutato solo dedisse, ut sæpe veteres factitasse vidimus.

765. *Arte novercæ occiderit.* Bene vim sceleris expressit sola novercæ commemoratione. *Serv.* — Euripides in Hippolyto conferatur.

776. *Solus.* In solis locis: nam solus quomodo, qui filium dicitur suscepisse? *Ævum*, est ætas perpetua, cujus neque initium, neque extremum nascitur; sed hoc modo *ævum*, ætatem Hippolyti posuit. Veteres *ævum* etiam Deorum vitam dicebant, nam et *Virbius* inter Deos colitur. *Virbium* autem quidam Solem putant esse, cujus simulacrum non est fas attingere, propter quod nec Sol tangitur. *Serv.* — De his vide Excursum ultimum vol. III, p. 395; Ovid. Fast. VI, et Met. XIV.

Hippolyti equos, et currum agebat per campos ruens in bella ostentabundus. *Non secius*, est, non segnius, quam pater.

783. Commendat Turnum; primo, quia alacer ad bellum et impiger; nam *inter primos*, et *ipse*, emphatice: deinde a corporis proceritate; nam *præstanti corpore:* neque hoc satis; poterat enim esse procerus, ita tamen ut in ea proceritate haberet alios æquales : non sic; immo ita aliis præstabat, ut *esset supra toto vertice:* illud *vertitur*, est, agit se, et rotat furenter ad bellum; signatur ipso verbo animi vigor.

785. Pergit ad horrorem armorum, quo illum præbeat hostibus formidabiliorem: incipit a galea, quæ *alta*, et *crinita juba triplici:* habebat vero galea chimæram efformatam, quæ videretur ignes ex se efflare, similes Ætnæis.

787. Sententia est, ita vivida chimæram hanc fuisse formatam artificis opera, ut quum ante pugnam esset terrifica, tamen in ipsa pugna, quum omnia effuso sanguine crudescerent, illa esset ferocior, et veluti voce infremeret; ac terribiliores tristioresque flammas evomeret.

789. Transit ad clypeum : erat in eo insculpta Io, (sculpturam quippe capio, quæ e dignitate, non picturam) formata jam in vaccam, et cum setis, cui tamen deerant cornua; ideo lævis clypeus. Itaque jam erat bos, jam cum setis, sed absque cornibus: ita quippe formata ab artifice: erat præterea Argus centoculus datus vaccæ a Junone custos: demum Inachus pater Ius cum urna fundente ex se amnem : hoc enim est fluviorum insigne. Hæc præ aliis cælata in clypeo, ad indicandam Turni originem, de quo supra, *Inachus*, *Acrisiusque patres*, *mediæque Mycenæ:* erat itaque cælatura illa *ingens argumentum* generis.

793. Post arma Turni sequitur comitatus; immo *nimbus* ad horrorem: tota agmina cum clypeis, et hæc densa et conferta. Ex quo autem milite conflata hæc agmina? primum ex juventute Argivorum; nam Turnus ipse Græcus origine: deinde ex Italica. Excurrit hic per plures populos, de quibus vide Excursum VII, tom. III, pag. 381 et 395.

789. *At levem clypeum.* Hanc clypei descriptionem cum aliis aliorum poetarum comparans Scaliger, judicat in Virgilio meram esse operam, in aliis meram ostentationem. — *Sublatis cornibus*, id est, erectis: pace nostri Cerdæ dixerim.

790. *Insignibat.* Signo suo elatum esse faciebat, sua cælatura insignem faciebat. *Serv.*

799. *Circæumque jugum.* Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui *Anxurus* dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est, sine

803. Exhibet nomen, gentem, genus militum, qui illam sequebantur: nomen, Camilla: gentem, nam ex Volscis: genus militum, nam turmæ equestres, et istæ cataphractæ: milites enim cataphractos intelligo per *catervas florentes ære.* Pergit deinde ad studia Camillæ: non assuefecerat manus, etiamsi virgo, colo, et calathis, quæ pertinent ad Minervæ studium: sed manus bellis, pedes cursui; manibus inibat dura prælia; pedibus ventos prævertebat.

808. Extremum hoc de celeritate amplificat ab aristis terræ, a maris fluctibus: aristas neque lædebat, neque inclinabat, etiamsi teneras et molles; ita enim per illas ferebatur, aut potius ita volabat, ut videretur eas non contingere: fluctus, et medium mare ita pedibus metiebatur, ut illos neque aqua intingeret; immo videbatur ipsis fluctibus suspendi; adeo pedes non imprimebat!

812. Sequitur omnium admiratio ad inusitatam virginem: juvenes, et feminæ stupebant; atque effusi ex tectis, atque agris illam admirabantur, prospectabant, inhiabant, vere attoniti. Quid vero admirantur? quid obstupescunt? illud videlicet, quod positum contra opinionem: juvenes (nam hos prius posuerat) ornatum in bellatrice; feminæ arma in muliere: ita concipit Servius, neque displicet; ergo juvenes Regiam purpuram velantem humeros, auream fibulam internectentem crines: feminæ pharetram Lyciam, et myrtum cum præfixa cuspide, qualem solent pastores gerere.

novacula; quia barbam nunquam rasisset; et Juno virgo, quæ *Feronia* dicebatur. Est autem fons in Campania juxta Tarracinam, quæ aliquando *Anxiris* est dicta. *Serv.*

803. *Hos super advenit Volsca de gente Camilla.* Prudenter post impletam commemorationem virorum, transit ad fœminas: ita enim et de Trojanis legitur, qui ultimum Amazonum auxilium postulaverunt; quæ res ab Homero prætermissa est. Sane jam præsagium est infelicitatis futuræ, quod inter ipsa principia armantur et fœminæ. *S.*

805. *Calathisve Minervæ.* Minerva et armorum Dea est, et lanificii: sed Camilla animum ad arma sola contulit. *Serv.*

808. *Illa vel, etc.* Sunt, qui hæc quatuor carmina Virgilii non esse pertendunt: quæ tamen Quintil. VIII, 6, citat; atque ex Homeri Iliad. XX, mutuata, post Macrob. Scaliger etiam notat V, 3, quæ digna sunt ut agnoscantur: cæterum in omnibus antiquis codicibus reperiuntur, nec Virgiliana gravitate indigna mihi videntur.

809. *Aristas. Aristæ* sunt primæ spicæ partes, ab eo, quod primæ arescant, dictæ. *Serv.*

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER OCTAVUS.

(Vide Argumentum generale, vol. III, pag. 397.)

ANALYSIS.

Propositum belli signum a Turno; concinunt cornua; equi incitantur, arma impelluntur; turbantur omnes; Latium conjurat; juventus ad bellum sævit. Ductores sunt Messapus, Ufens, Mezentius; eguntur undique auxilia ab agris; 1—8. Legatio ad Diomedem, ut Latii rebus faveat; 9—17. Æneas, viso apparatu Latini belli contra se, curis æstuat, ad quas explicandas comparatio adhibetur; 18—25. Inter has somnus Æneæ obrepsit, cui dormienti apparet fluvius Tyberinus; 26—35. Præbet illi argumenta, quibus non vanum esse somnium putet; 36—50. Docet Æneam, quæ debeat auxilia contra Latinos comparare; deinde sacra Junoni et sibi perficienda; tertio, quis sit, aperit; 51—65. Abit fluvius et nox: excitatur et surgit Æneas; precatur Nymphas et Tybrim, ac promittit sacra; 66—78. Aptat se ad iter nauticum; mactat suem in honorem Junonis: Tybris lenit fluvium suum, ut placida sit navigatio; 79—89. Describitur navigatio Æneæ ad Evandrum jucundissimis circumstantiis; 90—101. Evander, Pallas, cæteri Arcades dabant operam sacris Herculeis, quum ad eos Æneas appulit: terrentur omnes ad visas naves; spectator unius Pallantis ardor; 102—114. Declarat Æneas, quis sit; humanissime a Pallante excipitur, a quo ducitur ad patrem Evandrum; 115—126. Sermo Æneæ ad Evandrum, quo explicat, post captatam benevolentiam, quæ sit ratio cognationis inter Arcadas et Trojanos; 127—142. Adjungit rationes alias, quibus impellat ad statuenda secum fœdera; 143—151. Repetit Evander causas ab initio, quibus libentissime adducitur ad amorem Æneæ et Trojanorum: dat dexteram in signum fœderis; promittit auxilia; invitat ad celebranda secum sacra Herculis; 152—174. Reponuntur dapes et pocula; fit sessio ad epulas; Æneas præ aliis honestatur loco et cibo; 175—183. Post epulas, aperit Rex sacri illius originem: incipit vero a notitia Caci.

cujus describit speluncam, crudelitatem, genus; 184—199. Adventus Herculis in ea loca; Caci furtum et dolus; 200—212. Furti deprehensio ex mugitu boum; 213—224. Expugnatur ab Hercule Caci spelunca; 225—240. Apparent immissa luce cavernæ interiores; comparanturque cum inferno: tuetur se Cacus contra Herculis vim fumi nebula, quem vomebat: Hercules primum telis rem gerit; mox se conjicit in speluncam; corripit semihominem, atque elidit; boves recuperantur; 241—267. Datur Herculi divinitas et ara, in memoriam accepti beneficii; invitat Evander Trojanos ad similem celebrationem; coronat se, et scyphum accipit; fit libatio et precatio; 268—279. Adsunt cum pellibus sacerdotes; ferunt flammas; peragitur secunda mensa; saltant Salii; fit chorus musicus juvenum, et senum, quo canuntur Herculis præclare gesta: adstrepunt nemora et colles dulci cantilenæ; 280—305. Itur in urbem, perfecto sacro; quærit in via Æneas de initio Pallantæi; incipit Rex narrationem a moribus barbaris, qui vigebant ibi ante urbem conditam; 306—318. Exponit duplicem statum Italiæ, aureum sub Saturno, ferreum sub Regibus; 319—336. Post verba habita, indicat jam digito quædam urbis loca; facit præcipuam moram in Capitolio; 337—358. Itur ad domum Evandri et quietem; 359—369. Interea Venus pro nato sollicita alloquitur Vulcanum conjugem; petit ab eo arma, illius arte fabricata, quibus Æneas utatur in bello Italiæ, contra Turnum; 370—386. Post verba, sequuntur affectus alii, quibus victus Vulcanus promittit se facturum, quæ petuntur, dormitque cum uxore; 387—406. Excitatur a somno, stimulatus cura Veneris; adhibetur comparatio ad explicandam diligentiam Vulcani; describitur ejusdem officina; 407—422. Invenit Vulcanus Cyclopas variis operibus distentos: tria numerat; Jovis fulmen; currum Martis, Ægidem Palladis; 423—438. Exhortatur illos ad fabricam clypei, qui hic describitur distinctis partibus; 439—453. Interim surgit Evander; induit se, et gladio cingitur; adsunt canes comites; it ad Æneam; hic etiam surgit; conveniunt ad sermonem cum illis una Pallas, atque Achates, ille Evandri, hic Æneæ comes; Evander incipit; 454—469. Post captatum Æneam, excusat tenuitatem suam ad auxilium, quod petebatur: ait tamen aliunde fortunam illuxisse; quod ut ostendat, incipit narrare res Mezentii, qui Agyllinam urbem occupavit, tenuitque cum sævo imperio; 470—483. Non ferunt Agyllini acerbitatem imperii; nova in Regem moliuntur; fugit ipse ad Turnum; volunt cives bello illum persequi; retinet illos aruspex, qui ait, fatis statutum, ut illi, ducis externi imperium secuti, bello Mezentium aggrediantur, non aliter; 484—504. Audito oraculo, Thusci imperium deferunt ad Evandrum, qui, nec se propter senectutem, nec filium propter maternum genus aptos declarat, ac propterea ex mente oraculi imperium illud Æneæ mandandum, quem Pallas sequetur cum equitibus quater centum; 505—519. Inter hæc verba, ac sereno tum cælo, repente omnia cœpta commutari splendore fulgurum, tonitruum strepitu, fragore cæli, armorum in nubibus collisione: obstupescunt reliqui; lætatur Æneas, aperitque Evandro causam obmurmurantis

cæli, et quæ sciebat de promissis sibi Vulcani armis: ad extremum interminatur Italis belli cladem miserabilem; 520—540. Fiunt sacra ab Ænea et Evandro: legit ille, quos secum ducat, atque ab his separat, qui per Tyberim ituri ad Ascanium, successum patris narraturi: his quos Æneas legerat, equi dantur; ipsi etiam Æneæ extra omnem sortem; 541—553. Adest jam tempus profectionis; timent matres suis liberis, et unus Evander Pallanti suo, qui etiam in ejus complexu, et cum lacrymis multa ad illum, et ad Deos fundit: ad illum, optans vires pristinas, quibus confecit Herilum; eas enim si vires haberet, non natum mitteret contra Mezentium, potens ipse ad suam vindictam: ad Deos, orans vitam, si visurus est Pallantem redeuntem vivum; sin mortuum, orans mortem: collabitur senex in exitu sermonis, non jam sui potens præ dolore; 554—584. Describitur euntium ad bellum exitus; Pallantis pulchritudo; pavor fœminarum; via militum; equorum strepitus; 585—596. Agmen ad collem pervenit juxta lucum, cujus ex occasione religio describitur; 597—607. Apparet nato Venus in secreto loco sylvæ; adfert arma, quibus is pugnaturus cum Turno; amplexata illum, arma collocat sub quercu; 608—616. Lætatur Æneas ad visa arma, atque avide intuetur illa, et admiratur; mox etiam manu versat singula; 617—625. Incipit fabrica clypei, in quo futuri Romanorum triumphi; stirps ab Ascanio; bella; lupa nutrix Romuli et Remi; 626—634. Juxta conditores erat Roma ipsa; Sabinæ raptæ, et propter raptum hunc, Sabinorum in Romanos bellum; mox pax Tatii et Romuli ante aram Jovis, una cum sacris, quæ tunc facta: neque procul inde Metius raptatus ab Tullo, quia mendacis et falsæ in Romanos fidei; 635—645. Sequitur duplex historia; prima Porsennæ volentis restitui Tarquinium, dolentisque propter facinus Coelitis et Clœliæ: Manlii altera defendentis Capitolium a Gallis, beneficio anseris: describitur obiter Gallorum habitus et arma; 646—662. Exhibet variam rerum imaginem, quæ excusæ sunt in clypeo; Salios; Lupercos; Apices; Ancilia; matres in pilentis; Tartarum, et in eo Catilinam; Pios, et inter eos Catonem; 663—670. Erat et mare, cui forma aurea; sed fluctus cani, et ex argento delphines: in medio bella Actiaca et classes, ac mirus belli apparatus: in puppi videbatur Augustus, cum ingenti et hominum et Deorum comitatu, cum armis apprime conspicuis: parte alia Agrippa cum agmine, cum corona navali; 671—684. Consistunt contra Romanam classem Antonius et Cleopatra, Ægyptus, Oriens, Bactra: accedunt ad bellum hinc inde naves: pugnatur acerrime flammis, et telis: non duces solum ducibus, sed Dii Ægyptii etiam oppositi Diis Romanis: ibi pulchra hypotyposis Martis, Dirarum, Discordiæ; Bellonæ; 685—703. Victoria Phœbo tribuitur, qui intento arcu omnes in fugam vertit; in quam se etiam dedit Cleopatra, jam pallida timore mortis: erat ibi quoque Nilus vocans ad se fugientes milites; 704—713. Describitur in libri exitu triumphus triplex Augusti; illius votum; urbis lætitia; sacra in templis; dona ad victorem allata ab diversis gentibus; multitudo populi; universus orbis domitus. Liber clauditur; 714—731.

EXPLICATIO.

1. Dicit, subito turbatos animos Latinorum ad signum quod Turnus ab arce extulit; ad cornua raucum strepentia; ad equos concussos; ad impulsa arma: ista enim omnia nata inprimis ad turbationem, quum præsertim multi nescirent Trojanorum adventum: fuerat enim bellum subito accensum. Servius ait dedisse signum equitibus verba illa, *utque acres concussit equos:* peditibus vero illa, *utque impulit arma*.

4. Turbationem sequitur conjuratio totius Latii, et hæc cum *tumultu*, ut par erat: juvenes quoque sæviunt ad bellum, ut quibus insita ferocitas.

6. Primi omnium Messapus, Ufens, Mezentius in agros discurrunt, adducturi auxilia, etiam cum nocumento victus; nam cultores quoque agrum ad arma compellunt. et qua eunt, omnia vastant: itaque *cogunt* hic notat vim. In his personis omnia propria, quod advertit Servius, Messapus bonus equo, ad equites mittitur; Ufens egregius pedes, ad pedites; porro Mezentius impius in Deos, contra pios Trojanos.

9. Post victam Trojam, Diomedes in Apulia Italiæ consederat; ibique Arpos, aut Argiripam urbem condiderat: ad hanc urbem Venulus legatus mittitur. Notanda vero mandata omnia, ut Diomedes permoveatur ad mittenda auxilia; jubent enim, ut Venulus Diomedem doceat, *Teucros*, scilicet antiquos hostes Græcorum, *consistere*, quasi jam illi domicilium habeant, *Latio*, id est, in ipsis Italiæ visceribus: ducem vero

NOTÆ.

1. *Ut belli signum, etc.* Quemadmodum poeta libro VII, Æneam suum, auspiciis divinis et blandientibus elementis omnibus, ad Italiam duxit; quam et descripsit, et catalogum copiarum Turni recensuit: ita deinceps persequitur, quantis animis atque apparatu in bellum utrinque itum fuerit: præcipue quid Æneas, paucitati copiarum suarum diffidens, consilii ceperit: et quo pacto in somnis a Tiberino rem suam edoctus sit: neque auxiliis solum humanis, sed armis etiam divinis ornatus processerit. Inprimis autem admirabile est « Clypei » illud, ut poeta loquitur, « non enarrabile textum. » Et alioquin hic liber varietate rerum, elegantia, et eruditione certat cum reliquis, præcipue ob digressiones illas in historias, et orationes summo artificio compositas. Porro, quemadmodum Græcia, sub Agamemnone, in Trojæ excidium conjurabat in Aulide: ita hic sub Turno Latium conjurat in Trojanorum reliquias. *Taubm*.

illorum esse *Æneam*, filium nempe Veneris, quam Diomedes ipse vulneraverat; *advectum classi*, ut ita major formido Diomedem invadat: quippe res geritur cum hoste munito classiariis militibus: deinde doceat *Penates*, tametsi *victos* illos, *inferri* quoque; verbum funestum, et ominosum; ne videlicet putetur res temere agi, sed cum auspicio Deorum, hisque præeuntibus: et, quod invidiosius adhuc, *fatis Regem se dicere posci;* quasi velint, non tutum esse in Italia Diomedem, quum fata Regem alium videantur poscere. Neque vero tantum Trojano milite Æneas munitur, religione, aut fatis: sed etiam *multasque viro se adjungere gentes Dardanio*, *et late Latio increbrescere nomen.* Natum hoc ad magnam formidinem, quasi Itali se adjungant, non tam Æneæ Trojano, quam *viro Dardanio;* videlicet agnoscentes post longa sæcula primos Dardani ortus, qui fuit Italus; atque ita velint ex suo seminio Regem, non Græcum aliquem, et externum.

15. Ab his rebus volunt, consideret Diomedes, quam sint in arcto res. Hoc enim ipsi erit manisfestius, ut qui diu cum Trojanis pugnavit, quam Turno, aut Latino. Nam certum est, quid Æneas *his cœptis struat; quem cupiat esse pugnæ eventum*, aspirante fortuna: non profecto alium, quam toti Italiæ dominari, ac proinde nec Diomedem tutum esse in Apulia. Sunt istæ honestæ quædam minæ, ut quæ tectæ: vidi sæpissime in poetis multos legatorum sermones, in quibus fuse multa, et fere ad rem nihil: in Virgiliana hac legatione omnia vivida et efficacia, munita fatis, religione, opibus; ut nullus relinquatur Diomedi ambigendi locus.

18. Gerebantur hæc per Latium; quæ Æneas quum sciret, credi vix potest, quo curarum æstu fluctuaret; uti animum in partes omnes divideret, raperet, versaret. Quid enim aliud faceret advena, ignotus, nullis ibi neque necessitudinibus, neque cognationibus?

22. Vidisti aquam inclusam vasis aheneis, percussam Solis

18. *Laomedontius heros.* Virtute et calliditate Laomedonti respondens; nota enim est hujus prudentia: invigilandum est Æneæ ad motus omnes Turni: ergo poeta non pro libidine utitur his vocibus, *Dardanius*, *Troius*, *Laomedontiades* heros; dux *Anchisiades.*

20. *Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.* Vel quod suis copiis bellum Itali adversus eum parabant; vel quod a Diomede veteres hoste suo auxilia postulabant. — *Celerem*; ad corporis comparationem quod tardum est, ut in VI, Æ. 720, *tarda corpora* dixit.

ac Lunæ radiis, uti ex se lumen vagum ac discurrens emittat; et nunc tecta, nunc parietes velocissime percurrat, idque sæpe; nam sæpe radiis percutitur: talem finge Æneam.

26. Descriptio noctis a sopore, quo alites et pecudes profundissimo capiuntur: ideo *sopor* signate, non, somnus: hunc adjuvat labor; præmittit enim, *fessa animalia.*

28. Æneas quoque tristi bellorum cogitatione distractus, ad ripam Tyberis quum esset, et sub nudo æthere, non tam in somnos concessit, quam fessus procubuit, et seram tandem quietem admisit, ac sibi indulsit: vicit quippe illum vigilantem, et veluti obluctantem somno natura ipsa, et humana necessitas.

31. Dormienti apparet fluvius Tyberinus, qui illius loci Deus: describitur ejus ætas, et ornatus: ætas nam *senior;* ita enim fluvii ab æternitate sua: ornatus duplex; inerat illi in corpore vestis tenuis carbasina, cui glaucus color; in capite corona arundinea, qua umbrabantur crines: extulit vero se inter populeas frondes, quia ripa fluminis, prætexta populis.

35. Affatur, ut qui consolabundus; et demit curas, quibus Æneas turbatus instante bello.

36. Captat illum initio sermonis; nam a Diis satus propter Venerem. *Revehis nobis Trojanam urbem*, id est, Trojanos cives, hosque ereptos a Græcis hostibus; quasi dicat: tu unus tantæ cladis reparator: et *revehis* ait propter Dardanum; de quo alibi, *hinc Dardanus ortus, huc repetit.* Pergit; *æternaque Pergama servas*, id est, servando facis, ut sint æterna. Quæ sequuntur, attollunt animum Æneæ, *Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis.* Dat enim arvis Latinorum affectum incredibilem visendi Æneæ: exspectant te, Ænea, terræ Laurentes, et arva ista gestiunt cupiditate tui.

39. Petiverat Æneas in III Æneid. *Da propriam Tymbræe domum, da mœnia fessis.* Ecce nunc Tyberis; *Hic tibi certa domus; certi Penates:* ne vero fatiscat, addit, *ne absiste, ne terrere minis belli:* quin tibi, inquit fluvius, propitia et fausta promitto numina: nam *tumor Deorum*, quo in te inflati, *iræ*, quibus commoti, jam *concessere*, cessere, abiere.

42. Adhibet indicium vaticinii, ne Æneas putet se decipi somni ludibrio: invenies in litore, ac sub ilice suem, cui triginta porcelli, ipsa alba, et nati albi: jacebit illa, et nati pendebunt ab uberibus: vide, quot circumstantias complexus verbis paucissimis.

46. Jam ad rem : solum, ubi illa recubat, erit urbis condendæ solum, ac proinde laborum requies. Quia porcelli triginta, ideo post annos triginta Ascanius tuus urbem condet; et quia sus alba, ideo urbs ipsa Alba dicetur, claro quidem nomine, ut quæ parens Regum Albaniæ, Romuli, et Romæ : certissima hæc erunt, o Ænea, sed quia instat bellum, docebo te, uti expedire illud facile queas.

51. Evander, pronepos Pallantis Regis Arcadum, patrem suum occidit; inde patria relicta in exilium una cum comitibus profectus, Italiam appulit, ubi, pulsis Aboriginibus, urbem condidit, dictam à proavo Pallanteum, eo loci, ubi postea Roma exstitit. Notat Servius debere capi *profectum*, ut dicat, *genus profectum ad has oras* : non, genus profectum a Pallante. Vide Excursum primum, tom. III, pag. 474.

55. Sunt Arcades Latinis inimicissimi; ac propterea hos tibi socios para junctis fœderibus : ait, *ducunt*, non, gerunt, ut indicet continuas bellorum inimicitias.

57. De via ne cogita; ipse te eo ducam *recto flumine*, id est, recto itinere, ut alibi *litore;* tantum tibi parandi remi ad cursum; eundum enim adverso amne; ideo *subvectus*, et, *superes*, quibus signatur adversa unda.

59. Una tibi inprimis, albente statim cælo, placanda est Juno tuis conatibus inimica, ut iras tandem deponat et minas quibus æstuat : mihi quoque honorem persolves, victis hostibus; nam te victorem fore ne dubita : sum enim Tybris Italiæ fluvius, qui pleno semper aquarum agmine ripas perstringo; terris quidem salutifer, ut quas cursu meo pinguissimas reddo; cælo vero, ac cælestibus omnibus gratissimus.

65. Adjungit futuræ Romæ vaticinium. *Hic*, id est, in Italia,

55. *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina. Ducunt*, aut gerunt, aut in longum trahunt : et bene præstandorum auxiliorum exprimit caussam, ne magis Turno, quasi Græco, favere credantur. *S.* — Græci *ἄγειν πόλεμον*.

58. *Adversum remis superes subvectus ut amnem.* In codicibus aliquot, mutato numero *adversum superes remis.* Sed concursus ille syllabarum *sum*, *su*, *res*, *re*, molestam præ se fert asperitatem. In aliquibus autem manu scriptis, versus hic non habetur. *Pier.*

59. *Primis.* Proprium cadentibus astris, quum primum nox occiderit : et dictum juxta vulgarem opinionem, tanquam oriente die, occidant astra. *Serv.*.

60. *Junoni fer rite preces.* Sicut etiam Helenus monuit : et sic *fer preces*, quemadmodum *sacra ferri* dicimus. *Serv.*

65. *Hic mihi magna domus.* Scilicet circa exitum suum; quamvis

quam ego seco, mihi erit domus magna, scilicet Roma, quæ omnibus urbibus futura est caput.

66. His dictis, fluvius statim se in suum antrum (*lacum* hic vocat) abdidit; in quo antro erat Regia Tyberis: vix hoc illc, quum nox abiit, et ab Ænea somnus.

68. Ut primum surrexit, conversus est ad Orientem precabundus; prius tamen aquis se purificavit, idque e veteri sacrorum more; hoc est enim *rite*.

71. Invocat primum Nymphas Laurentes, et Nymphas quidem, ut a quibus amnes ducant originem, videlicet a lymphis: mox se ad Tyberim convertit, quem vocat genitorem, et ejus flumen sanctum: huic se et Nymphis totum committit, ut pericula arceant, quæ multa esse poterant in alieno solo, venienti ab Asia homini.

74. Promittit in posterum Tyberi sacra, quippe Deo (hoc enim indicat) quocunque loci ejus sit Regia, unde pulcherrimus oritur, et ubi ærumnas ducis miseratus est. Distinctio Donati inter *lacum*, et *fontem*, non ad mentem Virgilii, qui clare confundit: ait enim, *quocunque fonte tenet te lacus*. Itaque liquida sententia est: ubicunque tua est Regia (hanc enim per *lacum*, et *fontem* intelligit, nam ibi credenda est esse Regia fluminis, unde erumpit) et undecumque exis, semper, etc.

77. Demum absolvit magnifice invocato fluvio: vocat enim Regem aquarum Italiæ, quæ laus præclara; petitque, ut adsit ad juvamen; et, quæ promisit, confirmet; idque *propius*, id est, citius.

enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo: alii Romam dicunt Tyberini esse domicilium, hinc dixisse « magnam domum »: alii ostia dicunt ab hoc, quod nos, quum per diversa discurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus, ibique requiescimus; ut idem hic, quum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare: alii, *domum*, non Romam significare, quæ adhuc non erat, sed regionem illam, ut ostendat sibi eam demum electam, quæ ad totam gloriam perventura ait. *Serv.*

69. *Undam de flumine palmis sustulit.* Quia dicitur nox etiam solo somno pollnere: unde est; « et noctem flumine purgat. » *Serv.*

77. *Corniger.* Flumina ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum boum imitatur murmur undarum: sive quod plerumque in cornuum similitudine curvatas cernimus ripas. *Serv.*

78. *Tua numina.* Contendit enixe Mellerus in suis Spicilegiis legendum *omina*, ex veterum more satis trito, qui omina firmari poscebant: et nihil putat obstare hiatum versus: nam Virg. ipse, « Credimus, an qui amant. » Agnosco formam,

79. Quia festinato opus, ideo se statim ad cursum accingit, atque ex tota classe biremes duas eligit præstantiores, et fortiores; hanc enim præstantiam indicat verbo *legit:* aptat illas *remigio*, id est, remigibus: et hos remiges, quos vocat *socios*, adornat *armis*, id est, armamentis nauticis, et remis.

81. Petiverat Æneas, ut Tybris rem firmaret; ecce jam firmamentum, de quo in somnis fluvius: videt in sylva, atque in ipso litore suem albam cum albis procellis; hoc est enim *sus concolor cum fœtu albo:* quia vero ibi *jacebit*, ideo hic *procubuit:* ibi *fœtus*, hic *fœtu:* ibi *litoreis sub ilicibus*, hic *per sylvam in viridi litore.*

84. Explicat jussum; quippe Tybris, *Junoni fer rite preces:* ergo mactat suem in honorem Junonis, et cum grege toto, id est, triginta porcellis. Particula *enim* respicit præceptum fluminis: itaque ait; *quam Æneas mactat tibi, o Juno Maxima; tibi enim* mactandam præcepit Tybris.

86. Tybris in gratiam Æneæ leniit nocte illa tumorem fluminis: ita vero reddidit placidum, ut instar stagni, aut paludis, refluente unda, subsisteret, sterneretur que vere *æquor*, id est, æquum; ne videlicet diu remis fieret obluctatio; sed perquam placide absolveretur navigatio.

90. Duplex res, et celeritas, et felicitas: quia *celerant*, ideo explicatius *labitur abies;* et addit causam, quia *uncta*, et *vadis;* quia scilicet tranquillæ undæ et lenes. Sequuntur miræ prosopopœiæ: undæ et nemus mirantur insueta arma, scuta non visa, et fulgentia in ipso fluvio: mirantur etiam naves pictas.

nec muto versum: dicuntur enim Dii tueri, firmare, vindicare, sancire sua numina. *Cerda.*

81. *Monstrum.* Quia et subito et cum triginta porcellis est visa. *S.* — *Monstrum.* Id est, quod videtur contra rationem naturæ. *Donat.* — *Monstrum.* Propria usus voce, a monstrando et prædivinando; ut et portentum a portendendo.

83. *Conspicitur sus.* Horatius; « et amica luto sus. » Sciendum tamen hoc esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia: ut, « parturient montes, nascetur ridiculus mus » : gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium. *Serv.*

86. *Fluvium.* Hic flumen ipsum aquæ cursu lenitum, accipiendum est. — *Quam longa est, nocte.* In quantum longa est: ut, « Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere. » — *Refluens.* Velut in alveum suum recurrens, ut Æneas contra undas pergens, descendentis celeritate propemodum uteretur. *Serv.*

90. *Rumore secundo.* Ego existimo Maronem hic dicere Trojanos lenitate fluminis, et monstro albæ

94. Trojani, noctem diemque remigando perpetim fatigant; superant flexuosum fluvium; teguntur variis arboribus, quæ ad ripam fluminis. Ea vero erat placiditas amnis, ut arbores in fundo ipso cernerentur, ac proinde viderentur secari una cum undis. Observa diem integrum consumptum Æneæ in apparanda navigatione, et sacrificio porcæ; ac proinde navigatio incœpta sequente nocte: inde prius *noctem*, deinde *diem fatigant*.

97. Erat jam Sol in medio cursu sequentis diei, quum cernunt urbem Evandri. Movet affectus a præsenti fortuna, et futura: a præsenti; nam *rara tecta, res inopes:* a futura, *quæ nunc Romana potentia cœlo æquavit.* Visa urbe cursum sistunt; vertunt proras ad litus; appropinquant.

102. Bene notat Servius venientibus Trojanis statim felix omen affulgescere; fiebant enim sacra Herculi, quippe Deo victori, ut proinde se victores futuros arbitrarentur: ergo ait, eo fortasse die incidisse celebritatem Herculis. Vide vero, ut omnia distinctissime a personis, a locis, a sacris. Personæ; nam Evander, Pallas, primi juvenes, et senes (hos enim intelligit Senatum nominans) sacra ferunt Herculi, et Diis reli-

scropbæ exhilaratos, lætis et secundis ominibus et acclamationibus iter inceptum urgere; *rumorem* enim sic vocat hic, et omina significat, ut apud veterem poetam in Tull. Divin. I: «Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.» Quæ verba clare notant celeusma nauticum. Hæc simplex, et vera, ut puto, explicatio.

96. *Secant placido æquore silvas.* Ostendit adeo perspicuam fuisse naturam fluminis, ut in eo apparerent imagines nemorum, quas Trojanæ naves secabant. Terentianus, «Natura sic est fluminis, ut obvias imagines nemorum receptet in lucem suam.» *Serv.* — Heynius merito hanc interpretationem Servio et Cerdæ probatam reprehendit, Tom. III, p. 407; N. Ed.

103. *Amphitryoniadæ magno divisque ferebat.* Amphitryo rex Thebanorum fuit, cujus uxorem Alcmenam Jupiter adamavit; et dum vir ejus Œchaliam civitatem oppugnabat, de trinoctio facta una nocte, cum illa concubuit: quæ post duos edidit filios; unum de Jove, id est, Herculem; alterum de marito, qui Iphitus appellatus est. Ergo adsumpsit epitheton Amphitryoniadæ, et satis perite ait, «Divisque ferebat»: nam cuivis Deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum reliquos invocari. *Serv.*

105. *Juvenum primi, pauperque senatus.* Totam ostendit ætatem, et præmisit *juvenes*: nam per *senatum*, seniores significavit. *Pauper* autem, aut ad numerum retulit (centum enim sub Romulo fuerunt); aut revera *pauper*, per quod Romani imperii ostenditur parcimonia pro laude tunc habita: et libri veterum tradunt a majoribus

quis, sed Herculi κατ' ἐξοχήν. Locus; nam ante urbem, et in luco, et ad aras. Sacra; nam thura dabant; fumabat cruor.

107. In hoc medio sacrorum apparatu vident naves, a quibus suspicari vim possent; nam taciti remi, et adlapsus potius quam navigatio, præsertim inter opacitatem nemoris: quæ omnia nata ad insidias.

109. Hinc terrentur; consurgunt; mensas linquunt. Sed ecce Pallantis ardor, quippe in juventute fervida: inde illum audacem facit, et volantem cum telo, et obvium hostibus; additque rationem, quam non capient, nisi pii et fortes, ne scilicet sacra interrumpantur. Pulchre enim notat Scal. lib. III, cap. 26, Pallantem hic induci religiosum, fortem, acrem; nam vetat sacra rumpi: rapit telum, non sumit: volat ipse, non alius ejus jussu.

112. Audacem dixerat: et statim, ut militares esse agnovit, hoc enim indicat juvenes nominans, nihil territus, rogat causam adventus; finem viæ; quo sint genere; qua domo? Demum, ut ad omnia se paratum indicet, adjicit, *pacemne huc fertis, an arma?* Interrogatur persona, regio, iter, civitas; ut ex his cognoscatur et causa discriminis.

115. Nemini potius committi potuerunt partes respondendi quam ipsi Æneæ: ideo ille fatur, et ab puppe, qui ejus locus. Primo autem pacem præfert prætento ramo oleæ, ut re ipsa indicet, se pacem ferre, non arma, quod Pallas rogaverat.

117. Rogaverat Pallas, *qui genus?* Ergo Æneas: *vides Trojugenas:* et addit; *tela Latinis inimica;* quia audierat à Tybri; *hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.* Adjicit: *quos illi bello profugos egere superbo;* sicut et vos. Quum ait *profugos,*

sacrificando parcimoniam observatam esse. *Serv.* — *Pauperem senatum*, et numero et opibus intelligit Donatus.

110. *Consurgunt mensis.* Quidam mensas proprie Deorum tradunt, nam et ideo subjunctum, « quos rumpere Pallas sacra vetat. » Ne interruptione sacrificii (*rumpere* enim pro interrumpere posuit) piaculum committeretur. Unde etiam Helenus; « ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum, Hostilis facies occurrat, et omina turbet. »

Audacem autem dicit ubique Virgilius, quoties vult ostendere virtutem sine fortuna: unde etiam Turnum audacem vocat. *Serv.*

112. *Et procul.* Quum assiduum bellum gererent cum gente Latina, non mirum si anxie cuncta exploraret. *Don.* — *Juvenes, quæ caussa.* Succincta et plena interrogatio: cui per singula respondit Æneas. — *Quæ cura*, nonnulli habent.

118. *Quos illi bello profugos.* Sicut et vos: et movet conciliationem etiam ex similitudine fortu-

acerbat crimen; quasi dicat: nulla est in his humanitatis nota; arcent suis finibus vos profugos Arcadia, nos profugos Phrygia. Rogaverat etiam Pallas, *quo tenditis?* Respondet Æneas, *Evandrum petimus:* et adjicit causam itineris, *socia arma rogantes:* itaque petitio ista non hostilis, sed amica est.

121. Obstupescit Pallas ad nomen Trojanorum, ac statim perhumanus, *egredere:* et quia nomen Æneæ loquentis ignorat, *o quicunque es.* Ne vero aliquid confirmaret sine patris auctoritate, contentus offerre hospitium, reliqua ad patrem rejecit; dato interim amplexu, et prehensa manu, ad amoris notam; quasi dicat: non sumus, ut Latini; non profugos arcemus; sed admittimus hospites.

125. Hoc facto relinquunt fluvium; progrediuntur ad lucum; Æneas statim Evandrum alloquitur.

127. Vide, ut captet: Græci fraudulenti sunt et dolosi; tu unus inter illos optimus: non dedignor, eo me redactum a fortuna, ut ad te supplices manus tendam. *Rami compti vitta* sunt, innexi et illigati vitta lanea; ut ipse *tum ramum innectit olivæ:* ergo, quod illic *innectit*, hic *comptos*.

129. Duo poterat timere Æneas, ne Evandrum adiret; primum, esse illum Principem Græcum; alterum, esse cognatione conjunctum cum Agamemnone et Menelao.

131. Diluit primum: quasi dicat; non timeo, te esse principem Græcum; nam virtus mea, et Deorum oracula tutum me inter hostes faciunt. Diluit alterum: non timeo, te esse cognatione conjunctum cum Agamemnone et Menelao: nam patres vestri, et nostri, cognati quoque; et addit famam, quæ de virtute Evandri sparsa in omnem locum. Hæc me tibi, inquit, non conjungunt modo, sed etiam volentem adigunt: quod enim voluntatis meæ fuerat, egit necessitas fati. Ex hac explicatione, quæ certe cognatior menti poetæ, capio in illis, *mea me virtus*, non tam ἀνδρείαν, quam ἀρετήν.

134. Diluerat alteram rationem; hanc nunc explicatius exhibet. Dardanus Trojanæ urbis pater et constitutor primus,

næ; et ostendit immites juxta peregrinos. — *Superbo*, quia injustum. *Serv.*

120. *Dardaniæ venisse duces.* In Romano codice, et aliquot aliis, *duces* legitur; in nonnullis *viros:* in plerisque vero codicibus, vel hæc vel illa dictio abrasa discernitur. — *Socia arma rogantes.* Hoc ad illud pertinet, « quæ caussa subegit. » *Rogantes* autem ad id pertinet, quod a Sibylla dictum fuerat, « Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes? » *Serv.*

filius fuit Electræ filiæ Atlantis: Mercurius primus Arcadum pater, filius fuit Maiæ filiæ Atlantis. Itaque Electra et Maia sorores fuerunt, illa mater Dardani, hæc Mercurii: ergo, quum Trojani a Dardano, Arcades a Mercurio ducunt originem, fit proinde, ut Trojani, et Arcades cognati sint, ut qui ab uno Atlantis sanguine et semine, unde scindit se amborum genus. Ecce rei hujus firmamenta: Electram fuisse filiam Atlantis, et ab ea natum Dardanum, vestri perhibent Græci: Maiam fuisse Atlantis filiam fama fert, et auditis credimus. Itaque primum valide firmavit, et Græcos ipsos testes adduxit, ne Evander negaret, qui Græcus: alterum in famam conjicit, contentus ea; non enim Evander negaret, quæ essent proprii decoris.

143. Fretus virtute mea, Deorum fatis, cognatione, quæ est inter Arcadas et Trojanos, nolui per legatos rem gerere; nolui arte aliqua et callido consilio tentare; nihil pactus sum antea tecum, ut solent illi, qui non satis fidunt alteri; non enim se credunt, nisi pacto aliquo: ita omni dolo abjecto, nullo consilio occultato, me tibi, et caput meum objeci, et supplex ad te veni: vide, quam tibi fidam.

146. Efficacissima sunt hæc: qui mihi hostes sunt, tibi hostes sunt: si me Italia pellant, te Italia pellent: credunt enim nihil abfuturum, quin, me victo, Italiam omnem suam faciant, etiam penitissima quæque et extrema: neque his contenti tenebunt mare superum, mare inferum, id est, Adriaticum, et Tyrrhenum. Quæ tibi nunc spes, Evander? ergo accipe, et da fidem.

150. Conclusio argumenti: nihil jam restat, nisi fidem a me accipias, et des vicissim: ne dedignare socios Trojanos: sunt nobis fortia pectora, fortes animi. Quæris experimentum? spectati sumus et probati rebus contra Græcos gestis decem annorum cursu.

152. Avidissime Evander Æneæ os, oculos, corpus totum

143. *Neque prima per artem Tentamenta tui pepigi.* Cum nullo ante pactus sum, ut te, aut per artem aliquam, aut per legatos, probarem: sed intrepidum me tibi commisi. *Serv.* — Nec sententiam tuam aliqua artis calliditate elicui. *Don.* — Sunt qui *pangere tentamenta* accipiant pro componere et struere; ut pangere versus et vites: *pepigi* geminus est hic præteritus ab eo quod est *paciscor;* facit enim et *pepigi* et *pactus sum*, sicut *placeo* et *placitus sum. Pago* enim, unde multi venire volunt *pepigi*, nusquam est lectum. — *Me me ipse*, per Epizeuxim geminatur cum impetu pronunciationis. *Erythræus.*

perlustrabat, ut videlicet recognosceret in eo paterna Anchisæ lineamenta.

154. Mox erumpit in ejus laudes, vocans fortissimum; quasi habitus corporis, quod lustraverat, totus esset factus ad fortitudinem; additque, vere se in illo agnoscere Anchisæ verba, vocem, vultum: quæ laus magna Æneæ. Particula *ut*, est admirantis consentientem habitum Æneæ cum Anchisa.

157. Superior affectus petebat, ut diceret, ubi Anchisen agnovisset Græcus homo, quum hic Trojano bello non interfuisset: hoc jam explicat. Hesione soror Priami nupserat in urbe Salamine Telamoni. Abiit eo Priamus, sororem ut videret; adduxit secum ad comitatum, tum multos principes, tum præsertim Anchisen. Post visam Salamina, placuit *protinus*, deinceps, Arcadiam invisere, et totam illam regionem perlustrare: hinc factum, ut Priamus, et reliqui Trojani Principes exciperentur hospitio ab Arcadibus.

160. Pergit narratio Evandri: eram ego tum in prima pubertate: mirabar Trojanos omnes, Priamum ipsum, sed nescio quo amore rapiebar in Anchisen: ardebam alloqui illum, ut esse solent juvenum studia, et dextram dare: accessi tandem, et cupidus demerendi viri duxi ad Pheneum urbem meam.

160. *Genas vestibat.* Hinc vestis pro pube: unde vesticeps, pubes; et investiceps, impubes: investis quoque puer dicitur imberbis Palladio. *Lanuginem* autem ipsam, *florem* Virgilius appellat; Lucretius, *mollem barbam*; Lucilius, *barbulam primam*. Hic alluditur ad Græcorum ἀνθερεῶνα, mentum, quod a pilorum flore sic dictum putant. *Vestibat* vero pro *vestiebat*; nam poetæ metri gratia plerumque vocalem e abjiciunt. *Vestire*, tralatum ad primam barbæ lanuginem. Ita Lucr. lib. V: « Tum demum pueris ævo florente juventas Occupit, et molli vestit lanugine malas. » Hinc *vestis* pro pube, ibidem, « et impubem molli pubescere veste. » Et noster infra, vs. 659: « Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis », id est, barba, ut Servius exponit, et Scal. IV, 16, probat. Nam *vestis* generaliter omne integumentum est; ita arbores, gramen, herbæ, segetes dici possunt *vestes terræ*; ut notat Gifau. Ita Prud. « vestem plumarum » dixit. Columella, « ripas gramine vestitas. » Plinius, « animal pilo vestitum. » — *Flore.* Pacuvius dixit: *opacat flora lanugo genas*: alibi; *irrigat*: idem; *flori crines jacent.*

161. *Mirabarque duces Teucros.* Hos laudat; quo melior sit ille, quem præfert. *Serv.* — Est huic sententiæ suus fundus. Solent senes laudare et admirari, quæ gesta sunt ipsis juvenibus: ea displicent, quæ tunc accidunt. Horat. epist. ad Pisones: « Laudator temporis acti se puero. »

166. Quum abiit a me, reliquit symbolum amoris et hospitii, videlicet *pharetram*, et hanc *insignem*: deinde *sagittas*, et has *Lycias*: tertio *chlamydem*, et hanc *auro intertextam*; demum *frena duo*, et hæc *aurea*, quæ cessere in usum Pallanti meo. Vide, ut munera elogiis ornaverit optimus beneficii æstimator.

169. Ab narratione redit ad rem: petitis dexteram ad notam fœderis; hanc jam dedi vobis, quum dedi Anchisæ: itaque juncta jam est: petitis auxilia; hæc dabo, affulgente die crastino.

172. Invitat demum ad celebranda sacra, quæ sibi erant in manibus. Ratio duplex: prima; nequeunt differri: altera; sic jam nunc hospitalibus mensis assuescetis.

175. Redit ad inchoata sacra: turbaverat omnia adventus Trojanorum; præcessit quippe, *Terrentur visu subito, cunctique relictis Consurgunt mensis*. Ergo sublato jam terrore, dapes quoque, quæ sublatæ fuerant, et pocula reponuntur: et Evander nemini præcipiens, sed *ipse* humanitatis, et hospitalitatis jura adimplens *locat* hospites in sedilibus herbidis et gramineis.

177. Æneas reliquorum Princeps, nam *præcipuus* hic Princeps est, honestandus erat loco: itaque quum alii in sedilibus herbidis, ipse invitatur *solio acerno*; hoc quippe toro accipitur:

166. *Ille mihi insignem pharetram*. Jus hospitii habet inter se remunerationem; sed verecunde tacet Evander de suis muneribus. *Serv.* — Mire munera exornat, ne videantur levia. *Donat.*

168. *Frenaque bina*. Poetice; nam *duo* debuit dicere: *bina* enim secundum Ciceronem non dicuntur, nisi de his quæ sunt numeri tantum plurali: et Cicero per epistolam culpat filium scribens, male eum dixisse, « Direxi literas duas »: quum *literæ*, quoties *epistolam* significant, numeri tantum pluralis sint: contra *epistolas binas* non dicimus, sed *duas*. Serv.

172. *Quando huc venistis amici*. Siquidem amici venistis: extraneos enim ad sacra non licebat adhibere. Hos autem adhibet ad sacra, quasi antiquis junctos amicitiis: unde infert, « et jam nunc sociorum assuescite mensis. » *Serv.*

175. *Dapes*, ut notatum Servio: « Dapes epulæ Deorum propriæ, ut Jovis cœna. » Festus: « Dapes apud antiquos dicebatur res divina. » Inde notante eodem, *daptice* pro magnifice; et *dapticum*, amplum et magnificum: nam quæ Deorum sunt, magnifica sunt.

176. *Gramineo*. Hic de gramine facto: alibi *gramineo*, pro *graminoso*, ut « Gramineo ripæ religavit ab aggere classem. » — *Sedili*. Bene *sedili*: nam in templa Herculis lectisternium esse non licebat: quamvis apud veteres omnes sedentes vescerentur. *S.* — Donatus, Corn. Balbus, lib. XVIII, et Macrob. III, 8, hoc confirmant de sacris Herculis.

substernitur vero pellis leonis, ut Heroem decebat, et conveniebat in Herculis sacris.

179. Sederat jam vulgus, et Principes, ac statim ad epulas discurritur: adsunt *juvenes* ministraturi, et hi *lecti* ex more; adest etiam *Sacerdos aræ Herculeæ:* sed quæ fercula? duo tantum, videlicet *taurorum viscera; dona Cereris*, id est, panis; vinum præterea: fiunt hæc *certatim*, ad indicandum studium.

182. Explico hos duos versus, ut nemo prius. Æneas vescitur, et Trojani reliqui, sed cum discrimine: nam ille *perpetui tergo bovis;* isti *lustralibus extis*. Hæc profecto mens Virgilii: non scite, qui confundunt.

184. Postquam satisfactum necessitati, en *exempta fames;* postquam voluptati, en *amor compressus;* Evander incipit, et multis quidem, quo senectutis ἀδολεσχίαν intelligas, ad exemplum Homeri, qui ita in suo Nestore. Quid vero ait? solemnia illa, videlicet dapes et aram, ortum habere, non a superstitione, aut ignoratione Deorum, sed ab grato animo, quo servati sacra faciunt Herculi, et quotannis renovant: τὸ *imposuit*, tanquam onus.

190. Vide, ut explicet ædificium laceratum, a rupe jam labante; nam hoc est, *suspensa saxis:* deinde a mole ruderum, quæ creverant parte ædificii lapsa: inde sequitur optime *de-*

179. *Tum lecti juvenes*. Non vacat *lecti:* in sacris enim Herculis nec servi intererant nec liberti; adeo ut Appius, qui sacra hæc transtulit in libertos, vel, ut quidam volunt, in servos publicos, et caruerit oculis, et intra annum omnem familiam perdiderit Pinariorum. *Serv.*

183. *Perpetui tergo bovis*. Dicit appositum uni Æneæ integrum tergum bovis: hic enim Heroum honos in convivio. Neque vero turbet novitium lectorem, integrum tergum bovis, quantus ipse est bos, appositum: nam integros boves assari solitos satis docet Athen. Coqui etiam apud Plutar. integros apros assant ad cœnam Antonii. Quin hoc ad exemplum Herculis ipsius, qui apud Philost. Imag. 2, in Thiodamante, non jam tergus, sed σιτεῖται βοῦν ὅλον, ὡς μηδὲ τὰ ὀστέα περιττὰ ἡγεῖσθαι: *totum edit bovem, adeo ut ne ossa quidem omittenda duxerit*. Vide notam 183, vol. III, p. 414.

186. *Has dapes*. Dum originem sacrorum narrat, epulas etiam excusat. *Donat*. — *Tanti numinis*. Hæc αὔξησις respicit Herculis fortitudinem: hæc enim virtus in illo præ aliis spectanda; ideo « tantum numen »: inde postea *servati*, ut de militari Deo: quis enim ignorat « servari in bello », quid sit? ut et Græcis ζωγρεῖσθαι. Ego vero, si juvarent codices, libenter legerem, « hanc tanti nominis aram »; quia hæc ara dicta *Maxima* et ideo *tantum nomen*. C. — Hujus aræ magnæ meminit Tacit. Ann. lib. XV.

serta domus montis, quia, labante jam rupe, quis se illi domicilio crederet? et *ruina ingens scopuli*, propter disjectas moles ruderum: itaque duo postrema ex duobus primis necessario consequuntur.

193. Jam ad tria dilabitur; ad domicilium Caci, quod fuerat in spelunca, quæ latebat longo quodam recessu in rupe illa, eratque admodum deformis, ut quæ nunquam adiretur radiis solaribus: ad crudelitatem Caci qui semper recenti hominum cæde lætabatur, et scelus quidem ostentabunde admittebat, nam in foribus erant indicia crudelitatis, ora hominum affixa foribus, eaque pallida, ut mortuorum, et *tristi tabo* diffluentia: demum ad genus illius; nam filius Vulcani; inde ignes ex ore vomiti, et magna moles, qua se in omnem partem ferebat. Intellige hic per *molem magnam*, ignes, incendium, fumum, atram nebulam: hæc enim omnia Cacum comitabantur, in quamcunque se partem commoveret.

200. Sicut multis aliis, ita *et nobis* saluti fuit Hercules, et majore incremento; nam *optantibus*: itaque advenit, et cum auxilio: accessit vero ad nos plenus gloriarum; nam post mortem Geryonis, et cum spoliis, et signate *aderat*, ut qui ad auxilium: sed quæ spolia? *agebat tauros*, eosque *præstantes*, quos huic valli, et litori pascendos dedit.

195. *Inaccessam*. Participium sine verbi origine: *accedor* enim non dicimus; sed tale est, ut *placita*, *nupta*, *triumphata*, *regnata*: et quæritur quis hoc ante Virgilium dixerit. *Serv.*

198. *Huic monstro*. Bene mutavit casum in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret « huic Caco. » *Serv.*

201. *Auxilium adventumque dei*. Hysteroproteron: ante enim *adventum*, dein *auxilium* debuit dicere. — *Maxumus ultor*. Non tantum noster; sed omnium terrarum. *S.*

203. *Alcides*. Hoc primum nomen viri hujus, si credis Sex. Empyrico Math. lib. VIII: nam postea Herculis nomen superinduxit, quum jam Deus. Proprie itaque poeta *Alciden* nominat, et iterum postea; « Non tulit Alcides animis »: quia in his locis de hoc viro loquitur, ut de homine. Jam ab illo loco, « Ex illo celebratus honos », etc., ubi Deum factum memorat, ad Herculis nomen confugit; ut quum ait: « Et domus Herculei custos Pinaria sacri. » Iterum: « Dixerat, Herculea bicolor cum populus umbra. » Adjungo Empyrico Pindarum Olymp. VI, σεμνὸν θάλος Ἀλκαϊδᾶν: *nobile germen Alcidarum*; videlicet de Hercule nondum Deo. Inde jam tu, Lector, infinitis locis poetarum lucem dabis. *Cerda*. — *Victor*. Perpetuo epitheto Herculis usus est, quia omnia animalia vicit, quod in sequentibus plenius dicetur. Sane de Caco interempto ab Hercule, tam Græci quam Romani consentiunt. Solus Verrius

205. Sed furiæ Caci, et feritas nihil habuit inausum, nihil intentatum in scelere et dolis: probat hoc a furto, quo invasit Herculis tauros, et vaccas; itaque abduxit a stabulis tauros quatuor; illos *præstanti corpore; has forma superante:* utrumque aptum ad magnitudinem declarandam.

209. Ne furtum deprehendi posset, Cacus boves cauda traxit ad speluncam; atque ita vestigia fallebant Herculem explorantem.

213. Parabat jam Hercules profectionem, quæsitis bobus, neque inventis: atque tunc, ut fit, clamor excitatus est, verius *querelæ*, quippe boves ab usitatis et amatis pascuis non discedunt, nisi cum aliquo indicio mœstitudinis.

217. Ad clamorem abeuntium redditus quoque est clamor unius bovis, quæ inclusa in antro furis; atque ita delusa spes Caci.

219. Quis iras Herculis denarret, verius furiam, ardorem, et dolorem cum felle? hæc omnia poeta conjungit ad αὔξησιν. At tunc *rapit*, vide festinantiam! *arma:* sagittas capit Servius; deinde *robur nodis gravatum;* sic nominat ῥόπαλον ad incrementum: est vero *gravatum*, grave; et concitato cursu *petit*

Flaccus dicit, Garanum fuisse pastorem magnarum virium, qui Cacum adflixit; omnes autem magnarum virium apud veteres *Hercules* dictos. *Serv.*

208. *Avertit.* Erat proprium *Abegit:* sed respexit ad prædam, quæ *averti* dicitur. — *Avertit.* Præclare; nam a tergo, et per caudam: sic *aversa vulnera*, quæ in tergo accipiuntur: ita expressit non solum furtum, sed furti modum: a Virgilio arripuit Liv. ad rem eamdem; « Aversos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit. »

209. *Atque hos.* Quoties masculinum et fœmininum junguntur, hæc disciplina est, ut etiam si posterius est fœmininum, masculino respondeamus. *Serv.*

210. *Versisque viarum Indiciis.* Hoc est vestigiis, quod aversi trahebantur: id est, contra naturam injicientibus errorem indiciis: ipsa, inquit, decipiebant indicia, quæ indicare consueverunt: nam *indicium* ab indicando nomen accepit.

211. *Saxo occultabat opaco.* Volo observes variationem, et miros flexus Virgilii. Ovidius quum idem narret in Fast. Propertius, et alii, jejuni sunt tamen collati cum hoc magistro: nam in hoc audies *rupem*, *molem*, *domum*, *scopulum*, *speluncam*, *recessum*, *humum*, *saxum*, *antrum*, *montem*, *dorsum*, *specum*, *Regiam*, *cavernas*, *tenebras:* item mille alia, quæ his annexa ad ornatum: ut Noster, *saxo occultabat*, ita Hom. de Polyphemo, Odyss. IX, πέτρην ὑπέθηκε θύρῃσιν. *C.*

217. *Reddidit.* Quasi inclamata. — *Una boum.* Figura Græca, *μία τῶν βοῶν*. *Serv.* — *Custodita.* Nihil profuit custodia et astutia. *Donat.*

speluncam, cujus ut signet altitudinem, vocat *ardua montis aerii*.

222. Nemo hactenus Cacum timentem viderat: nunc timuit; timorque in oculis primum apparuit, animosque ad fugam addidit, qua ventos ipsos superans, se in specum abdidit concitabundus.

225. Ita celerrime Cacus sibi præsidia comparaverat, ut catenas non solvisset, sed rupisset, quibus pendebat saxum, quo antrum obstruebatur: itaque, catenis ruptis saxum devolvit; atque eo obice communiit postes, id est, fores antri, ita jam fultas: illud, *ferro quod et paterna arte*, est, ferro elaborato Vulcani arte: nam fecerat Vulcanus, ut saxum illud libratum esset in aere catenis ferreis, et facile, quum opus esset, demitteretur ad occlusionem antri.

228. Vix se Cacus abdiderat, vix saxo munierat aditum speluncæ, quum adfuit Hercules; quumque diligenter lustraret ex omni parte accessum, sæpe etiam montem circumiret, atque etiam tentaret, si posset perrumpere saxum illud, quo obstructum antrum: sed nihil quum posset, consilii inops et fessus resedit.

233. In hac consilii inopia conspecta rupes occasionem præbuit edendi præclari facinoris: rupis hujus formam, et situm describit: erat illa non explicata, sed erecta in summam altitudinem; ideo, *stabat, insurgens, altissima visu*; et quia *altissima*, ideo *domus volucrum*, et quidem *dirarum*, id est, rapacium; istæ enim nidificant in locis editis: deinde erat *acuta*; ideo statim *præcisis undique saxis*, id est, abruptis: en formam: situm breviter expedit; nam ad dorsum speluncæ, et postea adjicit, Tyberim illi fuisse lævum.

236. Quid tum Hercules? nitens dextro humero in hanc ru-

222. *Timentem*. Hoc tria signa ostendunt: oculi, qui omnes animi motus indicant: cursus celerior solito: et in speluncam, non in loca aperta, se contulit. *Donat.*

228. *Tirynthius*. A Tirynthia, ubi natus est, civitate; et est versus hypermetrus. *Serv.*

233. *Stabat acuta silex*. Pæne omnes *hunc silicem* dixerunt: nam et Varro et Lucretius ita dixerunt: tanta tamen est Virgilii auctoritas, ut persuadeat nobis etiam *hanc silicem* dici. *Serv.* — Non solum virtus, sed etiam prudentia Herculis ostenditur. *Donat.*

235. *Dirarum volucrum*. Modo *dirarum*, non mali ominis dicit, ut sunt bubones; sed quæ humanis cadaveribus vescebantur: dixit enim, « foribusque adfixa superbis Ora virum, tristi pendebant pallida tabo. » *Serv.* — Vide quæ supra notavimus, Ge. lib. II, v. 209.

pem, illam concussit, solvit, avulsit, impulit in Tyberim, qui hos scopulos lævus præterfluebat; et inde Hercules ipse *dexter*, quia ab contraria parte: itaque *dexter*, sive accipiatur cum hoc respectu, sive ab dextra parte, utrumque quadrat. Quis vero strepitus ad hanc ruinam? æther insonat, dissultant ripæ, amnis refluit præ terrore. Rem naturæ, ait Servius, vertit in fabulam, quum ruina rupis in se recurrere necessè sit impetum fluminis.

241. Post avulsum scopulum, qui tegebat speluncam, apparuit specus et Caci Regia, atque etiam cavernæ illæ, qua secretissimæ ac penitissimæ.

243. Adhibet comparationem: hiante terra, quæ subtus sunt inferorum loca, apparent; manes etiam trepidant ad visam lucem: sic detectæ Caci tenebræ; sic ipse timuit. Est hic *super* idem, quod *desuper*.

247. Primam vim contra hostem comparat Hercules ab telis suis, sagittas intellige; atque etiam ab ramalibus, et saxis ingentibus, quibus obruere conatur: illud, *insueta rudentem*, quia nunquam Cacus in eo periculo: itaque ab insueto malo insueta defensio; et *rudentem* ait, quia semper de Caco, ut de fera loquitur. Sunt *vasti molares*, saxa grandia.

251. Quid tum Cacus? quum videat se non posse effugere, eructat fumum e pectore, ut ita prospectum Herculi eripiat; et sic lateat, qua possit ratione.

256. Cupidus vindictæ Hercules se in speluncam conjicit; et signate in eam partem, ubi fumus plurimus, et major nebula, ratus videlicet ibi latere furem.

253. *Involvitque domum caligine cæca.* Quam multis rem eamdem! Hic vides: « Evomit fumum ingentem; involvit domum cæca caligine; eripit prospectum oculis; glomerat noctem fumiferam; commiscet igne tenebras; fumus plurimus agit undam; æstuat specus atra nebula; vomit in tenebris vana incendia. » Et nota, illum abstinuisse a verbis *spiro* et *exhalo*, quia jam Ge. I, « tauri spirantes naribus ignem » : et ibid., « quæ tenuem exhalat nebulam » : et a *subtexo*, quia jam Æn. III : « Cælum subtexere fumo » : demum ab aliis, quæ eodem lib. intulit, loquens de Encelado, et Ætna : et, quod miror, a verbo *eructo*, quod videbatur unice dandum Caco *ἐρεύγοντι* fumum e faucibus, vel potius ignem tenebris commixtum. *Cerda.*

256. *Non tulit.* Non sustinuit. — *Animis.* Pro ira, unde iracundos dicimus *animosos.* Serv. — *Seque ipse per ignem.* Tanto ad ultionem fervore properans, Caci contempsit incendia; nam intrepidus se per ea jecit, nec ipsam loci altitudinem metuens. *Donat.* — *Per ignem,*

259. Prudentissime hoc Herculcs, ut Caci defensionem prævertat, quæ tota posita in eructando fumo; ergo, illum complectitur medio pectore; angit guttur; elidit oculos; ut sic tandem æstus ille conquiescat, caligo, et fumus: hic poeta alius incogitans, clava conficeret eructantem fumos: *siccum guttur sanguine* notat Cacum jam exanimem.

262. Quum jam et fumus quievisset, et fores essent revulsæ, patuere omnia, videlicet domus atra, boves furto sublatæ: cadaver quoque, præ magnitudine *informe*, id est, sine modo, extractum inde est, atque omnibus datum intuendum: satiari vix poterant deformi spectaculo, quum cernerent oculos terribiles, vultum irarum plenum, pectus setis horridum, ac fauces tanquam vomitoria ignis, sed jam exstincti.

268. Victo Caco, suscepta sunt sacra Herculis ab Evandro, et arrepta a posteris simili pietate. Primus auctor aræ hujus,

Per eam rem, unde ille sperabat auxilium. *Serv.*

260. *Corripit in nodum complexus.* Manibus complexus constrictum tenet. *In nodum* autem valet, in nodi modum. Turneb. XIX, 29, et XIV, 40. Alluditur fortasse ad *Herculaneum nodum*, qui arctissimus erat; Græce, λυγισμός. *Taub.* — *Complexus.* Respondere videtur Græcorum τῷ ἀγκὰς ἑλεῖν: est enim, ut Eustathius interpretatur, ἀγκὰς περιπλεχθῆναι. Ergo ligat complexu et constringit brachiorum nodo.

263. *Abjuratæque rapinæ. Abjurare* est rem creditam negare perjurio. Dionys. historiam narrans de juramento tacet: tantum ait, rogatum Cacum respondisse, boves a se non visas. Virgilius perjurium addit ad augendum crimen, ad eum modum, quo Symm. epist. II, 86: « Partem pretii emptor abjurat. » Et Claud. Hon. VI: « Abjurata palam Libyæ possederat arva. »

266. *Terribiles oculos.* Hanc notam deformitatis post mortem dat Stat. Capaneo, et Suetonius Neroni. Poeta hanc terribilitatem nunc oculis attribuit, ut in quibus sedes irarum. — *Villosaque sætis.* Hoc Homerus ad virilitatem, fortitudinemque retulit, Il. Δ, ἐν δέ οἱ ἦτορ Στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν· Sophocl. in Trachin. Nessum δασύστερνον vocat: et ut hic « Cacum semiferum », ita et eadem fabula Nessum ipsum θῆρα. *Germ.* — *Semiferi.* Bene *semiferi*, quum supra semihominis. *Serv.*

268. *Minores.* Loquitur Virgil. cum respectu ad reliquam ætatem, et ideo probe *minores*: hoc novum in poetis non est: itaque non discedit poeta a significato hujus vocis: proprie enim *minores*, qui ultra trinepotes; sicuti *majores*, qui ultra tritavum. Sic, quum postea dicit, « domus Pinaria », loquitur procul dubio cum respectu ad ætatem posteram, sicut et Liv. Nam clarum est, assumptum ab Hercule unum e Pinariis, ut unum quoque e Potitiis; non totam Pinariorum familiam: quod efficax argumentum contra Servium. *Cerda.*

quæ dicta Maxima, Potitius fuit; atque Pinarius, ad cujus postea domum et familiam pertinuit custodia sacrorum Herculis. Porro gravis illa geminatio de *ara semper Maxima* continet veluti omen quoddam nunquam desituri Romani Imperii, sicut neque illius sacri.

273. Hic jam ad parem celebritatem invitat Trojanos: indicia erunt, coronæ in comis; pocula in manibus; ut ita cum coronis precentur, cum poculis libent. Itaque sententia, parum hactenus expensa, hæc est: cingite vos coronis, ut invocetis communem Deum: præbete nobis mutua pocula, ut ita fiat libatio.

276. Consequenter ista; nam statim Evander se coronavit, et arripuit poculum: inde secutæ ad coronam preces, ad poculum libatio: vide, quam sibi in omnibus Virgilius constet. Itaque quatuor ista conjuncta sunt: cingite fronde comas; communemque vocate Deum: velavit comas; Divosque precantur. Rursum hæc quatuor: pocula porgite dextris; date vina volentes; implevit dextram scyphus; in mensam læti libant. Vide, quam leviter solet Virgilius a Grammaticis percurri.

280. Inclinante in noctem cælo, Sacerdotes adveniunt, et

272. *Erit quæ maxima*. Repetitio verbi ad honorem et potestatem pertinet. *Serv.* — Eadem geminatione Propert. IV, 10: « Maxima quæ gregibus devota est ara repertis, Ara per has, inquit, maxima facta manus. » *Cerda*.

273. *In munere*. Non tam in officio, quam in honore hic accipiendum. *Serv.* — *Munus* dicitur cura uniuscujusque rei perficiendæ imposita cum necessitate faciendi. *Donat.*

275. *Communemque vocate deum*. Ut per conjunctionem fœderum se Trojanis commixtum ostenderet, vel quia supra ostendit Æneas Trojæ et Arcadiæ populos iisdem parentibus genitos. *Donat.* — *Date vina*. Quia tantum Diis superis vina libari decebat. *Serv.* — Quæ commentatio parum certa videbitur, si reputare volueris etiam *vina* in honorem Deorum inferorum fundi, et *vino fuso* Lares supplicari. — *Date vina volentes*. Vel quia obsequia non accipiuntur, nisi plena voluntate fuerint persoluta: vel quia inimicus aliquando Trojæ Hercules fuit. *Donat.*

277. *Et sacer implevit dextram scyphus*. *Sacer* ideo posuit, quia quibus sacrorum cura est, habent dicata numinibus vasa, quibus obsequia divina perficiunt *Donat.* — *Scyphus*. Proprie: nam *scyphus* vas est Herculis: quem dicunt attulisse in Italiam ingens ex ligno poculum, quo ad sacra utebatur. Plutar. in vita Alex. ad finem, *σκύφον Ἡρακλέους*, *scyphum Herculis*. Senec. in Epist. « Alexandrum intemperantia bibendi, et ille Herculaneus ac fatalis scyphus perdidit. »

illorum princeps Potitius; pelliti quidem, et cum flammis; utrumque ex more sacrorum.

283. Hucusque duravit quies, id est, spatium inter primam et secundam mensam. Hæc jam peragitur, ac propterea dicuntur instaurari epulæ : in qua mensa iterum ad sacra recurritur, atque ideo, *cumulantque oneratis lancibus aras*. Inter hæc sacra fiunt etiam saltationes Saliorum, et quidem *ad cantus :* erat ignis in altaribus; et Sacerdotes coronati Herculis populo.

287. Sequitur post saltus musica, facto juvenum et seniorum choro, ubi canuntur Herculis præclara gesta. In his recensendis eum sequitur ordinem, ut primum dicat, quæ infans fecerit; deinde quæ vir; tum in terris, tum in inferno. De Saliis et Herculis laudibus, vide notas, tom. III, pag. 424 et seqq.

301. Clausula præcedentis cantus, qua vult chorus salvere Herculem, et faustum felicemque adire sacra illa. Absolvitur demum cantus cum repetitione Caci domiti, et strepitu nemorum ac collium, reddentium voces chori.

306. Sacra Herculis facta extra urbem in luco sunt; his absolutis, redeunt *cuncti*, unde egressi. Rex medius inter Æneam et Pallantem : ratio, quia et *Rex*, et *ævo obsitus :* credibile vero Æneam a dextra, filium a sinistra Regis : hic, ut erat facundus, *sermone viam levabat*, quia *vario*.

288. *Laudes Herculeas, et facta ferunt*. Senes tantum voce laudes Herculis exsequebantur : Juvenes et corporis gestu facta ejus monstrabant. Unde ibi immorandum est, « Hic juvenum chorus »; ut Salii juvenibus conveniunt, carmina ad senes pertinent. Et bene *Senes* facta Herculis canunt, quorum ætas scire et interesse gestis Herculis potuit, antequam hic ab hominibus transiret ad Deos. De laboribus Herculis quos poeta vocat *mille duros sub Euristheo*, duodecim tantum vulgo numerantur, quos hic breviter indicare juvat. 1. Nemeum leonem faucibus constrictis interemit. 2. Hydram Lernæam capitibus uno ictu abscissis extinxit. 3. Erymanthium aprum cepit et vivum Euristheo obtulit. 4. Mænali cervam æripedem jaculis confixit. 5. Stymphalidas fugavit aves. 6. Amazonas debellavit. 7. Diomedem et Busiridem tyrannos, hunc in Ægypto, illum in Thracia interfecit. 8. Geryonem Iberiæ regem simili obtruncavit morte. 9. Augiæ stabula repurgavit in Elide. 10. Hesperidum mala sopito dracone abstulit. 11. Cretæ taurum domuit. 12. Cerberum ab inferis abstraxit, amicumque reduxit inde Theseum.

Cætera quæ de Hercule narrantur, passim nec ordine satis certo digesta reperies.

301. *Salve*. Hic *Salve* sic dictum est ut alibi, *Sis felix*. — *Vera Jovis proles*. Nullus enim humano sanguine procreatus tanta perficeret.

307. *Obsitus ævo*. Ætate involutus, ut Terentius ait, « Annis pan-

310. Adjungitur unius Æneæ admiratio: vertebat oculos in omnem partem captus locorum dignitate; quærebat singula; audiebat singula. Videor in Ænea agnoscere *curiosos oculos* hospitis qui avide lustrat omnia. Servius male *vino mobiles* et ebrios intelligit.

313. Erant ante conditum Pallanteum in eo spatio meri luci, ac proinde agrestia tantum Numina, et Nymphæ: atque etiam consentanee homines barbari, queis nihil bene moratum, et cultum: adhibet vero notas gentis incultæ, atque impolitæ: prima; non utebantur tauris ad colendam terram: altera; non jungebant in unum opes; intellige de singulis: qui enim providus est, jungit opes suas in unum horreum, aut congerit in locum alium: tertia; si quid inerat, absumebatur, nulla crastini cura habita: quarta; alebatur vita fructibus arborum sylvestribus, et ferarum venatu. Vel dispone aliter sententiam, hunc in modum: nullus erat mos, nullus cultus: cultus, quia non jungebant tauros: mos, quia nesciebant opes componere, aut parcere parto. Ergo, pro fructibus terræ, quos non colebant, erant rami inculti; pro opibus, quas dissipabant, erat venatus asper. Hæc melior consecutio, et ex ingenio Maronis, qui mire solet sententiam astringere. De priscis Italiæ incolis et nominibus legendus est Excursus secundus, vol. III, pag. 475—479.

319. Ademit illam feritatem Saturnus, quum cælo pulsus in Italiam venit, Jovem filium fugiens. Venerat prior illo Janus; sed *primus Saturnus*, quia *ab Olympo*: itaque nulla est inscitia in poeta.

nisque obsitus.» Nonnulli *obsitum*, quasi insitum et obsessum et possessum tradunt. *Serv.*

312. *Exquiritque.* Ita garrulæ ætati gratam præbet occasionem plura fabulandi. Vide Macr. VII, 2.

313. *Romanæ conditor arcis.* Conditor Pallantei, ubi nunc palatium est: quod non est re vera arx, sed tenet omnium rerum principatum: et hic subtiliter videtur significare, Romam initium ab Evandro ducere. *Serv.*

315. *Gensque virum.* Agrestes hic divinitus describuntur, ait Scaliger III, 2; quum enim primum in cavis arboribus et speluncis habitarent, sobolemque ibi educerent, dicti sunt inde procreati.

318. *Rami, atque asper victu venatus alebat.* Cognato quodammodo victu alebantur: aut venatu montium, aut arborum ramis: hinc enim ali debent ex arboribus nati.

319. *Primus.* Quasi et alius venerit e cælo, sed primus in Italiam venit. *Serv.* — *Olympo.* Immo e Creta venit: sed ob vitæ integritatem dictus est cælo descendisse. Vide Lactant. I, 13.

321. Conjunxit in unum dispersos homines; conjunctis leges dedit; nomen insuper addidit ab eventu suo: quum enim sibi feliciter cessissent latibula illa, Latium a latendo nominavit: itaque noluit Saturniam vocare, quum posset; sed Latium a felici latebra.

324. Ea rerum omnium secuta est ubertas; ita pax floruit sub Saturno, ut ea sæcula dici *aurea* mererentur: durarunt illa, donec novi belli tumultus, potius *rabies*, et incredibilis mortalium cupiditas ætatem ferream invexerunt: hanc, credo, designat per *deteriorem*, et *decolorem*, non argenteam: et notes; dici ætatem deteriorem, propter belli rabiem; non enim jam pax placida: decolorem vero propter amorem habendi; non enim jam sæcula aurea. Hæc bona est consecutio poetæ, nec trivialis.

328. Explicat gentes, quæ postea Italiam occuparunt, non omnes; neque enim historiam texit: sed attingit, ut poetam decet: venere Ausones, et Sicani; ac proinde ad multorum adventum, nomen quoque Italia sæpe mutavit: venere etiam Thusci, duce Tybri, a quo fluvius, qui prius Albula, dictus

326. *Decolor ætas.* Vitiosa, quæ decoloraret veteres mores: in omni enim vitioso corpore inest pessimus color: et alludit ad naturam metallorum, quam cernimus discolorem: nec immerito; supra enim dixerat « Aurea secula »: ideo nunc dixit « Ætas decolor », id est, aurea et ferrea, sicuti Hesiodus dicit. Sane *decolor ætas*, quis ante hunc? *Serv.* — *Decolor ætas.* Unum est causa alterius: erat ætas *decolor*, id est, vitiato colore, quia *deterior*, id est, detrito colore. Sic Ovid. Trist. lib. IV: « Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat. » Id est, vitiato erat colore Rhenus. Detritio autem maxime colorem vitiat ac deformat.

328. *Tum manus Ausonia, etc.* Omnes terræ habitatores, aut indigenæ, aut advenæ, aut convenæ, aut incolæ sunt. *Indigenæ* sunt inde geniti, ut idem de Faunis dixit: *advenæ* de uno loco venientes; ut Saturnus: *convenæ* de diversis; ut Ausones et Sicani: quamvis quidam *Ausones* cognominatos ab Ausone Ulyxis et Circes filio dicant. Sicani autem, secundum nonnullos, populi sunt Hispaniæ, a fluvio Sicori dicti. Hi, duce Siculo, venerunt ad Italiam, et eam tenuerunt, exclusis Aboriginibus. Mox ipsi pulsi ab illis, quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt: et eam Sicaniam a gentis nomine, Siciliam vero a ducis nomine, dixerunt: quamquam Thucydides dicat de Sicilia Italum regem venisse, et ab eo esse Italiam appellatam. Alii sic distinguunt *Sicanæ*, et subjungunt, *Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.* Semel enim Sicani ex Hispania in Italiam venisse dicuntur; at Italia plura nomina habuit; dicta est enim Hesperia, Ausonia, Saturnia, Vitalia.

32.

Tybris, Rege videlicet in illum immerso. De his omnibus videndi sunt duo Excursus doctissimi, vol. III, pag. 366 et 475.

333. Extremo loco se commemorat Evander, qui ex Arcadia in Italiam appulerit, et quidem, non ut alii, præ impotentia dominatus: sed tantum secutus fortunam, fatum, matrem Carmentem, Apollinem Deum, quibus nequiit obsistere: ideo singulorum adhibet rationes: de fortuna, *omnipotens:* de fato, *ineluctabile:* de matre, *tremenda monita:* de Apolline, *auctor.*

337. Hæc quum dixisset, placuit aliqua oculis perlustrare, et indicare digito. Ergo, *progressus monstrat aram* dicatam Carmentæ; et *portam*, quam ab eadem placuit *Carmentalem* dicere *Romano nomine*. Hoc ἐμφατικῶς, quasi Roma ornare res suas voluisset nomine peregrinæ feminæ. In sequenti versu aliquid subaudiendum, hunc in modum: *quam portam memorant* retinuisse *honorem priscum Nymphæ Carmentis, vatis fatidicæ;* ideo *vates fatidica*, quia cecinit adventum Trojanorum in ea loca, et futuram Pallantei notitiam, et gloriam · utramque rem studiose conjungit Evander ad Æneæ gustum, ad sui gloriam: vide vero, uti delinitus memoria materni nominis, ter repetat.

342. Deinde monstrat lucum illum, quem Romulus Græcorum æmulatione, relata ab illis consuetudine, Asylum fecit, ut ita cresceret novæ urbis structio: atque etiam monstrat *Lupercal Panos Lycæi dictum*, id est, consecratum, dicatumque *de more Parrhasio*, id est, Arcadico: est enim Parrhasia, Arcadia.

345. Ostendit præterea *nemus Argilethi*, ita dicti ab letho

336. *Carmentis nymphæ monita.* Matris Evandri, quæ Nicostrate dicta est. Sed ideo *Carmentis* appellata a suis, quod divinatione fata caneret; nam antique vates *Carmentes* dicebantur; unde etiam librarios, qui eorum dicta perscriberent, *Carmentarios* nuncupatos. Alii hujus comites Porrimam et Postvortam tradunt, quia vatibus et præterita et futura sunt nota. Alii etiam Tyburtem dictam. *Nymphæ* autem, maritæ dicit: nam Græce νύμφη, Latine *sponsa* dicitur. Hæc autem non vere Nympha fuit, sed vaticinatrix. Alii *Nympham* ideo dictam, quoniam qui res Arcadum scripserunt, tradunt sex fœminas ibi fuisse, quæ *Nymphæ* vocarentur, in queis et *Carmentem:* proprio ergo vocabulo, non epitheto poetico, usus est. *Serv.*

340. *Vatis fatidicæ.* Bene addidit *fatidicæ;* nam *vatem* et poetam possumus intelligere. — *Cecinit quæ prima.* Quia postea etiam Sibylla. *Serv.* — Magnum argumentum quod Dea fuerit et fatidica; quum prima cecinerit Æneadas futuros magnos, et Pallanteum futurum nobile. *Donat.* — *Nobile Pallanteum.* Futurum scilicet, sicut et *Æneadas;* ad sequens enim Romanorum retulit tempus. *Serv.*

Argi : acceperat Evander hunc hospitio, sed, violata fide hospitalitatis, in Evandrum conjurabat : intellecta est res, et ille occisus a comitibus Evandri : inde *Argilethi sacri*, id est, exsecrandi : et *testatur*, id est, jurat, obtestaturque locum, quasi is locus sciat veros Argi interfectores. Facit hoc Evander, tum ut se purget ; tum ne veniat in suspicionem Æneæ hospiti : quasi dicat ; obtestor locum ipsum, ubi cædes patrata, nunquam me eo parricidio maculasse.

347. Ventum jam ad Capitolium, quod tum dumis horridum, mox aureum futurum ; cujus horror ipse jam tum religionem incutiebat, tremebantque agrestes saxosam et sylvosam rupem.

351. Ratio hujus pavoris, quia inest numen loco : quod hoc numen, incertum est ; sed certum tamen ibi esse : probat ab opinione Arcadum, qui se ibi Jovem vidisse credebant, horrendum Ægide, nimbis frementem.

355. Demum monstrat *duo oppida* ; potius *reliquias* oppidorum ; nam disjecti jam muri ; Jani unum, Saturni alterum, a quibus manserant nomina : illud *Janiculum* dicebatur, hoc

346. *Testatur locum*. Jurat non sua culpa jura hospitii esse violata ; vel in testimonium ducit nomen loci, vel detestatur. *Serv.*

347. *Tarpeiam sedem*. Prolepsis ; duo hæc enim nomina postea monti indita sunt. *Serv.* — *Ducit*. Ostendendo, non autem ambulando ; nam senex ardua non ascendisset vespertino tempore. *Donat.* — *Aurea nunc*. Vere, *aurea* : nam, ut cætera sileam, in solam inaurationem Capitolii supra *duodecim millia talentorum* impensa sunt, quæ nobis sunt, sexaginta *milliones*, et quod excedit.

349. *Relligio*. Id est, metus, ab eo quod mentem religet, dicta religio. *Serv.* — *Jam tum relligio pavidos*. Jam tum, hoc est, quum esset locus ille humilis atque desertus, jam habuit numen, eratque illic, quod terreret accedentes, et his incuteret horrorem, maxime rusticanis, qui pavore naturali omnia metnunt, et universa formidant. *D.*

353. *Nigrantem*. *Nigrantem* vocat, quam Homerus κυανέην, et tempestates cientem : notetur etiam, poetam hujus vocis, qua tamen crebro utitur, primam, nisi hic, semper extendere ; quamvis in *Niger* prior brevis sit natura. *Taubm.*

354. *Ægida concuteret*. Hic distinguendum : nam ægida, id est, pellem Amaltheæ capræ, a qua nutritus est, in sinistra Jupiter tenet : sane Græci poetæ turbines et procellas καταιγίδας appellant, quod hæc mota faciat tempestates : ergo *Nigrantem*, tempestatem commoventem. — *Dextra nimbosque cieret*. Et de dextra fulmina commoveret ; nam modo *nimbos* pro fulminibus posuit, quæ dextra jacit. *Serv.* — Vide notas, vol. III, p. 430 et 431.

358. *Janiculum huic, etc.* Arnob. lib. I : « Janus Janiculi conditor, et civitatis Saturniæ Saturnius auc-

Saturnia. — Vide Excursum secundum, sub finem, pag. 479, vol. III.

359. His dictis, locisque indicatis, eunt ad domum Evandri; *tecta* potius dicas, nam ille *pauper:* vident armenta libere jam pascentia, quia liberata a metu Caci; vident et ea loca, ubi postea forum Romanum, et Carinæ magnificæ.

362. Sed neque hic senex conquiescit ab loquendo: vides, Ænea, hanc sedem pauperem? ista fuit Herculis victoris Regia; huc divertit post monstra domita: imitari Deum si vis Herculem, opes contemne, et aude contemnere: est magnum, et supra omnem audaciam, florentem rerum fortunam despicatui ducere: hac una re finges te simillimum Herculi, potius quam monstris victis: quamobrem ne *asper*, id est, ne cum fastidio, hanc meam tenuitatem abjice; immo veni, et lubens amplectere.

366. Post hanc admonitiunculam, Regiam vere, et dignam Heroe, neque ævi hujus, in quo regnat voluptas, Æneam perduxit ad domum pauperculam, Æneam quamvis ingentem, et maximum, et utique Heroem: apparatus domus par ipsi domui: nam strata, in quibus locatus ad quietem somni, ex foliis erant, et pellibus ferarum: itaque, uterque se quieti

tor. » Minutius: Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam de suo nomine: et Janiculum Janus ad memoriam uterque posteritati reliquerunt. »

359. *Dictis.* Dubium est, nomen sit *dictis*, an participium. *Serv.* — *Ad tecta subibant. Ad tecta subibant*, inquit, non *tecta subibant*, ut ingredi; sed jam ut propiores fieri viderentur. *Donat.* — *Tecta.* Nullum cadit temere Virgilio verbum: noluit *domum*, *ædes*, aut aliud simile, sed *tecta*, ut meram paupertatem exprimeret, quasi nihil aliud esset in eo tugurio, quam tectum, et tota regia tantum non sub dio esset.

361. *Romanoque foro.* Romanum forum est, ubi nunc rostra sunt: sed et hic prolepsin fecit, nam postea sic dictum est. — *Lautis mugire Carinis.* Carinæ sunt ædificia facta in carinarum modum, quæ erant circa templum Telluris. *Lautas* autem dixit, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est Curiis veteribus, et nutritus in lautis Carinis. In ea autem urbis regione, Pompeii Magni domus fuit, quæ occupata ab Antonio, occasionem joco et cavillo Sexti Pompeii dedit in Antonium, exceptum cœna cum Cæsare a Pompeio ipso in navi, professo, se in *carinis* suis tum demum cœnam dare.

363. *Regia.* Quæcumque domus, modo a rege habitetur, *regia* jure dicitur. *Don.* — *Cepit.* Mire dixit: ut alibi, « Nec te Troja capit. » *S.*

368. *Pelle Libystidis ursæ.* Species pro genere: nam cujuslibet

dedit, invitante nocte, quæ ruebat, et terram omnem nigris alis amplectebatur. Hic expendo civilitatem Poetæ, cui satis fuit noctem describere, ut tu intelligas itum in somnos: quod non Homero satis esset, nisi exprimeret lib. I, Iliad. nam post ἠέλιος κατέδυ, subjecit; δὴ τότε κοιμήσαντο.

370. Dum Æneas et Evander somnos capiunt, tunc visum est poetæ tempus commodum ad poesin exornandam interventu Veneris, quæ adeat Vulcanum ad imploranda arma pro filio. Incipit vero ab affectu qui obvius; terretur Venus, quia *mater:* causa terroris, *Laurentum minis, et duro tumultu:* ergo, ex hoc terrore consequens, ut Vulcanum Deum ferrariæ, et conjugem alloquatur, instillata prius dictis quadam amoris dulcedine, ut æquius audiatur.

374. Ratio, quare ardente Trojano bello, nihil a conjuge

feræ possumus accipere: ideo dicit *Libystidis*, ut ex pretio bestiæ aliquid gratiæ potuisset ipsis stratis accedere. *Serv.*

369. *Fuscis.* Cornelius Fronto ait: « Fusco album opponitur, nigro candidum. » Præclare ergo *fuscus color* in exitu diei, qui in ortu est *albus:* nam de oriente luce proferri *albente die, cælo*, etc., non, *cælo candido*, quis est qui ignoret? Ab eodem Frontone illustro Ovid. Met. XI, canentem, « Candida de nigris, et de candentibus atra », ubi *candida nigris* opponit. A Virgilio corrigendus Tibullus II, 1, ubi de Somnu, « fulvis circumdatus alis », legendum, *fuscis* Cerda.

372. *Volcanum adloquitur.* Tantum habens spei, quantum uxor de viro concipere debet: et tantum desperationis, quantum odium inter vitricum et privignum esse consuevit. Ergo illum fraude adoritur. — *Thalamo.* Ut inter secreta lectuli extorqueret, quod ille nollet. Nam in thalamo, id est, in loco dicato amoribus, quid non uxor consequeretur? Hæc sunt illa tempora, quæ Æn. IV, dicuntur *mollissima*, et *molles aditus.*

373. *Dictis divinum adspirat amorem.* Id est, dictis suis addit venustatem, ut amabiliter ejus audiatur oratio. Sane Venus petitura pro filio de adulterio procreato, orationem suam ingenti arte composuit: quod etiam Vulcanus ipse testatur dicens, « quid caussas petis ex alto »? — *Divinum.* Quem humanis pectoribus dono inserere consuevit: nam amor, qui est ex voluntate nostra, humanus est. *D.*

374. *Dum bello Argolici*, etc. *Dum*, postquam. Sane hæc oratio rhetorica suasio est; nam principium a verecundia sumpsit, dicendo enim nunquam se molestam antea fuisse, ostendit impetrare debere; præsertim ex eo, quod non timuerit petere. « Nunc Jovis imperio Rutulorum constitit oris: Ergo eadem supplex venio. » Hæc non tantum rogandi, sed etiam impetrandi vim habent, verso tamen ordine; nam primo arma petit, deinde adjuvat exemplo dicendu, « te filia Nerei », etc., deinde caussam

petiverit pro nato, quia fata exitium Trojanum afferebant, quibus obsisti non potest: itaque, quia Pergama *debita* erant, id est, obnoxia ruinæ, et arces erant casuræ, nolui rogare arma, ne frustra laborares, quamvis multa deberem filiis Priami, et mei Æneæ labores sæpe deflevissem.

381. Ratio superiori opposita: jam fata aliter volunt; jam imperio Jovis Æneas ad Italiam appulit: fave ergo, Vulcane, ei viro, cui favet Juppiter: cerne me supplicem; non deprecatorem pro me submitto, *eadem ipsa supplex venio*, quæ tacui Trojano bello: rogo itaque arma: cur non impetrem, quum laborem *genitrix nato* meo? et quum a te petam, qui unus mihi *sanctum es numen?* Hæc sententia: expendi possunt multa, ego pauca quædam: removet nomina vitrici, et privigni, ne Vulcani animus lædatur revocato in memoriam adulterio Veneris cum Anchisa: tantum ergo; *arma rogo genitrix nato.* Objiciet aliquis: nonne revocata sic injuria in animum, quum illa natum diceret, et Vulcanus sciret non esse suum? huic objectioni satis provisum illis, *conjux charissime, sanctum mihi numen:* quid, quod ita indicatum, quanta sit vis amoris, et uti feminæ dominentur viris? Apage vero, ut placeat Servius, qui verba illa, *genitrix nato*, conjungit cum sequentibus, hunc in modum, *genitrix nato te filia Nerei:* non sic est; non sic.

383. Adhibet exempla, quibus adducat virum: flexit te

« Aspice qui coeant populi. » Ipsum enim *populi* multitudinem significat, et quasi non impugnet, sed impugnetur Æneas, ita pathos fecit, dicens, « In me excidiumque meorum »: nam quod a principio arma petit, hæc ratio est, quod rem nec magnam nec difficilem Vulcano petebat, ideo et statim posuit; nam ubi majus aliquid est, ante causa dicenda est, ut præmollitis animis, tunc quod petitur, suggeratur. *Serv.*

376. *Miseris.* Atqui honestum est miseris subvenire: sed hoc dicit, Cur te fatigarem pro hominibus fati necessitate perituris? — *Non arma rogavi.* Argute hic in principio *arma* nominat, ut jam intelligatur quid petitura sit. *Serv.*

379. *Priami deberem plurima natis.* Scimus quod Paridi tantum debuit: sed hoc honestius ad aliarum commemorationem personarum adduci potest, ne ex turpi caussa Paridi debuisse videatur, et simul, ut quidam tradunt, pulchritudinis suæ Vulcanum admoneret, hoc est, Formæ judicio Jovis conjugem vici. *Serv.*

382. *Eadem.* Quæ tunc scilicet silui; quæ nihil petii. *Serv.* — *Supplex venio.* Allusum ad *ἱκέτας*, sic enim dicti supplices, *παρὰ τὸ ἱκέσθαι*, quod venirent. Inde apud Curt. lib. IV: « Si veneris supplex, et matrem, et conjugem, et liberos recepturum te esse promitto. »

383. *Arma rogo.* Hic distinguendum, ut cui petat non dicat; sed

Thetis filia Nerei pro Achille filio sollicita : flexit Aurora, non conjux tua, sed Tithoni, sollicita etiam pro filio Memnone: da igitur conjugi tuæ, quod Thetidi, et Auroræ, non tuis conjugibus : da meo nato, quod Achilli, et Memnoni extraneis; præsertim in magno periculo : aspice ipse, ut coeant, conjurentque, non unus, sed plures populi : aspice, ut multæ *urbes ferrum acuant*, et quidem *clausis portis*, ut tutæ sint, donec erumpant in apertam audaciam : istæ vero minæ comparantur contra me, contra meos, et quidem ad exitium. Aliquis putet *portis clausis* esse in tertio casu, hac sententia : acuunt mœnia ferrum contra clausas meorum portas : quasi dicat : clausi mei sunt; quod habetur in nono libro. Æneas enim abiens ad Evandrum hoc præcepit : et urbes omnes in eos conspirant, nam *tela novant Atina potens*, etc., quod habetur in septimo Æneidos.

387. Cunctabatur Vulcanus ad verba Veneris; inde illa non verbis contenta, conjugem fovet mollissimo brachiorum complexu; ac tum ille repente, hæc vis tactus feminei, solitis amoris flammis exarsit, quæ etiam ossa ipsa, et medullas penetrarunt : pulchre Virgilius de Deo ignis, *solitam flammam*, *notus calor* : inde enim ille fingitur conjux Veneris, quia res hujus calore consistunt, ait Servius; sunt ossa *labefacta*, tabida præ amore, et liquefacta.

391. Vidisti ad ruptam nubem tonitru flammam nimbos percurrentem; talem finge hunc successum : horridus et Vulcanus, et instar superciliosæ ac nimbosæ tempestatis ipse superciliosus, et ferreus : accessit affectus Veneris, ac statim rupit sese usque ad ossa horror ille Vulcani; et amoris flammæ emicuerunt.

relinquat intelligi, ne fœde apud maritum et amorem suum circa Anchisem memoret et susceptum de adulterio filium. *Serv.* — *Genetrix nato.* Majorem miserationem movet nominibus necessitudinum, quam movisset nominibus propriis.

386. *In me.* Artificiose arma petit etiam sibi profutura : nisi enim subvenis, iterum vulnerabor : uam a Græcis fuerat vulnerata : unde est, « equidem credo mea vulnera restant. » — *In me.* Junxit personam suam, ut magis moveret. *D.*

388. *Cunctantem* ; scilicet de promissione, quam per amplexum suum immisso amore persolvit. *S.*

389. *Accepit solitam flammam.* Vel quasi maritus, vel alludit ad rem naturalem : namque ideo Vulcanus maritus fingitur Veneris, quod Venereum officium non nisi calore consistit. Unde est, « Frigidus in Venerem senior. » — *Labefacta per ossa cucurrit.* Si ossa labefecit, quanto magis animum?

392. *Ignea rima micans.* Id est, fulmen, cujus naturam expressit :

393. Sensit Venus, effecisse dolis, quod volebat; ac proinde *læta* fuit; et quidem conscia etiam fuit, quantum potuisset ejus forma ad virum dementandum.

394. Quid vero ad illam Vulcanus *devinctus jam amore æterno*, id est, divino, qualemque habent æterni Dii? « Frustra, o Venus, rem ex alto ducis, id est, ab Trojano bello : an cessit tibi fiducia, quod te in eo bello non juverim? Etenim, si tunc voluisses, armassem ego, et communiissem Trojanos contra Græcos, nullo obstante fato : hoc est enim, quod ait, *fas nobis fuisset;* quasi dicat; fata nihil contra valuissent. »

398. Reddit rationem extremi hujus, *fuisset nobis fas;* quia nec Juppiter, nec fata vetabant, imperium Priami superesse decem alios annos : quod Servius explicat, quia fata non immutantur, sed differuntur : moriturus erat Priamus; ruitura Troja ex fatorum dispositione; sed clades ista, me adjuvante, differri poterat ad decem alios annos.

400. Nunc, quum jam tibi in animo bellum sit, quidquid possum, promitto, sive ex ferro, sive ex electro; quidquid ignibus fornacis meæ, quidquid flatibus meorum follium : itaque, ne me precare; ab hoc absiste; tuus sum totus; nihil de me dubita : esset enim hoc dubitare de tuis viribus, quæ maximæ : nam quidem nimiæ tuæ preces faciunt, ut videaris dubitare de tuis viribus.

namque nubes vento coactæ plerumque rumpuntur, et ex se fulmen emittunt. Quamvis philosophi fulgura et tonitrua simul exprimi dicant, tamen illud celerius videtur, quia clarum est; tonitrua autem ad aures tardius pervenire. Alii *rima micans*, fulgetram dicunt; ex hoc ad velocitatem amoris, qui momento Vulcanum percussit. *S.*

393. *Sensit læta dolis et formæ conscia conjunx.* Intellexit se sola pulchritudine pervertisse mentem mariti. Alii duabus rebus Venerem volunt maritum adgressum, dolis et pulchritudine; et volunt melius, « dolis et formæ conscia », quam læta; et *formæ* melius dativo casu quam genitivo. *Serv.*

397. *Tum quoque.* Sicut nunc; et *tum quoque* bis audiendum. — *Teucros armare.* Per *Teucros* Ænean debemus accipere, quia Venus ante ait, « Arma rogo »; et subjungendo « Genetrix nato », per similitudinem significat Ænean. Ergo poeta aliud dicendo, aliud dedit intelligi. Sane *fuisset*, in proximo repetitum, decorem addidit. *Serv.*

402. *Ferro.* Ad robur pertinet. — *Liquido electro.* Aut liquefacto aut puro. Pollicetur e ferri electrique temperatura, arma firma et splendida : est autem *electrum* auri argentique mixtura quædam, ut Plinio et Pausaniæ videtur, quinta argenti portione commista. Si ferrum ad firmitatem, electrum valet ad pulchritudinem; et armorum splendor sæpe hostes arcet.

404. Hæc quum dixisset, ruit totus in uxoris complexus, et dulcissimos somnos; et *ruit*, dixit, ad vim voluptatis indicandam; sicut Horatius, *tauri ruentis in Venerem*, Od. XV, lib. 2. Sic ordina litteram: infusus, immistusque gremio conjugis (signat quippe pudentissime συνουσίαν) petivit soporem placidum per membra, id est, soporem placentem ac gratum membris.

407. Primæ tantum quieti Vulcanus indulsit, non nocti integræ, itaque exsurgit exacto medio noctis cursu. Hanc somni parcimoniam, quam Vulcanus accepit, curamque, qua stimulatus surrexit, comparat egregie poeta cum femina, cui victus positus tantum in colo, et tenui lanificio: solet hæc surgere post tenues somnos; ac dimoto cinere, perscrutari latentes ignes, atque inde lucernam accendere; ut ita noctem quoque addat labori diurno, exerceatque famulas ad accensam lucernam penso prolixiore: adhibet finem hujus tam exactæ diligentiæ, ut habeat, unde vivat ipsa, et nati, servata maritalis tori pudicitia. Non aliter, inquit, Vulcanus surrexit e lecto ad fabriles operas: præclare *Ignipotens*, ex vi adductæ comparationis, ubi de femina, *sopitos suscitat ignes*.

416. Sequitur descriptio officinæ Vulcaniæ, quam constituit in insula, quæ erigitur juxta latus Siciliæ, et Liparen unam

409. *Tenuique Minerva.* Non filo tenui, id est, subtili artificio, sed parvo pretio lanificii, id est, tenuiter et exiliter victum præbente. Et alii hic distinguunt, et subaudiunt *mos est*, ut sit sensus, « Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva mos est », et sic inferunt: « Impositum cinerem et sopitos suscitat ignes. » Alii sic legunt, *tenuique Minerva Impositum*; quasi fato datum, hoc est, cui hæc est fataliter data necessitas. *Serv.* — *Tolerare colo vitam.* Mulier, quæ vitam lana et colo sustinet, χερνῆτις dicitur ab Apollonio, atque etiam ab Hom. Il. XII.

414. *Ignipotens.* Vulcanus, ut diximus, ignis est; et dictus Vulcanus quasi Volicanus, quod per aerem volet. Ut dicitur Mulciber a mulcendo ferro, ita Ignipotens a domando illo; potens enim ignis in duram materiam. — *Nec tempore segnior illo.* Bene comparationis similitudini duo reddidit, festinationem et industriam. *Serv.*

415. *Mollibus e stratis.* Lucret. lib. IV, « lecti mollia strata. » Hom. Odyss. XX, ἐν λέκτροισι μαλακοῖσι. — *Opera ad fabrilia surgit.* Dura; et ex contrariis epithetis fecit ornatum, dicens, « Mollibus e stratis surrexit ad opera fabrilia. » *Serv.*

416. *Insula Sicanium juxta latus Æoliamque Erigitur Liparen.* Physiologia est cur Vulcanus in his locis officinam habere fingatur inter Ætnam et Liparen: scilicet propter ignem et ventos, quæ apta sunt fabris. Ptolemæo et Abrahamo ipsissima est *Hiera*, quæ hodie *Vulcania*, et a Plinio *Therasia* etiam dicitur. Verba ejus III, 9, « Inter

Æolidarum : ea insula, Hiera, tota fumat ignitis saxis, et quia *erigitur*, ideo *ardua :* subter hanc insulam est specus, et Cyclopum antra vastissima, quæ *exesa caminis*, id est, ambusta ignibus inde erumpentibus : in his antris mera sunt tonitrua ex validissimis ictibus, quibus incudes impinguntur : ac proinde consequens est, ut ibi semper ferrum stridat, anhelet ignis erumpens ex fornacibus. Hæc est igitur *domus Vulcani*, ac tota tellus ab illo *Vulcania* dicitur.

423. Cælum iverat Venus aditura Vulcanum ; fit inde descensio ad Hieram, ubi ferraria.

424. Ministros tres numerat, Brontem, Steropem, Pyracmonem : primo nomen *ἀπὸ τῆς βροντῆς*, *a tonitru :* alteri *ἀπὸ τῆς στεροπῆς*, *a fulgetra :* tertio *ἀπὸ τοῦ πυρός, καὶ ἄκμονος*, *ab igne*, *et incude :* isti ferrariam exercebant, ut ministri Vulcani, et nudi quidem ex decoro, et necessitate operis : quod enim de uno, de aliis nihil vetat capi : et vide consecutionem miram magni vere poetæ : ideo isti nominantur, quia horum jam nomina repræsentata in superiori descriptione : ergo *Brontes*, quia *antra Ætnæa tonant :* et *Steropes*, quia *striduntque cavernis stricturæ Chalybum :* has enim de candentibus et ignitis, aut massis, aut scintillis explicamus : demum *Pyracmon*, quia præcessit, *validique incudibus ictus auditi referunt gemitum.* Quis, putas, hanc diligentiam haberet?

426. Fortasse illi fulmen Jovis fabricabant, ita ut jam illud informatum esset ; nam una ex parte politum ; ex altera imperfectum : et obiter ait, his fulminibus uti Jovem e cælo in terras.

429. Nihil patitur Maro non consequenter dictum : dixerat ; pars fulminis formata jam erat et polita, pars adhuc imper-

hanc (Liparen) et Siciliam altera, antea Therasia appellata, nunc Hiera, quia sacra Vulcano est, colle in ea nocturnas evomente flammas. » Itaque ideo *Hiera*, quia Vulcano *ἱερά*.

421. *Stricturæ Chalybum. Strictura* est terra ferri in massam coacta. Chalybes autem proprie populi sunt, apud quos nascitur ferrum. Nonius Marcellus locum hunc citat, exponitque ; « stricturæ sunt scintillæ. » *A stringenda* vero *acie* vocabulum *stricturis* impositum ait Plinius libro XXXIV.

426. *Informatum.* Κέραυνον ὑποτετυπωμένον, prima et rudi quadam forma fulmini inducta : *informare* enim et *deformare* pictoriæ aut statuariæ sunt vocabula : et *informatio*, *σκιογραφία* est : ita *informatum*, non est informe, sine forma ; sed habens formam rudem, cujus pars polita, pars imperfecta.

429. *Tres imbris... tres nubis, etc.* Optime poeta in materiam fulmi-

fecta: pars illa formata erat, quæ ad radios pertinet, et isti omni ex parte terni: ergo, quia hæc pars jam formata; non perfecto modo tempore, sed adhuc plusquam perfecto, *addiderant.* Erat hæc substantia fulminis: pars illa erat imperfecta, quæ pertinet ad accidentia: nondum enim fulgores, sonitus, metus, flammæ, iræ; ideo tempore Imperfecto, *miscebant:* nemo enim neget, quin fulmini accidant sonitus, pavores, metus, etc. Expende adhuc hoc apparatu formari fulmina, quia hæc nunquam sine tonitru: atqui tonitrum nunquam sine nubibus, et ventis; sicuti neque fulmina sine fulgore, metu, ira.

433. In alia officinæ parte fabricabantur currus, et rotæ Martis bellorum Dei, quibus ille solet metum universis incutere: de hoc opere, *instabant,* quia neque dum factum.

435. Labor ultimus, Ægis Palladis, quæ et adhuc ipsa poliebatur: mire hanc describit, et ad horrorem; sententia est, poliri certatim ab omnibus Ægida squammis serpentum, auroque, id est, squammis aureis: in medio vero Ægidis, quæ pars ad pectus Divæ statuenda, erat caput Gorgonis, cui connexi angues pro crinibus: vertebat vero oculos in obliquam partem, qui quidem est irate respicientis habitus, post desectum collum.

nis vertit ea ex quibus fulmen nascitur; scilicet grandinem, nubes, ignem et ventum: nam solent torqueri tonitrua, vel *grandinante cælo,* vel *ruentibus magnis pluviis,* vel *aere æstuante,* vel *ventis flantibus.* Grandinem intelligo per *imbrem tortum,* in quo tantum consentio cum Servio: nam, quæ de hieme ait, omnino errat: pluviam immensam, per *aquosam nubem:* æstuantem flammis aerem, per *ignem:* flatus ventorum agnosco in *Austro;* hic enim ventus præ aliis positus κατ' ἐξοχὴν; nam eo flante, pertinaciores esse solent tempestates: ergo, compingit poeta hoc Jovis fulmen, formatque illud partibus, ut det huic Deo fulmen, quod jaculetur hac quadroplici tempestatum opportunitate. Unicuique autem parti assignat tres cuspides, ut omnes sint duodecim; vide typos ex antiquis marmoribus, et notas vol. III, pag. 439.

431. *Fulgores nunc terrificos.* Quas fulgetras dicunt. — *Sonitumque metumque;* non quem habeant, sed quem inferant, et per *sonitum* tonitrua ostendit; per *metum,* fulgetras: et hunc ordinem sic posuit, ut hominibus videtur; nam revera prior est collisio nubium, unde ignis emanat. Nos autem ideo prius fulgetras videmus quam tonitrua audimus, quia velocior oculorum, quam aurium sensus. *Serv.*

436. *Squamis serpentum auroque polibant.* Ægida horriferam aureis squamis serpentum certatim polibant. Alii volunt revera de corio serpentum dicere eum arma esse

439. Sermo προτρεπτικὸς, ad Cyclopas, quo jubet, ut omnia simul, nam hæc sunt *cuncta*, inde amoveant; et *labores*, quamvis *cœptos*, auferant, et differant : quin vult attente audiri, ut in re gravi.

441. Ut in re festinabunda, non enim alio exordio, sed statim, quid velit, aperit : « *arma facienda :* cui ? *viro acri*, militari, forti : pro quo nunc, quid mirum, Jovis etiam fulmen, Martis currum, Ægidem Palladis differatis ? hic volo usum virium vestrarum ; hic manus rapidas ; hic artem omnem, in qua vos magistri. »

443. Conclusio ex dictis : quum ita sit, o vos, omnem moram tollite. Vix hæc, quum illi ocyus, festinantiusque solito ad præsentiam sui Regis incubuere, quippe Vulcani præsentia urgebat, diviso inter omnes labore. Vide vero, an festinanter ; nam vix jusserat Vulcanus, quum jam æs, aurum, ferrum, pro ferro enim chalybem ponit, fluunt, omnia ignibus colliquefacta, ac formata in rivos, in vastissimis illis fornacibus.

447. Sequitur forma clypei, qui ingens, et cum septem orbibus, septies videlicet multiplicata fabrica et connexa : et addit in excursu, *unum* illum Æneæ clypeum fore contra omnia Latinorum arma : en jam formatus clypeus : vix tantam animo festinantiam comprehendas, quantam Cyclopum opere significavit poeta.

449. Redit statim ad artifices ; nam fabricato jam clypeo, deerant arma reliqua, gladius, thorax, ocreæ, galea, etc. Hæc est mens poetæ ; nam tametsi non nominet, tamen reli-

levigata. Politianus Miscell. cap. 47, scribit, etiamnum Romæ simulacrum Palladis videri Ægida gestans squamoso draconum corio circumtectam : plane ut hic describitur. *Taubm.*

439. *Tollite cuncta, inquit.* Vile est quod plerique dicunt, propter arma Martis iratum esse Vulcanum, præsertim quum et arment Minervam et fabricent fulmina Cyclopes : et Vulcanus dixerit, « Cuncta tollite. » Ergo *Tollite*, aut differte, est, aut celerius terminate. *Serv.* — *Tollite.* Magnum Æneæ meritum, quod cuncta superis necessaria tollerentur, ut arma illi fierent. *Donat.*

441. *Arma acri viro.* Suppressit cujus caussa, ne nimis uxorius videretur : nec nominat privignum, qui naturali malitia odiosus esse potest. *Donat.*

446. *Vulnificusque Chalybs.* Populum apud quos nascitor, pro ferro posuit. — *Liquescit.* Dixit proprie ; nam ferrum non semper solvitur, sed mollescit. *Serv.* — Hoc genus ferri densissimi et durissimi Gallice vocatur, *acier.*

449. *Ventosis.* Ventos gignentibus : aliter. « Ventosa per æquora

qua facta, certissimnm, ut liquidum ex ipso postea infertur. Hæc est ergo causa, cur iterum recurrat ad artifices, qui toti festinabundi: *alii auras accipiunt, redduntque ventosis follibus; alii in lacu tingunt æra stridentia;* nam candens ferrum stridit, quum in aquam mergitur. Et quidem ex frequentia ictuum *gemit impositis incudibus antrum*, id est, ab impositis incudibus, in quibus sonitus excitatus ex percussu malleorum.

451. Placuit poetæ rem ita abrumpere, quasi illi nondum finierint: itaque relinquit illos attollentes brachia ad cusionem, et percussionem, versantesque in ignibus metallicam massam ferreis forcipibus.

454. Quasi ex æquo opponit laborantem in insulis Vulcanum, et Heroem Regem surgentem ad labores; ut docearis Virgilianos Deos, atque Heroas laboribus addici, non segni luxuria defluere. Duo vero Evandrum excitant, et lux, et volucres: indicat hirundines ex circumstantia, nam *sub culmine;* potest et gallos, immo bos verius: et adhuc luscinias, si velis, capias.

457 Discriminat indumentum Regis, cui tunica tegendis artubus; Thusca sandalia pedibus; ensis Arcadicus lateri; atque humeris pellis pantheræ, quæ demissa ab lævo humero torquebatur, revocabaturque in partem dexteram.

461. Eunt una cum Rege canes duo ad custodiam corporis destinati: ibat hoc apparatu ad eam partem ædium, ubi Æneam hospitio acceperat, memor scilicet promissi auxilii.

vectis », qui ventis turbentur. — *Accipiunt redduntque;* jungendum; uno enim eodemque tempore partim reddunt, partim ventos accipiunt. *Serv.*

453. *In numerum.* In ordinem; ordinatis vicibus feriendi et versandi: quod autem *incudibus* in plurali dixit, et massam et forcipem in singolari, intelligas singulis incudibus singulas massas et forcipes fuisse. *Donat.*

454. *Dum hæc properat;* hoc est, properanter facit. — *Æoliis* Vulcania una est de septem Æoliis, in quibus Æolus regnavit. — *Lemnius;* quia in Lemnum insulam, cecidit, a Juuone propter deformitatem dejectus.

462. *Gressumque canes comitantur her.* Solemnis mos, et ab ævo Heroum ductus. Hom. Odyss. II, de Telemacho, Οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο: *Non solus, simul cum duo canes veloces sequebantur.* Herculem sequebatur canis. Priamus nutriebat in ædibus eanes, mensarios janitores. Aehilli novem erant eanes mensarii. Plutarchus loquitur de cane Xantippi, Periclis, Alcibiadis et Alexandri magni; et canem comitem dat Hyperocho Inachiorum regi. Syphax inter duos canes stans Scipionem

465. Pari cura surrexit Æneas stratis, in quibus relictus hesterna nocte: conveniunt in unum Reges; cum Evandro Pallas, cum Ænea Achates; jungunt dexteras, quod solemne in omni salutatione; sedent ad sermonem; Evander incipit ἐκ τοῦ πρέποντος, nam senior: illud, *licito tandem sermone fruuntur,* possis referre, vel ad præteritæ noctis moram, quæ visa longior volentibus loqui de rebus magnis; vel ad sermonem, qui habitus secreto, tantum coram Pallante et Achate: multa enim in hoc sermone, quæ non fuerunt audienda universæ plebi hesterna die.

470. Illustrissima Æneæ commendatio, quo salvo, imperium Trojæ victæ non victum. Dic an major possit excogitari?

472 Trojanum nomen ita magnum est, ut pro illo exiguæ nobis sint vires ad auxilium, quod petitur: sed cur exiguæ? nam et breve est imperium; claudimur enim amni Thusco; et premimur a Rutulis, quia ad muros pæne ipsos cum armis accedunt, et circumfremunt: inde est, ut partem hanc in qua sum exarmare non possim.

475. Artificium agnoscit Servius ut auxilia, quæ monstrantur, videantur esse ipsius Evandri; ideo ait, *paro jungere*, etc. Sunt vero hi *populi ingentes, et castra opulenta* Thuscica: et addit, salutem redditam ab inopinata fortuna; nam Æneas id temporis eo appulit, quo tempore Thusci ducem quærebant; ideo *affers te fatis poscentibus.*

478. Non longe hinc est Agylla, urbs in Hetruria, antiquissima quidem, quam Lydi olim in Italiam coloni profecti imperii sui sedem constituerunt: itaque *incolitur* dictum cum respectu ad coloniam: junge, *quondam insedit*, non, *quondam gens præclara;* nam et tunc quidem viri bello fortes.

481. Contigit rerum successu, ut sunt humana omnia, Mezentium ejus urbis principatum obtinere, sævum quidem et insolentem.

appellavit. Olim canes cum heroibus conciones ingrediebantur.

470. *Maxime Teucrorum ductor.* Suasorii generis oratio, qua consulit Æneæ, ut a Tarchonte Hetruscorum duce auxilium petat. Suadet ab opportunu, ut spem injiciat firmiorum opum certissimam, adversus potentes hostes. Exordium ductum ab insinuatione: ostendit enim vires suas tenuiores esse, quam quæ ad tantum bellum sufficiant: laudans simul Æneæ virtutem. *Hort.*

478. *Haud procul hinc.* Ut ire ei facile persuadeat. — *Saxo incolitur fundata vetusto.* Antiquo opere: ut, « Templa Dei saxo venerabar structa vetusto. » — *Urbis Agyllinæ.* Quæ nunc *Cære* dicitur. *Serv.*

483. Digreditur ad Mezentii sævitiam narrandam : solebat ille vivis corporibus mortua conjungere, componens manus manibus, ora oribus; ut ita miseri diro illo complexu, et longa morte cruciati perirent, sanie toti ac tabo fluidi. An non lacrymas post tot sæcula Maro excitat? quem enim legentem non perculit miser iste ac dirus complexus, non quidem ad solatium, sed ad dolorem?

489. Præcesserat Mezentii sævitia, vel potius furor : ergo Agyllæ urbis cives non ferentes furentem hominem, illius regiam armati invadunt; flammas injiciunt ad domus fastigia, et socios interficiunt.

492. Ille tum fuga elabitur; ad Rutulos et Turnum confugit, hospitalia arma precaturus. Hic debet Lector verbum aliquod subaudire, vel interpretari more historico hac ratione : confugiebat ad agros Rutulorum; defendebatur armis Turni hospitis. Est *defendier* poeticum, pro, *defendi :* et hoc pro, *defendebatur.*

494. Non contenti cives, neque tota Hetruria Mezentii fuga, decernunt hominem bello persequi, si possent interficere : hoc enim notat illud, *reposcunt ad supplicium.*

496. His tot millibus, eorumque navibus, quæ in Mezentium fremunt, et bellum contra illum poscunt, ductor tu eris, o Ænea; nam ire in hostem quum vellent, illos aruspex retinuit, dicens esse prædivinatum a fatis, ut ituri in bellum, auspicia et ductum externi ducis sequerentur : quo oraculo illi exterriti cessarunt quidem tunc a bello, sed acies adhuc in campo sedet parata ad iter, si externum ducem habet.

— Vide Excursum tertium super Etruscis et Mezentio, vol. III, p. 479.

483. *Quid memorem infandas cædes.* Figura oratoria, quæ Paralepsis vocatur. Cicero, Catil. I, 3 : « Nam illa nimis antiqua prætereo. » *S.*

487. *Tormenti genus.* Exclamatio est inventi supplicii, et detestatio. De hoc tormenti genere Tyrrhenorum, quod poeta Mezentio tribuit, videatur Plutarch. in Artaxerxe. — *Sanie taboque.* Sanies, mortui est : tabum, viventis scilicet sanguinis. *Serv.*

498. *Longævus haruspex.* Argumento ætatis vult doctum videri. Quibusdam sane displicet quod aruspicis nomen non addiderit, cujus ætatem auctoritatemque designat. *Serv.*

500. *Flos veterum.* Ennianum. Signat filios, qui a bonis et bellicosis parentibus. Demades apud Athen. lib. III, vocat adolescentes *ver civitatis;* ait enim, *τοὺς ἐφήβους ἔαρ τοῦ δήμου.* *Florem* dixerunt veteres, quod optimum purissimumque est in quaque re, ut egregie docet Rittershusius ad Oppian. Κυνηγετ. IV, 153.

505. Quum dixisset oraculum externo duci committendum exercitum, Thusci Evandrum, ut externum, invitant ad imperium, præsertim Tarchon, qui illis præerat; et invitant quidem missis corona, sceptro, insignibus.

508. Dicit se non potuisse accipere, quia jam effœtis lassisque viribus præ senectute: sed neque filium Pallantem, quia maternum genus ducebat a Sabinis, quod contra oraculum; nam ea parte jam non externus. Est hic *patriæ*, Italiæ; dicit enim Pallantem trahere a matre partem Italiæ, nam mater Sabella erat; ac propterea deludi oraculum: itaque *patriam* opponit *externo*.

511. Convertit se ad Æneam, aitque illum debere præfici Thusco militi; tum quia in virore annorum, quod sibi non contingit; tum quia externus, quod non Pallanti. Itaque *annis* dictum propter Evandrum; *generi* propter Pallantem, et ideo, *quem Numina poscunt*.

514. Quum præficere exercitui non possim Pallantem, potero comitem tibi adjungere, ut te magistrum in bello habeat; tibi assuescat; te admiretur.

518. Dabo illi equites ducentos validos, et lectos ex juventute: ille a se totidem, ac proinde omnes erunt quatuor centum: ergo promittuntur Æneæ Hetruriæ milites, quos ducta-

508. *Sed mihi tarda gelu.* Occurrit tacitis quæstionibus, dicens se non isse propter senilem ætatem: filium propter mistum genus per originem matris: unde Æneam dicit ire debere, cui et ætas et origo regna concedunt. *Serv.*

513. *Ingredere.* Verbum militare, et in quo ferocia atque ostentatio. — *Italum fortissime ductor.* Εὐσυμβόλως jam ductorem Italiæ vocat Æneam. *Serv.*

514. *Hunc tibi præterea.* In aliquot antiquis legere est, *nunc tibi*: sed pronomen illud indicativum longe plus ponderis et energiæ habere videtur, dicendo *hunc Pallanta*; nam et in pronomine ipso, et in proprio nomine emphasis est. — *Spes et solatia. Spes*, quia multa sibi de ejus virtute promittebat pater: *solatia*, quia, amissa conjuge, unici filii utebatur solatio.

515 *Pallanta adjungam.* Sic et apud Apollon. lib. II, Lycus offert filium suum comitem sociumque Jasoni. — *Tolerare.* Quasi rem asperam et difficilem. — *Sub te magistro.* Hoc loco commendatur disciplina et educatio: missis enim ad militiam adolescentibus Romanis primo anno custos, sub quo disciplinam ediscerent, et magister, sub cujus imperio tyrunculi acuerentur, publice dabatur, ne expertes operum militarium arma tractarent. Huc ergo alludit poeta, ut jam libro quinto, v. 546, quum Æneas *ad se vocat Epytidem, custodem et comitem Iuli.*

bat Tarchon; naves multæ, quæ erant in portu; demum equites quater centum: hæc est summa auxilii.

520 Post sermonem Evandri, inducit poeta Æneam atque Achatem cogitabundos, defixisque in terram et intentis oculis, pressos etiam dolore ingenti. Fortasse dolor hic ortus ex verbis Evandri, qui atrox bellum nuntiaverat. Servius refert ad brevitatem auxilii, quod promittebatur: non placet; nam hoc non ex decoro præsentis Evandri; sed eam ægritudinem, ex quacumque orta esset causa, ademit Venus, dato e cælo signo.

524. Erant omnia tranquilla in aere; nubes nulla, et flatus nulli, quum subito fulgor ab æthere, et ingens sonitus; istis describit fulgur, et tonitrum; quo puncto temporis visa sunt omnia ruere: nam una cum fulgure et tonitru auditus quoque in æthere clangor mugientis tubæ. Pavefacti omnes attollunt oculos; et tunc audita duo alia tonitrua, frangente se cælo: ac jam in serena cæli parte nubes coaluerat, in qua portata arma, quæ intra ipsam nubem sudo aere rutilabant, et pulsa intonabant: his signat venientium armorum strepitum.

530. Aliis paventibus, Æneas unus lætari cœpit, ut qui sonitus illos cognosceret, eorumque causas, et promissa Veneris: ac statim ad Evandrum, ne anxius sit de portentis illis; se enim unum illis designari, non alium; nam hoc est, *ego poscor Olympo:* ratio, quæ subjungitur, hoc indicat: designant me hæc portenta; nam Venus daturam se hæc signa jam promisit, laturamque per auras Vulcani arma, ad ingruentem belli molem. Hoc totum *κατὰ σιωπώμενον*; nam nullibi legitur hæc promissio.

519. *Suo nomine.* Bene in omnibus filii gratiam facit: maluit enim munus suum cum persona ejus dividere, quam suo nomine totum dare: namque dicit, Dat tibi Pallas milites ducentos suo nomine: ipse vero a me accipiat ducentos. *S.*

523. *Cælo aperto. Sereno*, explicat Servius; ego aliter explico: *aperto cælo*, id est, rupto et hiante tonitribus, fulguribus, fragore: hic enim convenit ita accipi hoc verbum: immo liquida totius loci sententia esse videtur, signum datum a Venere disrupto cælo, quod explicans addit: « Namque improviso », etc. Transactis vero fremitibus pacatum est cælum et visa sunt in serena parte arma intra nubem emicare. *Cerda.*

529. *Per sudum. Sudum* est quasi subudum, serenum post pluvias, ut ver sudum, seudum, id est, sine udo. — *Pulsa tonare.* Recte arma, quæ iisdem ignibus quibus fulmina, facta sunt, ait tonare pulsa: et hic magis proprie quam Homerus; ille enim spirare ait et moveri; hic vero armis Æneæ cælestem sonitum dedit, unde veniebat. *S.*

537. Favore cælesti recreatus, jactat minas in Turnum et Rutulos, ut qui a se habeat Deorum auspicia: adjungit argumenta futuræ cladis a Tybri portaturo scuta, galeas, corpora interfectorum. Absolvit tandem, *poscant acies, et fœdera rumpant;* quasi dicat: ita scilicet expiabunt religionem contemptam, abrupta fœdera. Clarius; tunc rumpunt fœdera icta inter me et Latinum, quum poscunt aciem; sed punientur.

541. Consederant Æneas atque Evander *ædibus in mediis:* quod ibi tacuit de *solio*, hic adjungit: notetur locutio mire poetica, *tollere se ab sede*, pro, surgere.

542. Hypallagen agnoscunt interpretes, ut sit *sopitas ignibus aras*, pro, sopitos ignes in aris. Adit Evander *hesternum Larem*, id est, *cui pridie sacrificaverat*, ait Servius, sed ego simpliciter capio pro foco; nam Deorum mentio postea sequitur. Cur vero Penates parvos? quia deos ædium domesticos. Postquam itum in Larem, mactantur ab Evandro, ab Ænea, ab reliquis Trojanis *bidentes;* et hæ *lectæ;* et *de more*.

546. Facto sacro, pergit Æneas ad naves; visit socios Trojanos; legit ex illis, qui aliis virtute præstarent; partem reliquam committit fluvio, ut illico pergat ad Ascanium, nuntietque, uti res patris gestæ apud Evandrum fuerint.

551. Euntibus pedestri itinere ad Tarchontem et Hetruscos dantur ad viam equi; et uni Æneæ extra omnem sortem, ut reliquorum Principi. Ornatus equi plane regius, ex more illius ævi; in quo pelles ferarum in pretio atque honore apud Heroas. Itaque erat Æneæ equus constratus leonis pelle, et quidem generosi, quod ex colore indicatur; nam pellis fulva: addit *totum*, ut indicet magnitudinem leonis: adjungitur ornatus; nam pro veris unguibus additi ex arte aurei, quibus pellis præfulgida.

554. Sparsit subito fama profectionem ad Regem Tyrrhenum, id est, Tarchontem; eamque ocyus fere, quam quis putaret.

537. *Heu quantæ, etc.* Adeo de victoria certus est, ut etiam hostium misereatur: quod Æneæ κατὰ τὸ πρέπον recte tribuitur, qui pius ubique inducitur: et hinc nascitur ille sensus, « Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti. » Item Æneas, « Hi nostri reditus, exspectatique triumphi, Hæc mea magna fides! » *Serv.* — Vide Scalig. Poet. III, 11; et V, 16.

552. *Exsortem.* Id est, equum eximium, præcipuum: ἐξαίρετον sive ἀπόκληρον. Scal. IV, 16. Vide Æn. V, 534, « exsortem ducere honorem », id est, præmium extra ordinem, quod omnium honorificentissimum erat.

556. Incipit metus ab imbecillo sexu; nam jam tum matres vota suscipiunt pro liberis; quippe major timor ab instante jam periculo: et quidem ad naturam metus explicandam nihil aptius istis; major Martis jam apparet imago; ubi gestuosa omnia, et signatissima.

558. Exspirant ista Tragicum quidpiam: neque vero Evander dextram solum nati complectitur, sed pectus quoque, nam *hæret;* et hoc cum lacrymis, hisque inexplebilibus; nam quod solatium abeunte nato?

560. Quid vero senex ad natum? optat præteritos annos juventutis, virtutemque illam, qua Prænestino bello Herilum interfecit, cui triplex anima ab matre Feronia; ac proinde terna arma; et ideo triplici leto sternendus: neque hoc solum, sed aciem hostium ante ipsam urbem prostravit, et eorum clypeos incendit. Servius ait, Evandrum in interfecto Herilo aspirare ad Herculem, qui interfecit Geryonem tripliceim. Has tot animas, hæc tot arma, una hæc manus abstulit: quo facto quid gloriosius? Historia, quam attingit, breviter hæc est: venientem ex Arcadia in Italiam Evandrum conatus est repellere Herilus Rex Prænestinorum: sed bellum habuit exitum, quem gloriose prædicat Evander.

568. Concludit ex dictis: si essem his viribus, quibus tunc, non a te nunc divellerer, quippe Mezentium interfecissem; neque esset necesse, ut tu hinc pergeres ad repellendos illius conatus, quibus mihi vicino insultat, et tot cives morti dedit, urbem exitio.

572. Hactenus ad natum: se jam ad Deos, et Jovem inprimis convertit; a quo petit incolumem vitam, si natus rediturus incolumis et cum victoria: tunc enim durare in vita optat, et laborem quemvis subire, etiamsi extrema senectute oppressus. Illud, *venturus in unum*, est, futurus una cum nato; conventurus illum, victorem et felicem.

578. Relictis Diis, se convertit ad Fortunam, quæ plurimum

562. *Scutorumque incendi victor acervos.* Hoc traxit de Historia. Tarquinius enim Priscus, victis Sabinis, in honorem Vulcani eorum arma succendit, quem postea secuti sunt cæteri. *Serv.*

571. *Viduasset civibus urbem.* Scilicet viris fortibus peremptis; et proprie *viduasset* dixit, quia urbs generis est fœminini. Horatius abusive in genere masculino posuit, dicens, lib. I, Od. X, 12: « Viduus pharetra risit Apollo. » *S.*

578. *Infandum casum.* Parentis est nolle memorare quod formidat: non nominat mortem, sed circum-

in bello dominatur; eamque obtestatur, si minetur mortem Pallanti, in se quoque sæviat, dum adhuc in ambiguo res est, et ipse incertus futuri successus.

581. Movent plurimum apostrophæ: præcessit duplex; una ad Deos, altera ad Fortunam; en tertiam jam ad natum. Est enim totus hic sermo παθητικός: quid vero ad illum? opto mori, dum te hic vivum teneo meo complexu, ut superstes sis mihi, priusquam me gravissimus nuntius de morte tua invadat: nam tu mihi *voluptas*, et *sola*, et *sera*: ideo *sola*, quia nulla alia Evandro proles: *sera*, quia susceptus in senectute.

583. Hoc quasi divinans Virgilius: fuit sane digressus hic supremus, quia supremus congressus; nunquam enim vidit deinde vivum filium: vide vero non solum pulcherrimum πάθος, sed modum optimum finiendarum querelarum: finiuntur enim Evandri extasi, quæ hominem præ dolore invasit. Nota etiam decorum aliud: in tanto patris luctu nihil loquitur filius: nam quid ille loqueretur, quod non frigidum post tantum patris ardorem? lasciviret hic vulgaris poeta, et Pallanta respondentem faceret; et fortasse Æneam se interponentem, ut omnia essent ridicula.

584. Memineris jam pedites commissos flumini, ut portarentur: itaque, hic tantum mentio equitum, qui, loquente Evandro cum nato, jam portis exierant; et principe loco primus Æneas, Achates, et Trojani alii proceres: post illos Pallas in medio Arcadum, quem chlamys et picta arma conspectissimum reddebant.

589. Comparatur forma Pallantis Lucifero exorienti, primo mane, ab Oceano; ostentanti speciem; dissipanti tenebras, pressius, *resolventi*; additque Luciferum amari a Venere præ aliis stellis, ut nihil mirum tantam illi communicatam pul-

scribit, territus omine: itaque vitam nominavit, mortem non audet; sed loco mortis « infandum casum » dixit; quæ vox cædem notat usu Virgiliano. — *Crudelem vitam*. Quæ filio est superstes.

589. *Qualis, ubi Oceani*. Homericum est. Vide omnino quæ de his versibus J. C. Scaliger de Re Poet. V, 3. Eos quoque adhibuit Fabilius quidam, Magister Maximini Junioris, quum cum Græco carmine puerum describeret. « Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda Extulit os sacrum cælo, tenebrasque resolvit, Talis erat juvenis patrio sub nomine clarus. » Græce cos hoc modo vertit Is. Casaubonus: Οἷος ἀπ' Ὠκεανοῖο Ἑωσφόρος εἶσι ῥοάων, Οὐρανόθεν κεφαλὴν προφέρων σκεδάων δέ τε νύκτα, Τοῖος ἔην νέος οὗτος ἐν ἡλικίεσσι φαεινός. Horatius, lib. III, Od. IX, 21, de formoso Calai ait; *sidere pulchrior*.

chritudinem: quæ omnia in Pallantem redundant, qui Veneris dono conspicuus.

592. Mira poesis! ab illa Trojanorum promptitudine in exeundo, ab illa Pallantis pulchritudine, convertit se subito ad rem longe aliam, ad paventes matres, quæ in muris stabant non sine horrore, spectantes egressum filiorum, quos fortasse deinde non visuræ, spectantesque oculis nubem pulveris, et abeuntia agmina.

594. Illi tamen nihilo segnius, per viam, quæ se statim dedit obvia, iter ingressi, cum clamore militari per dumos incedunt agminatim; auditurque maximus equorum strepitus confrementium, et persultantium.

597. Juxta amnem Cæretanum lucus erat, sacerque majorum religione: erat hic lucus, et intra colles inclusus, et refertus densitate arborum. Erat vero fama, Græcos, qui primi ad Italiam appulerant, patriæ propriæ religione imbutos, consecrasse Sylvano suo, Deo arvorum ac pecoris, lucum istum, diem etiam solemnem, in quo ejus sacra peragerentur.

603. Non longe ab hoc luco Tarcho stationem habebat in summo colle, qui munitus natura: Æneas appulit cum suo agmine ad lucum, ut ita conjuncti essent exercitus: habita hic cura militum et equorum. In explicandis his versibus secutus sum ductum poeticum: nam Servius varie se implicat.

608. Miri sunt poetæ in intercidendis rebus, et mox resumendis, quum opus est: id enim spectat ad varietatem poeseos, et inescandum lectorem. Quis non putaret, in superiore illo strepitu mugientis et admurmurantis cæli debere arma apparere? et tamen ibi dilata, ut semper lector novitate rerum

596. *Quadrupedante, etc.* Notetur mirum carminis artificium; cujusmodi repetitur Æn. XI, 875. *Quadrupedare* autem, auctore Turneb. XXVI, 29, de quadrupedibus dicitur. Ita apud Plautum, Capt. IV, 2, 34: « piscatores advehuntur quadrupedanti crucianti canterio. »

598. *Late sacer.* Hoc est, non solum colebatur a civibus, sed etiam ab accolis. *Serv.*

607. *Fessique et equos et corpora curant.* Ingenti arte quod sequebatur omisit, redditurus in decimo: namque si vellet dicere venisse Æneam, vidisse Tarchontem, petisse auxilia, satis longum fuerat; et peribat illud quod ait supra, « Toto namque fremunt condensæ litore puppes »: quum et Hetruscorum festinationi dicentis brevitas congruat. Verum hoc quod in isto loco prætermisit, reddidit in decimo, dicens, « Namque ut ab Evandro castris ingressus Hetruscis, Regem adit, et regi memorat nomenque, genusque. » *S.*—Verbo *curandi* utuntur omnes in hunc sensum.

pungatur, et reservata in hoc momentum: (Heynius, vol. III, p. 456, not. 608, mihi videtur immerito carpere hunc locum.) Ergo Venus, quæ ibi signum dedit adventus sui, jam hic adest, et cælesti quidem nimbo candida: ut vero illa natum vidit in secreta vallis parte, separante illum ab aliis ipso flumine, illi se conspicua obtulit, locuta in hunc modum.

612. Promisi tibi arma Vulcani mei; en illa ad te, et quidem fabricata perfectissima ex arte: non jam tibi timendi Itali, etiamsi superbi: non Turnus, etiamsi bello acer; hunc posce, hunc provoca.

615. Confirmat omnia materno amplexu, incendens natum hac face amoris; posuitque arma, quæ longe lateque emicabant, (hoc enim per *radios* intellige) sub quercu, quæ objecta Æneæ oculis e regione: ac statim recessit: hoc enim intelligendum, quum nullus jam deinde sermo de Venere.

617. Sequuntur Æneæ affectus, qui necessarii ad visa cælestia arma: lætatur donis et honore, quo cumulatus, præsertim auctore Dea: ita avide intuetur, ut nequeat expleri; inde est, ut oculos passim volvat per singula. Hinc consurgit admiratio incredibilis, et tanquam vix credat; hoc enim fieri solet in magna admiratione; illa arripit manu, tractat, versat; nunc si perpendas, quod non tuendo expleatur, quod oculos in cuncta intendat, quod miretur atque verset, intelliges, ait J. C. Scaliger, magnum esse opus; magnum Æneam; magnum Virgilium.

620. Recenset singula, et cum præconio, videlicet *galeam*, *ensem*, *loricam*: galeam commendat a cristis, quibus terribilis, et a sævo quodam, sic Silius loquitur, flammarum fulgore, quas vomebat: ensem a fato, cui jam destinatus miser Turnus, et tota Italia: loricam ab ære, quo riget; a colore, qui sanguineus; a magnitudine, nam ingens: quæ pertinent ad loricam, illustrat comparatione nubis, quam Sol irradiat redditque late splendidam: tale erat æs loricæ admisto sanguineo illo et rutilo colore. In hac comparatione nubes æri respondet, Solis radii lucidi colori cruento, id est, flavo et

610. *Egelido secretum flumine vidit. Egelido*, id est, nimium gelido: et est una pars orationis, ut Ge. IV, « Eduramque pirum »: id est, valde duram: et sic dixit, « secretum flumine egelido », hoc est, præsidio fluminis; ut dicimus, *secretus est monte*, vel silvis: latenter autem ostendit, Æneam, non nisi flumine ablutum, numen videre potuisse. *Serv.* — Muretus et Scal. Poet. VI, de hoc legendi sunt.

lucido. Audi et hic verba Scal. *Profecto nihil potuit aptius, quum cæruleam nubem implevit splendore; nam idem in ferro polito est.*

624. Adhibet reliqua, nimirum ocreas, quæ leves, id est, lucidæ ac tersæ: earum materia ex electro, et auro, et hoc *recocto*, ex repetita coctura: versavit etiam manu hastam; demum clypeum, cujus fabricam nemo satis narrando assequi ullo modo possit.

626. Fingit poeta in gratiam Augusti expressas in clypeo Æneæ res Italas, triumphos Romanorum, et a Vulcano, qui est, ut Deus, sciens futurorum: illud, *haud Vatum ignarus*, est, non ignarus artis vaticinandi.

628. Præcessit, Vulcanum fuisse scientem futurorum: hæc ergo causa, cur incipiat a futura Ascanii stirpe. De Ænea, et de ipso Ascanio non oportuit verbum addi, qui tunc vivebant; nam in hoc nullum vaticinium.

630. Transit ad natales Romuli, et Remi: fecit itaque Vulcanus lupam *fœtam*, id est, quæ jam pepererat, *procubuisse in antro Mavortis:* accipe istum procubitum non de integro, et pleno jactu in terram; nam statim pueri describentur *pendentes*, sed tantum de inclinatione quadam; voluit enim poeta, ait Servius, gestum exprimere, qui visebatur in statuis lupæ. Ex multis tum Servii, tum aliorum explicationibus hanc elegi. Pendebant igitur pueri ex uberibus; ludebant; lambebant matrem; et quidem impavidi, etiamsi feram lamberent, ut jam in illis agnosceres magnum genus: lupa pari amore cervicem flectebat; mulcebat jam hunc, jam illum; et formabat lingua tenerrima infantulorum corpora. Bene notat Servius exhiberi a poeta non tam, quæ erant in pictura, in qua alternatim lambi pueri non poterant, quam quæ facta intelligimus. *Cervix teres* est, rotunda, et firma, et porrecta in longum.

626. *Illic, etc.* Poetæ sex (mitto alios) vocari in certamen possunt: Græci tres, Homerus, Hesiodus, Nonnus: Latini tres, Virgilius, Statius, Silius. Hi omnes clypeos suos simili apparatu exornarunt. Homeri judicium sit penes Scaligerum, de quo ait, « licuisse illi in ea verborum opulentia ineptire. » Euituit etiam in re simili ingenium Calabri lib. V, in fabrica scuti Achillis: qui tamen totus, ut assolet, ad Homeri umbram. De clypeo Æneæ et de hujus inventi laudibus consulendus est Excursus IV, vol. III, pag. 483—490.

632. *Ludere*. Moveri. — *Lambere matrem;* quasi matrem, cujus affectum pueris exhibebat. Sane veteres etiam nutrices *matres* vocabant, ut ait Plautus in Menæchmis, « Et mater non possit dignoscere quæ mammam dabat. ». *S.* — Vide Dyonis. et Liv. lib. I; Ovid. Fast. I.

635. Romam Vulcanus juxta Remum et Romulum effinxit, et raptum Sabinarum, quod factum vere improbum. Sed quid illud; *Consessu caveæ Magnis Circensibus actis?* Raptæ snnt Sabinæ, mense Martio, in Consualibus, qui dicti etiam Magni Circenses; ad quos ludos quum finitimi convenirent, non solum viri, sed feminæ, occasio præbita est raptus. Ergo ait: addidit Vulcanus Sabinas raptas in consessu caveæ, quum populus spectaret in Circo; nam Circum vocat *caveam; actis Magnis Circensibus*, quum agerentur, ut explicat Servius.

637. Multæ aliæ raptæ sunt; nam non uni Sabini convenere ad ludos: sed illi tamen præ cæteris doluere rapi suas filias: itaque, statim consurgunt in bellum contra Romanos, duce Tatio: vocat *Cures*, id est, Sabinos, *severos*, a morum gravitate: scio ab aliis eam vocem varie explicari: vocat Romanos *Romulidas*, ut qui ab Romulo: nam, qui *Romulidas* capiunt pro Romulo tantum et Remo, non possunt: ante raptum enim jam Remus ceciderat, et regnabat solus Romulus.

639. Sed tandem positis armis ad preces Sabinarum, quæ mediæ inter viros et patres, Reges ipsi Romulus, et Tatius, ut erant in armis, conciliatis jam animis, ad sacra accedebant ante aram Jovis; tenebant pateras de more sacrorum; jungebant fœdera cæsa porca.

642. Metius Fuffetius, cui princeps locus apud Albanos, vocatus est a Romanis, societatis jure, contra Fidenates; in prælio ad hostes defecit: potitus victoria Tullus Hostilius transfugam quadrigis binis illigavit, et ita miser discerptus est. Historia hæc in multis obvia; sed non obvia Virgiliana locutio: vide, an miserius potuisset exprimi hic laniatus: nam distractus in diversa, raptata viscera, sparsi sanguine et rorantes vepres. In verbis illis, *at tu dictis Albane maneres;* et *mendacis viri*, adjungitur causa mortis.

646. Tarquinius Roma pulsus, ad Porsenuam confugit Regem Tuscorum: hic infesto exercitu Romam venit; Janicu-

635. *Nec procul hinc Romam.* Congrue juxta proprios conditores. — *Raptas sine more Sabinas. Raptas* spectaculo, sine ullo exemplo: aut sine ullo bono more, per vim.

640. *Jovis ante aram.* Ante templum Jovis Statoris; quod fecerat Romulus, postquam orans elatis armis meruit, ne suus exercitus fugaretur. *Serv.*—*Pateramque tenentes.* Vino repletam: moris enim erat in faciendis fœderibus vinum effundere in terra, ac precari ut fœdifragorum sanguis similiter effunderetur. Ita apud Hom. Iliad. Γ, 300, eadem invenies.

lum cepit repentino impetu; urbem obsedit; hæc omnia cælata erant in clypeo. Contra, Romani gloriose dimicabant, adeo ut in ferrum et mortem ruerent pro tuenda libertate, id est, pro tuendis Consulibus, et nova republica. Libertatis enim dulcedine nolebant, semel in illam asserti, regibus se iterum submittere.

649. Effinxerat Vulcanus Porsennam cum ingenti indignatione et minis ad facinus Coclitis, et Clœliæ. Narro breviter: unus tantum aditus relictus Porsennæ ad invadendam urbem per pontem sublicium; hunc Cocles occupavit, et impetum hostium excepit, obstinato hærens gradu, donec a tergo ruptus pons: Cocles in fluvium armatus desiluit, et incolumis ad suos tranavit. Pergo ad Clœliam: virgo hæc data Porsennæ, una ex obsidibus, quum castra Hetruscorum forte haud procul ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum, inter tela hostium Tyberim tranavit, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit. Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri donavere: in summa sacra via fuit posita virgo insidens equo. Sic elapsæ sunt virgines; petunt a custodibus, ut liceat flumen adire lavandi causa; impetrant: deinde petunt, ut recedant pudoris causa, hoc quoque impetrant: mox amnem tranant. Sed quid illud, *ruptis vinclis?* duplex explicatio: dici potest rupisse vincula, quæ frustrata est custodias: vel referenda est sententia ad ipsum fluvium; tranavit Clœlia amnem natatu, quia is sine ponte; nam is jam ruptus: est quippe pons veluti vinculum: priorem sententiam sequor.

652. Sequitur Manlii facinus, quod in summa parte clypei probe: nam arces in summa parte urbium esse solent. Sed quæ historia? Occupaverant Galli Senones, duce Brenno, Romam, in qua tantum Capitolium fuit reliquum, et in hoc pæne irrupissent, nisi Manlius custos illos detruderet excitatus clangore anseris. In illis, *Romuleoque recens horrebat Regia culmo*, meminit casæ Romuli factæ ex stramentis, et culmis pauperibus fastigiatæ: erat hæc in Capitolio.

655. Erat in clypeo anser effictus similis volanti, et ex argento ipse, quum tamen porticus capitolii auratæ essent. Hoc ad varietatem picturæ; nam Capitolium horrebat culmis, porticus erant auratæ, anser argenteus et canenti similis, quum jam Galli aderant Capitolium penetraturi: sic enim capiendum illud, *arcemque tenebant:* namque non tenuerunt,

sed pæne tenuerunt: ideo poeta consultissime imperfecto usus *tenebant:* adhibet circumstantiam temporis, tenebras, et somnum; tunc enim facilior irruptio.

659. Habitus Gallorum: cæsaries aurea, et barba aurea signat colorem rutilum comæ, et barbæ: sagula virgata; colla candida; torques in collis aurei; cuique gesum duplex in dextera; in sinistra scutum longum ad corpus tegendum.

663. Attingit in hoc tractu varia illius populi sacra, ornatque omnia commodis attributis: nam Salii exultant; Luperci sunt nudi; apices lanigeri; ancilia labuntur cælo; matronæ

658. *Defensi tenebris et dono noctis opacæ.* Multi iterationem volunt. Alii dicunt *tenebris*, propter cuniculos. *Dono noctis;* somno Manlii: nam somnus noctis est donum. *Serv.* — *Dono noctis.* Græci sæpe somnum dicunt δῶρον θεῶν: ut etiam Latini, *donum Deorum* somnum. *C.*

659. *Cæsaries.* Coma, ideo quod cædi potest. — *Aurea vestis.* Hoc est barba: unde contra *investes* dicimus imberbes: vide supra notam ad hunc versum 160; « Tunc mihi prima genas vestibat flore juventas. » *S.* — Heynius aliter sentit, et merito quidem, vol. III, pag. 462.

660. *Virgatis lucent sagulis;* quæ habebant in virgarum modum deductas strias. Intellige vestes barbarorum ritu discolores, et veluti virgatis segmentis contextas, non purpureas. — *Sagulis.* Hæc vox a sago ducitur; per *sagula* intellige militares chlamydes et paludamenta, et confer Lipsium de Mil. Rom. lib. II; Appian. in Iberic. et Sueton. in Cæsare cap. 48.

662. *Gæsa.* Hastas viriles: nam etiam viros fortes Galli *gæsos* vocant. — *Scutis longis.* Per hoc, corporum ostenditur magnitudo. Clypeus et scutum opponuntur; clypeus enim rotundus est; scutum vero formæ oblongæ, majusque clypeo; et *scutum* Græci hinc θυρεὸν, quod referat similitudinem forium, quæ longiores sunt, quam latiores: clypeum ἀσπίδα vocant.

663. *Hic.* In eodem scuto; et congrue sacerdotes statim post templa commemorat. — *Nudosque Lupercos.* Quum in honorem Panos Lupercaliorum solemne celebraretur, pecora Romanorum subito a latronibus rapta sunt: illi, projectis vestibus, insecuti sunt: his latronibus oppressis, et receptis animalibus, propter rem a nudis prospere bene gestam, consuetudo permansit ut nudi Lupercalia celebrarent. *Serv.*

664. *Lapsa ancilia cælo.* Regnante Numa Pompilio scutum breve et rotundum cælo lapsum est: et quum aruspices respondissent illic fore orbis imperium, ubi illud fuisset, diligentia Numæ, ne quandoque ab hostibus posset auferri, adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt, et in templo Martis locata. Quod autem dicit *ancilia*, plurali utitur numero pro singulari: nam unum lapsum est. *Ancile* autem dicitur, aut quasi undique circumcisum, aut quasi ἀμφίχειλον, id est, undique labrum habens. *S.* — De his jam supra, pag. 434 et 435, pauca diximus.

sunt castæ; pilenta mollia. Sunt Salii Sacerdotes Martis, dicti a *saliendo*, propter tripudia; Luperci Panos: apices ad flamines pertinent.

666. Non oportuerat Vulcanum præterire loco suæ officinæ proxima: erant ibi *sedes Tartareæ;* appositive, *alta ostia Ditis;* ubi *alta* sunt profunda, quia Tartarus profundior pars inferi: picto Tartaro, par erat damnatorum aliquem ibi effingi; Catilinam elegit poeta, qui penderet ex scopulo altissimo, et qui videretur ruinam minari: damnatis opponit pios, et judicem illorum facit severissimum Catonem.

671. Præcesserunt inferi; sequentur mox superi: in horum medio visebatur mare, et ipsum quidem ex auro; fluctus in eo cani ab albente spuma; præternatabant in orbem Delphines verrentes caudis et secantes maria; erant vero clari, ut qui facti ex argento. Vocem *cærula* accipit poeta pro mari, non pro signato colore; nam præcessit *imago aurea:* itaque sententia est; *cærula*, id est, maria spûmasse cano fluctu: in verbo *ibat*, signat fluxum et refluxum.

675. Visebatur in medio mari classicus Actiaci belli apparatus, et omnia ad bellum instructissima, atque ex mira disciplina: cernebatur ex concursu navium mare fervere juxta Leucaten promontorium Epiri, et in mari effulgebant auro fluctus: vocat hic *aureos fluctus*, quos supra tamen *canos*; quod refero ad partem picturæ repercussam.

678. Erat Augustus tanti dux belli: notæ in eo magni Prin-

666. *Pilentis matres in mollibus.* Pileuta sunt vehicula, sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non ut nunc sunt russati, quibus nisi castæ matronæ uti non poterant, sicut nec vitiis, unde addit *Castæ*. *Mollibus* autem, pensilibus: ut *molle feretrum*, et *oscilla mollia*: contra *plumas pensiles* dicimus, et molles significamus: et *mollibus*, molliter stratis: quidam pilenta, tecta cisia vulgo dicta tradunt. *Serv.* — De hoc vehiculi genere vid. omnino quæ Schefferus de Re Vehiculari II, 25. — *Hinc procul.* Bene a templis longe Inferos facit: et bene « Tartareas sedes », ut nihil prætermissum videretur. *Serv.*

668. *Et te, Catilina, minaci Pendentem scopulo.* Hoc quasi in Ciceronis gratiam dictum videtur. *Serv.* — Apud tragicos immanissima habebatur imprecatio, ut quis apud Inferos etiam in sublimi scopulo insepultus pendeat.

670. *Secretosque pios.* Aut in secreto morantes, aut participaliter ab illis secretos. *S.* — Horat. lib. II, od. XIII, 22, « Et judicantem vidimus Æacum, Sedesque discretas piorum. » — *His dantem jura Catonem:* et significat, *Uticensem*, qui contra Cæsarem bella suscepit.

cipis Romanorum: nam patres, populus, Penates, Dii Magni, locus etiam, qui in puppi, illum esse ducem indicabant: deinde galea mire splendida, ac pæne flammea ex fulgore auri, et sidus Julii in galeæ vertice. Nihil vero est aliud *aperitur*, quam apparet; sed illud maluit, quasi eximius splendor præferret in galea fenestræ imaginem; ad eum modum, quo cælum videtur aperiri Sole, Luna, stellis.

682. Primas in eo bello post Augustum Agrippa habuit: notæ in eo conspicuæ quoque: nam cum Diis, et agmine venti erant a puppi; hi enim sunt secundi, et Dii quoque secundi erant. Ipse arduus, et cum superbo insigni coronæ navalis, a qua corona tempora ipsa cernebantur rostrata.

685. Post numeratos Romanos duces, Augustum et Agrippam, subjicit adversæ partis duces, Antonium, et Cleopatram: pro senatu et populo, qui in comitatu Augusti, sunt milites

680. *Tempora flammas Læta vomunt.* Naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur, adeo ut obtutum ejus nemo contra aspectare posset: denique quidam eques Romanus interrogatus ab eo cur, se viso, verteret faciem, dixerit, *quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum*, sicut ait Suetonius. *Serv.* — Puto hic galeam indicari; nam si ad igneos Cæsaris oculos referuntur *temporum flammæ*, sensus nimium torquetur.

681. *Aperitur vertice sidus.* Apparet sidus in vertice, hoc est super galeam: nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genitrici, et ludi funebres Cæsari exhiberentur, per triduum stella apparuit in Septemtrione, quod sidus Cæsaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus omnibus statuis, quas ob divinitatem Cæsaris statuit, hanc stellam adjecit. Ipse vero Augustus, in honorem patris stellam in galea cœpit habere depictam. Honorifice autem poeta unam stellam *sidus* dixit, quum sidus ex multis stellis constet. *Serv.*

682. *Parte alia.* Non, e contra; sed in alia parte aciei. *S.* — *Ventis, et dis Agrippa secundis. Agrippa* dicitur ab ægro partu, id est, qui pedibus nascitur. Hic omnium operum et victoriarum Augusto administer fuit, præcipue Actiaco bello: ter consul; tribunus plebis cum Augusto, cujus gener, et adoptione filius.

684. *Navali rostrata corona.* Corona navalis rostrata est dicta, a navium rostris, et fieri solebat ex auro, teste Gell. V, 6: « Navalis (*corona*) est, qua donari solet maritimo prælio qui primus in hostium navem armatus vi transilivit: ea quasi navium rostris insignita est: et muralis autem, et castrensis, et navalis fieri ex auro solent. » Agrippæ autem ob victorias navales, datas esse ab Augusto coronas navales, testantur et nummi et historici.

685. *Hinc.* A parte contraria. — *Ope barbarica.* Crimen Antonii,

collecti a populis Auroræ, mari rubro, Ægypto, Oriente, Bactris : vocat Bactra *ultima*, non orbis, sed Antoniani in Oriente imperii.

689. Non itur in bellum, sed ruitur; adeo crudelia odia! videbatur in pictura mare totum convelli remis et rostris; illis reductis ad pectus remigum ; his stridentibus in findendo mari; spuma ubique albicante.

691. Putaret quispiam, quum naves cerneret petentes alta, videre Cycladas revulsas, innantes, concurrentes : aut certe montes obvios montibus : nam videlicet puppes navium turritæ et tabulatæ.

694. Sequitur jam bellum, quod fit flammis jactatis, telis volantibus; quæ duo missilia, ut in congressu nautico : ac jam tum mare rubebat sanguine ad primos belli impetus : et *cæde nova*, id est, ingenti et inusitata.

696. Iuducit, ad pudorem Antonii, Cleopatram cum sistro Ægyptiaco, pro Romano classico, et eo vocantem agmina;

qnod ope barbariea Romanus pugnet. *Serv.*

688. *Sequiturque (nefas)*, etc. Exclamatio est : quasi *pro nefas!* aut per parenthesin dictum est : et *nefas* non in eo tantum, quod Ægyptiam Romanus dnxerat, sed etiam quod mulier eastra sequebatur; quod in ingenti turpitudine apûd majores fuit : unde bellaturus Pompeius in Lesbo reliquit uxorem. *S.*

690. *Cônvolsum remis rostrisque tridentibus æquor.* In antiquis *convolsum.* Σπασμὸν θαλάσσης, et *σπάσμα*, dixerunt Appian. lib. V, et Plntarch. in vita Ciceron. id est, « maris eonvulsionem. » Convelli mare dieitur eum extrahitur a se, et divellitnr, sive fluctibus in tempestate, sive remis in quacunque navigatione; præeunte hic Virgilio, qui *convulsum æquor*, in summa tranquillitate : nam auetore Plut. in vita Anton. hic navinm conflictus factus *νηνεμίας καὶ γαλήνης ἀκλύστου γενομένης*. *Cerda.*

692. *Cycladas.* Cleopatræ naves innsitatæ magnitudinis fuisse etiam Dio narrat : quas poeta hic insulis singulas comparat. Sunt autem *Cyclades* insulæ maris Ægæi numero LIII, in Cycli formam dispositæ. — *Aut montis concurrere montibus, etc.* Hæc quidem non tam Hyperbole poetiea est, quam ex historia loeus sumptus. Apud Florum cnim legas de navalibns Antonii : « Sed nnmerum magnitudo pensabat, quippe a senis in novenos remorum ordinibus : ad hæc turribus, atque tabulatis allevatæ, eastellorum et urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ventorum ferebantur : qnæ quidem ipsa moles exitio fuit. » *Pier.*

696. *Patrio vocat agmina sistro.* Cleopatra sibi tantum adsumpserat, ut se Isin vellet videri. Isis autem est genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat : per sitellam, quam sinistra

jusserat quippe Antonius, ut legiones parerent feminæ : adjicit poeta cælatos a tergo Cleopatræ angues illos, quorum morsu illa periit, quos tum non respiceret.

698. Dii Ægyptii, mera quidem monstra, et omni ex colluvie, inprimisque Anubis cum canino capite, pugnabant contra Deos Romanos, Neptunum, Venerem, Minervam : acuebat ardorem belli Mars, romani imperii pater, sculptus e ferro, sæviebatque in medio certamine : erant una Diræ, Discordia, Bellona : Diræ ex æthere advenerant missæ ab Jove ad inflammandos animos : Discordia cum palla, et hac scissa, quales esse par est vesanientes; et cum gaudio, ut quæ videret bellum civium : erat Bellona cum flagello sanguineo, quæ pergeret ad excitandum utrinque furorem, quacunque Discordia vaderet.

704. Constituit Deos Magnos ab Augusto desuper imminentes contra classem hostilem : illorum unus Apollo, quum dubia adhuc victoria, *arcum intendebat*. Nota mentem Virgilii : non jaculatur sagittam ; tantum intendit arcum ; immo *intendebat*, de imperfecto : et hic levis nutus satis ad terrorem, et fugam, quia nutus Dei : incepit vero fuga ab Ægyptiis, Indis, Arabibus, Sabæis; quæ gentes mollissimæ.

707. Vix fuga occœperat, quum Cleopatra quoque visa est

manu retinet, ostendit adfluentiam omnium lacunarum : Isis autem, lingua Ægyptiorum, est terra : quam Isim volunt esse. Hanc Isim et alios Deos ideo Ægyptii colunt, quia Deos reges habuisse dicuntur. Ergo in opprobrium Alexandrini exercitus, pro classico sistrum posuit; quod autem ait « vocat agmina » : hoc est quod superius dictum est, et Augustus in commemoratione vitæ suæ refert, « Antonium jussisse ut legiones suæ apud Cleopatram excubarent, ejusque nutu et jussu parerent » : bene ergo, « vocat agmina », quæ signum dabat. *Serv.* — Erat autem *sistrum* instrumentum e metallo arguto, quo in sacris Isidis utebantur : παρὰ τὸ σείεσθαι. Vide Turneb. XXVI, 33.

698. *Deum monstra.* Ideo monstra dixit, quia sub Augusto necdum Romani Ægyptia sacra susceperant. Et admittebat locus pro laude Augusti aliquid etiam in Deos inclementius dici. Varro indignatur Alexandrinos Deos Romæ coli.

701. *Cælatus ferro.* Aut in armis locatus : aut de ferro sculptus, scilicet metallo sibi congruo : aut sævit ferro. — *Diræ.* Diræ proprie sunt ultrices Deæ, et bene has interesse dicit prælio : aut a Jove missas ad terrorem Ægyptiis inferendum, aut ad puniendum ipsum Antonium, qui matrimonii læserat fidem. *Serv.*

704. *Actius hæc cernens.* Quem postea Actium nominavit Augustus. Trojanis semper Romanisque faventem Maro inducit Apollinem, et Juliæ familiæ veluti præsidem

dare vela, vocare ventos ad fugam, funes laxare. Et nota prudentiam: nullum hic verbum de Antonio, ne Romanus dux, etiamsi hostis Augusti, nominetur in re turpi. Videbatur Cleopatra jam pallens futura morte, quasi jam tum illa conjectaret infelicem exitum illius fugæ et belli: dicit illam ferri *Iapige*, id est, vento Apuliæ, qui ad Orientem ducit.

711. Non oportuerat Nilum intactum relinqui in hac pictura; tum quia is fluvius Ægypti; tum quia imagines etiam fluviorum vinctæ in triumphum ducebantur: pingit illum *mœrentem*, ut par est in suorum clade: et *magno corpore*, ut pingi ferme solent flumina; *vocantem victos ad gremium*, ut laterent in suo flumine; idque *veste tota* significantem. Servius non placet, qui refert latebras ad incognitam Nili originem.

714. Tres continuos dies Augustus Romæ triumphavit: auxerunt splendorem triumphorum vota Principis, nuncupatis plurimis templis in honorem Deorum.

717. Commendat triumphos Cæsaris a circumstantiis; tunc enim et lætitia viguit; et sacri ludi peracti; et plausus omnium incredibilis; templa omnia, et aræ frequentatæ matronarum choris; et cæsæ passim victimæ.

720. Effinxerat Augustum Vulcanus in Phœbei templi limine accipientem populorum dona, aptantemque illa, et suspendentem postibus; coramque illo maximum victarum gentium agmen, quæ omnes distinctæ linguis, armis, vestibus.

724. Numerat has gentes, et aliquas cum elogiis: erant ibi Numidæ, Afri, Lelegæ, Caræ, Geloni: erat Euphrates, non

714. *Triplici triumpho.* Tres enim Augustus habuit triumphos: nam primo die triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat navali bello. Secundo, qui Dalmatas vicerat. Tertio, ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho. *Serv.*

721. *Dona recognoscit populorum.* Aurum coronarium dicit: quod triumphantibus hodieque a victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores propter concessam vitam: ideo ergo dicit *Dona*: si hoc non esset, spolia diceret. — *Aptatque superbis postibus.* Porticum enim Augustus fecerat, in qua simulacra omnium gentium conlocaverat, quæ porticus appellabatur « Ad nationes. » *Serv.*

724. *Hic Nomadum genus.* Atqui Antonius Orientis habuit populos: sed intelligamus has gentes Africæ operas suas locasse; et simul cum Antonio ab Augusto esse superatas. — *Discinctos.* Vel habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat: aut *discinctos* dixit, inhabiles militiæ: omnes enim, qui militant, cincti sunt: aut certe inefficaces: ut contra *præcinctos*, strenuos dicimus. Horatius, « Altius ac nos præcincti sunt »: unde et

undis quidem minacibus, sed mansuetiore aquarum agmine, ut qui se victum sentiret: ut vero Euphrates Orientales comitabatur; ita Rhenus Morinos; Araxes Daas; sicuti supra Nilus Ægyptios, Arabas, Sabæos: vides vero, ut omnia illustret epithetorum luce.

729. In exitu est admiratio nova Æneæ ad clypei fabricam; gaudium ex varia rerum futurarum imagine: quum vero humero clypeum attolleret, visus est gestare suorum et famam, et fata.

Græce εὔζωνος appellatur, non qui bonam zoriam habet, sed strenuus. *Serv.* — *Mulciber.* Vulcani epitheton, quod omnia mulceat ignis. Vide Macrob. VI, 5. *Hastung.*

728. *Pontem indignatus Araxes.* Hic Armeniæ fluvius, cui Alexander Magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt, postea Augustus firmiore ponte eum ligavit, unde ad Augusti gloriam dixit «Pontem indignatus Araxes.» *Serv.* — Hunc locum sic imitatus est magno Racinio non inficiandus filius:

L'Araxe mugissant sous un pont qui l'outrage,
De son antique orgueil reçoit le châtiment;
Et l'Euphrate vaincu coule plus mollement.

Poëme de LA RELIGION; chant IV, v. 53.

730. *Rerumque ignarus imagine gaudet.* Ignarus erat veritatis, sed triumphorum imagine delectabatur. *Serv.*

731. *Attollens humero, etc.* Si *fata* legeris, hoc est, quod nepotes fataliter fecerunt. Hunc versum nolant Critici, quasi superfluo et inutiliter additum, nec conveniehtem gravitati ejus; namque est ejus magis neotericns. *Serv.*

FINIS VOLUMINIS SEXTI.